Todas estas son palabras de san Geroni
mo. Las quales son mucho para póderar
y considerar, y no menos el medio po
el qual Dios nuestro Señor hizo santo,
y tan gran santo al bienauenturado san
Pablo, que fue la maldad de su cuñado
la crueldad de los tianos, y el miedo de
perder la vida; q este fue el primer
motiuo que tuuo para huir, y esconde
se en el desierto, haziendo de la necessi-
dad virtud, y viuiendo tantos años en a-
quella soledad, sin ser visto, ni ver a na-
die, con tanta desnudez y pobreza, des-
conocido de los hombres, y regalado de
los Angeles, del mismo Dios. Porque
no se puede reer otra cosa, sino que vi-
uiendo el vida de Angeles, los Angeles
le visitauan, y padeciendo por el Señor
vn tan prolixo, y tan estraordinario mar-
tirio, el mismo Señor le fauorecia, entre
tenia, y regalaua [illegible] su altissima oració,
y [illegible] tom[illegible]em
pl[illegible]

luntad de su santo padre y maestro, que
siendo de tan tierna edad, parecia viejo
en el seso y madureza; y en la oracion
penitencia, antiguo y perfeto religio
Tomo muy a pechos el sacar vn viuo
[illegible] de su padre san Benito, e imita
con todas sus fuerças, y assi lo hazia
los ayunos, vigilias y penitencias, q
eran muy asperas, y sobre las fuerças
manas: en la oracion y perpetua mortifi
cació, y en todos los otros exercicios re
ligiosos: y hizialo con tanto espiritu, y
ahinco, q los mõges le tenian por espejo
y dechado de toda virtud, y el mismo pa
dre S. Benito le amaua, y estimaua mas
q a los otros y se le pinia por exemplo
con estraordinario amor, porque conoc
cia cõ quã larga mano el Señor se le auia
comunicado: y no por esto se engrehia
Mauro, ni se desvanecia, antes procuraua
cada dia humillarse mas, y crecer en el
menospreciose si mismo, para ser dig-
[illegible]ulo [illegible] maestro: el qual acre-
[illegible] por [illegible] que te-

CVRSVS

VTRIVSQVE PHILOSOPHIAE

TAM RATIONALIS, QVAM NATVRALIS,

DIALECTICAM, METAPHYSICAM, PHYSICAMQVE

complectens Disputationibus ac quæstionibus illustrati,

AVCTORE

R. P. M. F. ANDRAEA DE LA Moneda Burgensi Sacræ Theologiæ professore; & in eadem vrbe, Regalis Diui Ioannis Baptistæ Monasterij Abbate.

TOMVS PRIMVS,

DE RATIONALI SCIENTIA, seu Logica.

OPVS PHILOSOPHIÆ AC THEOLOGIAE candidatis perutile.

Fr. Manuel de Paredes

Con licéncia: En Burgos, por Miguel de Azpilcueta. Año 1660.

CVRSVS

VTRIVSQVE PHILO-

SOPHIAE

TAM RATIONALIS,

QVAM NATVRALIS,

DIALECTICAM,

MET[illegible]PHYSICAM, PHYSICAMQVE

complectens Difputationibus ac

quæſtionibus illuſtratus.

AVCTORE

R. P. M. ANDRAEA DE LA

Conuentu Burgenſi Sacræ Theologiæ Profeſſore,

Diuæque Virgini Regali Diui Ioannis Ordinis

TOMVS PRIMVS,

DE RATIONALI SCIENTIA.

Dialectica.

QVAS PHILOSOPHIÆ AC THEOLOGIÆ

candidatis præmittit.

Conlicentia. In Burgos, por Miguel de Arpiluaga. Año 1660.

TASSA.

EStà taſſado eſte libro por los ſeñores del Conſejo à quatro marauedis el pliego: como conſta del teſtimonio de Miguel Fernandez de Noriega, Secretario de Camara. En Madrid â catorze de Iunio de 1660.

Fê de Erratas.

PAg. 1. col. 3. n. 4. linea 1. quando, lege quod. Pag. 4. col. 4. n. 4. l. 22. definitionis, lege, propoſitionis. Pag. 9. col. 4. n. 2. l. 5. obiecta, lege ſubiecta. Pag. 26. col. 1. in titulo de argumentationes, lege de argumentatione. Pag. 64. col. 4. l. 17. dele non. Pag. 65. col. 3. n. 4. l. 1. à Logica, lege ad Logicam. Pag. 66. col. 1. n. 9. l. 17. dele ita. Pag. 70. col. 1. n. 32. l. 28. ſumpca, lege ſumptam. ibid. l. 29. ſumpta, lege ſumptam. Pag. 81. col. 2. n. 33. l. 4. dele Diuus. Pag. 88. col. 2. n. 1. l. 13. ſpeculatiuum, lege Practicum. Pag. 100. col. 2. in quæſtionis titulo alias ſcientias, ad alias ſcientias. Pag. 122. col. 1. nu. 18. l. 33. quod, lege quas.

HIC liber inſcriptus: *De rationali ſcientia ſeu Logica tomus* 1. demptis his mendis, ſuo exemplari fideliter reſpondet. Datum Matriti, die 4. menſ. Iunij, anno 1660.

Licent. D. Carolus Murcia de la Llana.

RE-

REVERENDISSIMO PATRI D. D. F. Didaco de Sylua meritiſsimo Theologiæ Magiſtro, & Benedictinæ Familiæ in Hiſpania, & Anglia Generali digniſsimo.

IN ſcientiarum ductrix Dialectica Reuerendiſsime Pater, viri lantibus ingenij mei floſculis concinnata, ad humanitatis tuæ aram ſupplex aduolutitur, tutelare ſuum numẽ, & Benedictinæ familiæ Apollinem tenui hoc munuſculo veneratura. Enim vero abs ratione factura videbatur rationalis hæc Philoſophia, ſi dum ex recondito quietis portu in publica lucis veluti mare, tam turbulentis, tamque contrarijs ventis infeſtum, vela daret; aliam auram, quam clementiam tuam. aliud ſydus, quam fulgentiſsimos nominis tui radios expetere, ac implorare conaretur. Inter ſyluas nata quæ Irachenſe noſtrum cœnobium frõ loſo ſatellitio coronant, Syluam tanquam patriam ſedem lubens repetit; ac Syluam eximia vrbanitate florentiſsimam, & nihil Syluæ præter innocẽtiam vitæ, flores, ac fructus virtutum præſeferẽtem. Si honores aucupatur, lauros prębet fœcundiſsima hæc Sylua, doctarum frontium ſerta glorioſa; ſi æternæ ſæculorum memoriæ conſecrari cupit, cedros oſtentat edaci temporum inclementiæ imperuias; ſi fælicitatem exoptat, hinc aureum ramum decerpet, qua ſecura ad fortunata Philoſophorum vireta deueniat, denique ſi erroribus ſuis benignam vmbrã exquirit, quo fœlicioribus auſpicijs ſe ſe conferat, quam ad amæniſsimã hanc Syluam, quæ & nimium adulationis æſtum penitus defendet, & acerrimam inuidiæ aciem excludet prorſus, ac propulſibit? Ex illuſtriſsima Syluarum Comitum de Cifuentes ſtirpe originem ducis, quæ pro ramis innumera virtutum trophæa, & pro folijs egregia ſicinora producit veneratione pariter, ac ſtupore totam poſterorum ętatem perfuſura. Quod fabularum machinatrix vetuſtas de Dodonæ Sylua confinxit, in qua arbores omnes diuino numine afflatæ oracula fundebant Delphicis haud inferiora; id re vera contingit in nobiliſsima hac Syluarum domo, ex qua ſingulari numinis prouidentia eduntur certiſsima ſapientiæ oracula, & præclariſsima virtutũ omnium

nium exempla. Nam quid ego hic commemorem præstantissimas animi tui dotes, Reuerendissime Pater, qui inter reliquas Syluæ huius arbores licet amænissimis virtutum frondibus vestitas,& vberrimis gratiarum fructibus renidentes emines, & attolleris tanquam *inter viburna cupressus?* In te pridem incundissimam sedem,ac domicilium collocauit,cum Musarum choro præclarissima virtutum omnium cohors. Quæ in decernendo prudentia, in exequendo efficacia,in puniendo benignitas,in remunerando liberalitas, se se vbique prodit, ac ostentat! Commune es Hispaniæ oraculum, & singulare orbis documentum,sydus Theologorum,Philosophorum lumē. Elucet in inuentione acumen,in distributione prudentia, in explicatione breuitas, ac perspicacitas; triumphat in argumētis acrimonia,quot impugnationes,tot fulmina,quot capita,tot aureæ sapientiæ mineralia; quot verba, tot micantia astra clarissimos quoquouersus eruditionis,ac doctrinæ radios dispergentia. Per tot igitur,tantarumq; virtutum veluti ianuam in honorum templum deductus rectius, quam sponte ingressus es. Primo in Irachensi,deinde in Salmāticensi cœnobio,Regentis in Theologia munere præclarissime defungeris. Iam dudum in hac domo Diuo Ioanni sacra,postea in Matritensi Monasterio cum summo omniū applausu,& acclamatione Abbas electus, ea prudentiæ, ac pietatatis indicia exhibuisti, vt facile intellexerint æqui rerum æstimantes,ciuitati illi Hispaniæ capiti, ac orbis miraculo,tuo aduentu nouum lumen prodigium nouum accessisse. Atque per hos honorum gradus adeo sublimes, ac splendidos, ad amplissimam dignitatem dextro numine ascendisti: qua modo omnium in te oculos,& animos rapis,ad Benedictinæ familiæ veluti clauum gubernandum, virtutis, non ambitionis alis fœliciſsimè euectus: Hic adspirante secundissima diuinæ gratiæ,& cœlitum aura, quam prosperum,quam tranquillum cursum tenes! Nulli aduersæ fortunæ feroces venti vela feriunt; nulli latentes fraudum scopuli, ruinam, aut exitium machinantur. Patere igitur (Reuerendissimè Pater, tantæ familiæ decus, ac præsidium) in honorum tuorum delubro, donum hoc appendam, obseruantiæ tesseram, & grati animi monimentum sempiternum. Non mihi consilium, vel audacia fuit,tam rutilanti syderi splendorem aliquem velle afferre (quis enim Phæbo lucem

accom-

accommodat?) sed potius teneræ huic ingenij mei soboli præsidium, ac æstimationem emendicare desideraui. Cæsar quidem Augustus, vt ferunt, in nūmismate quodam, vt ei pretium, honoremque impertiretur, ex cudendam curauit imaginem stellæ, sub qua natus, ac in lucem editus fuerat; haud absimili ratione cupiens huic opusculo decus aliquod, ac gloriam accersere, volui illi præfigere tanti syderis nomen; sub cuius tutela, dum in Irachensi cœnobio Regentis prouinciam fœliciſsimè administras, in Philosophiæ veluti lucem editus fui. Poterunt alij tuæ gloriæ, & obsequijs litare magnificentius; nos certe nihil possumus consecrare amantius. Viue felix, ac vale nobis, religioni, Hispaniæ.

Reuerendiſsimæ vestræ Paternitati
addictiſsimus filius

Magister Fr. Andreas de la Moneda.

CENSVRA R.P.M.F. IOANNIS de la Riba Abbatis Regalis Sancti Saluatoris Onienſis.

SApientiæ tot me, Reuerendiſsime Pater, aureis collocupletaſti monetis, vt facillime tibi numum ſoluere putarim obedientiæ, qua me, dum fortiter trahis, ſuauiter ſimul & attrahis, vt de hoc R.P.M.F. Andreæ de la Moneda primo tomo *Curſus vtriuſque Philoſophiæ, tam rationalis, quam naturalis* iudicium feram, tibique referam, Aquas maris Crates cenſuit diuitias, vt vnde exeunt flumina, reuertantur: diuerſimode licet; nam plena ſapientiæ ſalis dimanant; & obedientiæ ligno (quod miſit in aquas Moyſes, ligno, inquam, crucis, cuius vſque ad mortē peruenit obedientia) dulcorata relabuntur: ambroſiam iſtam Bernardi in labris proprijſsimè libauimus: *Sapiens* (inquit) *numularius eſt, imò ipſa ſapientia, cui neceſſe habemus reddere hunc obedientiæ numum.* Ergo â te, cæu â Cæſare noſtro, Pater Reuerendiſsime, omnes aureæ iſtæ fluxere monetæ: nam tua oculos, numis infixa, iucundius gramine, paſcit imago meos: minus enim pretioſo digna non erat ſculpenda metallo. Tuum igitur noſtrum eſt obedientiæ numiſma; & vt, quæ tua ſunt, vnico inſcriptionis verbo, cuius, quod valeat, munus ſit monere, reddam citiſsimè: omnes (inquam) iſtæ mihi Athenienſium monetæ videntur, & aureæ: ergo noctuam Lauri ramo inſidentem habent infixam. Pierius ſic mihi ſugeſsit Valerianus: at, vt ipſe cum Alciato docet, noctua Mineruam; & Laurus victorem maniſeſtat. Vnde monetæ ſapientiam ſemper vincere apertiſsimè declararunt: vt ſic cum noſtro proclamem Iſidoro: *Vbique pecunia vincit*, in ipſis, videlicet, quæ ſignificat: hęc enim, (inquit Lauretus noſter) ſignificat opiniones, & dogmata veritati conformia.

D. Bernar. ſer. 2. ſ. Andrea.

D. Yſidor.

Si auream, hanc toties prædicaui monetam: cum apud nos

nos nulla sit regij æris huius, quę sigillum veritatis (hoc est, crucem Domini) in se non habeat expressum: nihil in illa christianę puritati deforme poterit inueniri. Publica hęc nostra sacratissima forma valorem nō minuit: imò sanctificat, & auget. Sic enim Nicolaus de Lyra super siclos illos *probatæ monetæ publicæ*, quos Abraham in pretium sepulturæ dedit Ephron: *in quo ostenditur* (inquit) *bonitas formæ, quia habebat expressionem debitam monetæ publicæ currentis*. Et sic Quintilianus: *Ytendum planè* (ait) *sermone vt numo, cui publica forma est*. Publicā ergo vidi opinionum formam; sed singulare inuidi metallum ingenij generosum. Communem legi dubitationum inscriptionem; sed inuisam elegi, & approbaui vt optimam inscriptoris peritiam. Quamobrem haud dubium, quin tot, tantisquè lector ditatus numis sua talenta, licet non otio, facillimo tamen negotio duplicata reportet. Sic censeo in hoc Regio Monasterio Sancti Saluatoris Onienſis. Die 25. Ianuarij. An. 1659.

Nicolaus de Lyra.

Quintilianus.

REVERENDISSIME PATER.

R^mæ P. V. obsequentissimus filius.

Mag. Fr. Ioannes de la Riba.

LICENTIA REVERENDISsimi P. N. Magistri Fr. Didaci de Sylua Generalis Sanctissimi P. N. Benedicti in Hispania, & Anglia, &c.

NOS Magister Frater Didacus de Sylua Congregationis Benedictinæ in Hispania, & Anglia Generalis, &c. Harum tenore facultatem facimus typis mandandi primum tomum *Cursus Vtriusque Philosophiæ tam rationalis, quam naturalis*, à P. Mag. Fratre Andrea de la Moneda Cœnobij nostri Sancti Ioannis Burgensis Abbate elaboratum, quem Doctorum etiam virorum Religionis nostræ iudicio examinatum, & approbatum de mandato nostro conspeximus: seruatis tamen omnibus, & singulis seruandis iuxta decreta Sancti Concilij Tridentini, & Regias sanctiones. In quorum fidem hæc manu propria signata, & Secretarij nostri subscriptione firmata decernimus, in nostro Collegio Sancti Petri de Exlonza. Mensis Februarij, die 15. Anno 1659.

Magister Fr. Didacus de Sylua
Generalis Sancti Benedicti.

De mandato R^mi Generalis.

Fr. Benedictus de Salazar.

CEN-

CENSVRA R. P. F. IOANNIS *Gallo in sacra Theologia Magistri Ordinis Prædicatorum, & in rebus fidei Sanctæ Inquisitionis Calificatoris.*

DE mandato (potius adulatione) D. D. Didaci de Trebiño Burgensis Diœcesis Prouisoris legi librum, cuius titulus, *Cursus Vtriusque Philosophiæ tam rationalis, quam naturalis*: cuius Auctor R. P. M. F. Andreas de la Moneda, Religione Benedictinus, professione Theologus, officio, ac dignitate Sancti Ioannis Burgensis Abbas meritissimus, vt meam de illo proferam censuram; vana præsumptio; tantus enim Magister incapax est censuræ; saltim approbationem; excusabile mandatum; tanti enim ponderis, valoris, ac dignitatis moneta, non alia, præterse ipsam eget approbatione; denique iudicium; proferam libenter. Iudico ergo vniuersæ S. P. N. Benedicti Religionis antiquam, nedum in obseruantia, verum in omni eruditione emeritam gloriam, quasi celte in silice sculpi, quasi in tumulo cum inscriptione virenti semper memoria celebrari: si liber iste litteris exaretur, si mandetur typis. Ad suã, suorumque memoriam posteris in veneratione relinquẽdam emit Abraham speluncam, hoc est, sepulchrũ, & monumentum *quadringentis siclis argenti probatæ monetæ publicæ*, vbi sepulta Sara, ipse quoque postea sepultus est. Sacra hęc Religio monumentum in hoc libro probata hac Moneta emit, vbi vtriusquè (Matris, scilicet, & Filij) memoria in æuum permansura sepeliatur inscripta, exarato titulo dicente: hic iacet eruditio Matris, hic sapientia Filij; quia idem est, ac dicere: *Cursus Vtriusque Philosophiæ tam rationalis, quam naturalis R. P. M. F. Andreæ de la Monedà*. Miraris ne, quod librum appellauerim, sepulchrum? ne mireris: lege Prophetã Malachiam, qui *librum monumenti* Dominum habere testatur, vt vbi (ait Hugo Cardinalis) *memori-*

Genes. 23. n. 16. infra. c. 25. n. 10.

Malachiæ cap. 3. n. 16

moriter vsque ad diem iudicij omnia reseruentur. Hanc perpetuam memoriam emit Benedictina familia ista probata moneta, probati vtiq; Auctoris. De illa Abrahami duo dicit textus sacer; & quod erat *probata*, & quod erat *publica*.

Maluenda ibi. Primum explicuit doctissimus Maluenda, legens ex Hebreo: *argenti transeuntis ad, vel per Mercatorem*: & explanãs ex suo, profert: *Socher, propriè est circungyrator, circulator, circunforaneus, & quia merces de loco in locum circũferuntur circumquaque à Negotiatoribus & Mercatoribus, ideo hoc nomen dicitur Hebreis, de Negotiatore, seu Mercatore, qui circumit mercatum, & circunfert merces transeuntis ad Mercatorem: Hispanicè: Moneda corriente de dar, y tomar.* Liber hic bene dicitur *probata moneta*, quæ meretur circungyrari, & de manu in manu omnium Doctorũ circunferri; vtique quia secure est, *de dar, y tomar.* Aliter Maluenda: *Vel commeantis ad Mercatores; id est, ea quantitate, & qualitate, vt etiam inter ipsos Mercatores, qui in expediendo numismatum pretio sunt diligentissimi, translatitia, & recepta esse possit: Hispanicè*: que passa entre Mercaderes: *sunt plus nimio Mercatores in examinanda, in exigenda, & probanda pecunia, & non nisi optimam, & probatam admittunt.* Legant scrupulosiores Magistri librum hunc, & inuenient doctrinam tanta quantitate sententiarum, tanta qualitate veritatis, claritatis, & dispositionis pollentem, vt absque omni scrupulo eam emere possint, & licet sint nimis, vel plus nimio morosi in ea examinanda, in eius ratione exigenda, inuenient eam in omnibus conformem fidei, & in omnibus probatam, & probandam, & quod est moneta, *que passa entre Mercaderes*, hoc est, inter Doctores. Denique concludit Maluenda: *Nec alienus erit sensus: transeuntis ad circungyratorem, circulatorem, circunforaneum: hoc est, tã probum argentum, & optimæ notæ, vt etiam ipsi Agyrtæ, falsarij, harum rerum callentissimi vitium in eo nullum deprehendere possent.* Vtique concludam, & ego: non solum veritatis simplices amatores, non solum eius plus nimio indagatores,

res, verum etiam illi, qui respuunt veritatem, & fallere nituntur nullã reperient in tam probata moneta falsitatem. Quid ergo illi deficit, vt sit in omnibus monetę Abrahamiticæ similis? secũdum, quod illa habebat: *vt sit publica*. Fiat ergo in omnium Philosophorum vtilitatẽ, & ideo imprimatur. Ita sentio in hoc perillustri Sancti Pauli Burgensis Cœnobio. 17. die Februarij, anni Domini 1659.

Magister. Fr. Ioannes Gallo.

LICEN-

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS Los Prouisores en todo el Arçobispado de Burgos, por su Señoria Illustrissima D. Antonio Payno, Arçobispo del dicho Arçobispado, del Consejo de su Magestad, &c. Auiendo visto el libro intitulado: *primer tomo, Cursus vtriusque Philosophiæ tam rationalis, quam naturalis*, compuesto por el R.P. Maestro Fr. Andres de la Moneda, Abad del Real Conuento de S. Iuan, extramuros desta Ciudad, Orden de S. Benito, y la censura del R.P. Fr. Iuan Gallo, Maestro en sacra Theologia, de la orden de santo Domingo, Morador en su Conuento, extramuros desta dicha Ciudad, y Calificador del santo oficio de la Inquisicion, à quien por nos fue remitido, para que le viesse, y examinasse; y que della resulta no tener cosa contra nuestra santa Fè Catolica, y buenas costumbres, antes mucho de vtilidad, y erudicion. Por la presente damos licencia para q̃ qualquier impressor de los aprobados, sin incurrir en pena alguna, le pueda imprimir, y dar a la estampa. Dada en la Ciudad de Burgos a veinte y cinco de Febrero de mil seiscientos y cinquenta y nueue años.

Doctor D. Diego Treuiño.

Por mandado de los señores Prouisores.

Iuan Antonio Garcia.

CEN-

CENSVRA SAPIENTISSIMI P. Magistri Fr. Thomæ Franco Ordinis Dominicani; cui à Supremo Regio Senatu hic fuit liber commissus.

PRAESENS Opus, Commentaria Aristotelis primum, & secundum librum Paruę Dialecticæ, & in vniuersam magnam Dialecticam eiusdem continens Reuerendi admodum Patris Magistri Fr. Andreæ de la Moneda Burgensis Regalis Cœnobij Sancti Ioānis Burgensis pręclarissimi Ordinis Diui Benedicti, Abbatis supremo senatu iubente vidi, sequentiaquè inueni. Angelici Doctoris fidelem discipulum, ex corde eius vestigia sequẽtem. Nil amplius dicendum, quod his nõ claudatur, desiderat animus; nisi vt prælo mandetur, pro vtilitate publica, quę in similibus diuini hortuli laborantis agricolæ fructibus attenditur. Sic obediens responsum offero: in Collegio Diui Thomę Matritensi Ordinis Prędicatorum, pridie Idus Maij Anno Domini 1659.

Frater Thomas Franco.

SVMA DEL PRIVILEGIO.

TIene el Padre Maestro Fray Andres de la Monedà, Abad de San Iuan de Burgos, de la Orden de S. Benito, licencia, y Priuilegio de su Magestad, por diez años, para imprimir, y vender, vn libro que ha compuesto, intitulado: *Cursus Vtriusque Philosophiæ, tàm Rationalis, quàm Naturalis, tomus primus*: como parece, por el testimonio que diò Martin de Villela, Secretario de Camara. En Madrid à veinte dias del mes de Iunio, de mil y seiscientos y cinquenta y nueue años.

OPE-

OPERIS COMMENDATIO ad Auctorem amicabilis, sed anonyma.

AD maiora sapientię trophęa dextera scriptoris Philosophici manus ingenio viridanti paratur. Prælum cecinit prelium: intonant victoriam myricæ. Viridantis & ętatis, & ingenij flosculos famosior compositio figurat. Diuinum redolet nomen caput cincinnatum laureola, medio in certamine vitę, non in splendoris accubitu, nã sic cęlestis proclamabat Propheta: *Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud.* Tuum opus (ò Magister & Abbas) in media vitę clausula paras, in splendoris medietate viuificas, opus (inquã) tuum, quod mira ingenij opulentia disponis, opus artificiosæ contexturæ mirabile, in medio annorum notum facies, non in prouecta Theologici certaminis meta, non in declinantis lucis statione, nam operis tui gloria, vt lux erit, non vt fructus terrę sublimis. Nam cælum & tellus fæliciter fructificant Deo. cælum lucem, tellus vel in spica rubescit. Splendor igitur tuus vt lux erit, non terrę productricis effectus, nam lux medio in itinere radiat, famosius splendet in medietate cursus solaris. At tellas vsque ad messis stationem fructuum non maturat sponsionem, viret in vere arborum iuuentus speciosa: in ęstate paulatim ardorum decoctione prouehitur: sed vsque ad autumni sinus fructuum nõ expanditur gaza. Sic terreni laboris disponit plenitudo vindemiam: sic namquè filij sicut plantationes nouellę in iuuentute matureseere solent, ast vt in plurimum mentitur opus oliuę, & arua non afferunt cibum. Verum in tua naturalis Philosophię pressura litterę, non folia, fructus, nõ ager splendescunt. Opus sine figmento depromitur breui desudatum ingenio: fulguris instar exit ab Orientis tramite candido vsque ad meridianos Phębi coruscantis

ascen-

ascensus. Sic tuâ te virtus & ingenium fulgurare docent velociter Nec antelucana expansio, quam virtus, & subtilitas annosa iuuentute fouerunt. Cursus rationalis doctrinæ, quem prælo laureatũ efformas in lucis schola litteras sigillauit coruscas, non in prati lenocinio apparenti. Exit ad lucem opus lucis æmulando crepundia ab ipso natiuitatis exordio lucis infantitium albicat, non splendidior lux longæua temporum expansione perdurans: quã priori creationis infantia, imò si proprietatis examine rigoroso loquamur in luce nihil iuuenile floret, nihil canitiẽ radians maiori viuacitate cristatum. Exeat ergo in lucem, quod lucis imitatur naturam, & in media ætatis diuisione virtutis & ingenij cursu peractum ad aliorum eruditionem opus vsque ad miraculum perpolitum vulgetur. Si aliquando Sol festinus ad occasum stationem protelauit zodiaci, & iam exortus media in festinatione suspenditur, quid mirum, quod lucis anticipatio diem præueniſſet naturę quem iam splendescens inusitata immobilitate longauit. *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra Vallem Aialon.* Sic Iosue militiæ Princeps precatur, vel imperio miraculoso decreuit cap. 10. fortasse possent imperij voce efficaci, sed admirationis suspicione prudẽti cursus in prælum properam impedire picturam, qui sine prælio Minerue forsitan otiantur ingenio. Desudaras in Hirachensi apud Nauarram Musęo subtilitatis & laboris copiam cęlestem, cathedrario muneri incumbens Philosophi commentaria meliora, discipulisquè sub numero breui longã eruditionis seriem texisti. Erat speciosior litteraturę Philosophicę claritas, Solis imitatione currebat cursus vsitata fatiga: festinabat occumbere trita infelicitate discursus, & noctium tenebrosa obliuione obscuram declinabat in mortem. Occumberet ergo Sol naturali velocitatis discessu? Minime, sed obedientię prępeditus imperio figitur in medio rotantis splendoris itinere. *Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra Vallem Aialon,*

vsque

vsque dum victoriæ plausus radiorum coronetur splẽdore,& in prẽlo fixa duratio æternitatis æmuletur honorem, contra Gabaon solis rota voluta lampadis ignitæ præsentiam mira celeritate occultabat,imò potius contra suę nobilitatis decorem fuga vel apparere dignoscitur. Qui ergo contra Gabaonitas impelli poterat fulgoribus luminare fumosius, vt omnipotenti voce medio in discursu impeditum, sisteretur elogando dici,quod velox fulgurabat ad noctem? *Gabaon namque vallis interpretatur mœstitiæ,& Aialon vultur deuorans,vallis vel admirans describitur.* Hæc igitur erit interpretatio sermonum: præpeditur Solis erudientis occassus, & medio in discursu doctrinæ ne valli propinquaret mestitię communis addiscentium necessitas intimo flagitabat enixu.

Obstupuit fugacis naturæ velocitas, ne tristitiæ vallis amænitaris tenebraret sementem, erat similiter Aialon vulturis deuorantis audacia, quę in vallis admirationem conuersa tui ingenij viridarium sulciuit,vt etiam lucis coronaret stationem sub rosaceæ fœcunditatis emblemmate. Sol simul & Luna steterunt in Gabaonis valle, & Aialonis admiratione recondita. Sol Gabaonitidi regioni decorus, Luna Aialonis viriditati secunda, vtroque cinxerunt cornu tui cursus regionem; vt geminatam vallem geminum cœlorum astrum perfunderet. Ingenij tui subtilioris velocitas ad victorię detinetur honorem. Quę maior detentionis & perpetuę durationis impressio,quam prẽli litteratura indelebilis? Esset mestitiæ vallis, quæ nunc amęnitatis hortus abundans, si Sol occasum vsque festinus calamo non luminaret cœlesti, plusquam virgulta vallis voluminis folia felicia,nec sufficiens ad tantę obscuritatis triumphum vnius luminaris presentia,vtroquè coronaris splendore in cœlorum medio vertice fixo. Talentum itaque tibi creditum duplicatum reportare festinas: talentum mysterioso ęnigmate fortasis aurea moneta, non Solis tantummodo, sed Lunę simul

splen-

splendore dotata, nam omnia voluminis folia a frigoribus murmuris vel obscuritatis protecta, & absque timoris nota ad diem publicitatis festinant duplicibus vestita luminibus, Solis, & Lunæ coronis. Bysso namque, & purpura nobilitatis indumento succinctus ad stationis sublimioris accubitum. Iam ergo Magister nõ solum voce sed prælo nobilitatis induisti cinctorium: quando in portis vtriusque luminaris assistens cum Senatoribus sessurus cælestibus eruditionis euulgator signaris, sic itaque fortitudo, & decor ad indumenti nobiliorem sapientiam inusitato properarunt itinere.

Sic monetæ nota purpuræ diuulgatrix excelsior, sic inter Senatorum byssos sedile candidasti doctrinæ, os ergo tuum sic Magistrorum associatum sedibilibus in discursus Philosophici aperuisti copia sapientiæ, & lex eruditionis preciosa papiracea in lingua vulgatur. Ergo Solis, & Lunæ duplicato fænoris talento ditatur Philosophiæ cum Anselmo doctrina. Byssus, & Purpura indumenti felix maiestas, vnde si pretiosior cũctis opibus proclamatur sapientia totius monetæ valor breui thesaurizatur ærario. Sic Lucas Euangelista parabolico paradigmate refert, cap. 19. *Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reuerti*, vt aliud priori superadderet diademati regnum, ergo nobilitatis pignore primo diuisit generose conseruis diuitiarum largitatem innumeram, idest, sub denarij numero inscriptam totius beneficientiæ mercedem, & dedit ei decem mnas, vbi monetæ circunfertur inscriptio hæc autem mna pignus supernæ fælicitatis exprimitur. O numisma non aurei ponderis tantum, sed cælestis pretium laboris. *Negotiamini dum venio.* Regium proclamauit edictum, Properantis Regis præceptum tanta velocitate exigentis in succinta cursus dilatione compendium, sic itaque mna tua sapientissime Pater in abbreuiata temporis periodo multi negotiatrix stipendij vsurarum sapiens cumulauit ingenium, nec indigna monetæ prętiosioris memoriã

apud Mathæū Christi luci dauit problemà. *Vade ad mare, & mitte hamum, & cum piscem qui primus ascenderit tolle, & aperto ore eius invenies staterem*, stater iste valoris duplicati didrachma ore, vel conclusus designat, quid si extra oris appendatur clausurã? Quid si ad eruditionis cathedrarię litteris sculpatur honorem? Glossa ex Angelico Præceptore in pondere stateris subiecit. *Stater vero pondus est didrachmorum duorum*, duobus in statera melioris monetæ appretiatur ponderibus, vnus vel vnicus pretiositate stater intra piscis linguam reclusus, quid si pro voce stater? quid si pro lingua, speciosõ i liomate drachma? Nondum ex ore piscis hamo circunfertur tributum, & continuo Cæsaris ærario reconditur duplicata æstimationis mercede, quomodo tam cito inueniri potuit non rete, sed hamo aurei fulgoris impressio? Piscis inter vndas claritatis natat occeanũ, & ex ore ad prælum limatum eructauit miraculum, statim sedens in cathedra sapientissimus Princeps, quam ex ore piscis sapientiam apertis faucibus sumpsit ad Imperatoris aulam nomine tributi persoluit. Piscis auri massam monetæ in forma fulgentem dentibus premebat auare, sed postquam ore aperto ad publicam vtilitatem indulsit Thesaurum indeficientis doctrinæ mandato Christi piscator pro vtroque reddidit Magistro tributum. O pretium auro monetæ excellentius, per quod, & Christus, & Petrus, vsque ad vsuras pene solutionem pendunt abundam, sic in mari piscis non in riuuli circuncigitur copia, vt vno tantum ore copiosum effunderetur eloquium, trahitur namque ex eloquentia concursus, hamo, vel extrahitur piscis, non violentiæ reti volutatur multitudo natãtium, sed proprio, vel voluptatis incendio ad escam hami primus piscis dulcedine currit allectus, capitur inescatus sapore, non impellitur retium implicatus abysso, nam in piscium multitudine capta quando in dexteram nauigij obedientia mittitur rete nulla stateris pretiosioris reperitur mẽsura: neque mortis piscis adhuc faucibus expansis referatur memoria, quia vita-

le

le dedit pretium viuido eloquentiæ instrumento, & oris apertione ditauit subtilioris indigentiam magistri, ergo si piscis oris non aperiret secretum esset sigillata doctrina sicut in libro Apocalipseos arcano, exeat ergo ad lucem primogenita ante alias eiusdem genituræ sapientia, sicut ex piscis ore moneta, sicut ex ore Altissimi Verbum. Verbum inquam nõ sola prolatione verborum, sed præli perennitate indeficiens, deseruiat firmitati scriptura adamantina susceptione indelebilis, vt vel pronominis deauratum mysterium ad æternitatis currat cognomen. Vale.

LECTORI.

PHiloſophiæ naturalis rationalem diſcurſum, quaſi mõ tiũ Theologaliũ amæniſsimã vallem ingenioſe Lector admitte; quæ in cathedra trita curſuum vigilantia diſſerui; hæc r petita lima vſque ad præli lucem deduco. Scala hæc fortitam qua cœlum ſapientiæ conſcenditur, cuius fundamenta terræ innituntur firmiori, cacumen vero cœlum vſque tangere valens: Angeli quoq; Dei prius aſcendentes, poſtea deſcendentes videntur. Ex naturali namque Philoſophiæ notitia ad apicis Theologici peruenitur Empireum, non ergo inutile naturalis ſcientiæ fundamen, quod tantorum dogmatum vertici præparatur ſecurum. Sic ergo non me ſuperbũ ſuſpicaberis Lector, quẽ ex humo ad cœlum ex fumo ad ignem naturali paſſu cõſcendere in doctrinæ gradibus vides. Si Angelos aſcẽdendentes audiſti ergo humiles iam fateri neceſſum, de virtute in virtutem ire humilitatis Religioſæ ſignaculum, vbi aſcenſus deſignatur rationis medio ſcientiarum diſcurſu. Stantem itaq; ſcalam contemplandam appono quaſi vallem ad pedes montis humiliatã fæcundã. mons eſt Theologia, vallis naturalis doctrina, quæ reducitur ad voluminis formam, vt aſcenſionis ſimilitudo formetur, ſtat igitur ſcala per gradus ad altitudinis ſublimitatem cõpoſita, nã ſi ſcala dimiſſa longitudine accumbẽs, humi vel proſtrata maneret potius conculcãda prodiret, quam aſcendẽtium inſtrumentum ſubtile, nõ ergo ſuperbiæ murmurabis audaciam in curſus parturitione præſenti: ſi mei ſudoris doctrinam gradiendi ad celſiora viam pedibus vel ſubiectã attendis, nam quod ſcala erecta, & non deiecta inſpiciatur, non ſupercilij fumus, ſed ingenij meliora æmulantis indicium. Et vt huius ſcalæ firma redderetur conſtructio, non ſolum vſq; ad montis eminentiam cœleſtis iter præparauit facilius, ſed ipſammet ex incorrupta cedri materia artificioſa contextura complicui, ideſt ex Diui Patris Noſtri Anſelmi Cuculla Benedictinæ ſplẽdoris Archiepiſ-

piſcopi Cantuarenſis ſententijs, axiomatibus, eruditione fabricam emoliri decreui. Propterea in fronte voluminis, altoquê in vertice libri Anſelmus ſeſe prodit Magiſtrum, velut ex rupe fontem irriguum â virêti Philoſophiæ principio vſque ad fructum Theologię ſublimem. Huic ergo Parenti ac Doctori affectus ſuffragatur diſcipuli, vt in illius gloriam refundatur doctrina, quę ſola ipſius firmitate fundatur. Ergo Lector ſi attentam oculorum aciê impingas, ſolam ſcalæ, ideſt, prȩſentis curſus ſtructuram, vigiliæ meo que labori retribues, totam vero materiæ molê Anſelmi Magiſtrantis fateberis. Neque in ſomno ſcalam ſicut Iacob, ſed in vigilia continuata conſpexi. Erat fortaſsis ſomnus ille altioris intuitionis obtutus, extaſim vocarunt Interpretes, non enim manibus dormientis auctoris ſcala detineretur altiſsima, nec ſecurus cognoſcentis paſtus dirigitur, qui per noctis regionem vel vmbram ad veritatis cœlum itinerat: fortaſsis enim ſub noctis nomine difficultatum explicatur obſcuritas, per quam ſcalę dirigêtis erectio ad portam veritatis clariorem artificioſum præparauit ingreſſum: ſic itaque Anſelmus quaſi ſcalę Dominus in ſublimitate conſtitutus voluminis eam concluſionibus firmat, tanto namq; Doctori altitudo innixa fulcitur, vt greſsibus Angelicis peruia myſteriorum reuelaretur arcana. Propterea autem omnes aſcenſores Angelico nobilitauit cognomine, quos intra ſcalæ limen ſine deiectione ſuperba curſores doctrinarum conſpexit. Merito Angelici nuncupatione potiti, qui tam fœlici ſcala gradiuntur, abſit itaque à noſtra puſillitate ſomniata vel noctuꝛna ſuperbia, ſola nominetur in labore noſtro ſtudioſitas, in probi quê laboris fatiga, ſola vigilantis animi impêſio, ſola que addiſcentium commoditas, ſoluſquê glorietur in Domino noſter in ſudore diſcurſus cui ſoli inuiſibili gloria perennatur per ſæcula. Vale.

R.P. *MAGISTRI FR. FRANCISCI CRESpo, olim ferrati montis Præsulis, vespertinæ Theologiæ Cathedræ in Illerdensi Accademia quondam moderatoris, ad libri opificem studiosum ex animo votum.*

MIRVM Est (dilectissime Andreæ, sapientissime Abbas) qua lętitia refecerim animum, quo gaudio repleuerim mentem, cum te, in orbis theatro, dialecticum, Philosophum, Metaphisicum agere conspexi, cunctos è laboribus tuis ditissima lucra capientes video. Ingenia cuncta sudoribus tuis ingenua fieri cerno, ex litteraria tua moneta pretiosissimos thesauros haurire gratulor. En quibus lucris ex te omnes ditescunt, quas vsuras arte tua venantur, ad Magisterium natum pueritia ipsa promisit, non mutis, loquacibus signis prędicebat. Nondum hinnuli frontem ossei ramusculi coronant, iamque nascituros testa diadematis presaga, licet nuda prędudit. Nondum leoninus catulus vnguibus, & molaribus, munitur, iamque in prædam furenti cursu irruit. Prælabantur acriter ingenium, & ætas; hæc molimine tardo intra pigritię sinus se continens, pernicibus illud pennis ætatis iura fugiens quam sicut probę indolis inimicam deuicit. At inuenta vberi in cōmunes fructus erumpis, in clasicos prouentus matures cis, impleuit promissa satis fida natura. Vulgaris nemini tui cursus videatur scopus. Per tramitis nimium attritos singularia vestigia seris, materiam vulgo elaboratam, nouo graphio decoras, quid censeam adstruam, an quid sentiam, intra pectus occludam? pungit veritatis aculeus, figit innatæ modestię tuę clauus, hæc veritatis præconia fasti diens, illa claritatis honores fitiens, veritas ne stipendijs sibi debitis iugiter orbata carebit vt modestia illæsas suas latebras seruet? Præualeat veritatis ius, sine tamen modestiæ injuria, illibata potius sui can-

candoris clausula, dum roseus pudor per illius gennas dilabens, non ruboris, sed purpura gratiam perfundat, nihil amarum irritato ingenio propinas, abest a felle quidquid guturi offers, melle madet, lacte redundat quidquid ori libandum fundis, morsum non metuit rabidum, inuidum eliminat dentem, sputum virulentum contemnit expers offensionum subtilitas, pacis osculum, laudis linguam, gratulationis auram in seruitutem liberam sibi redigittua dexteritas, acutus arguis, fidelis refers, profundus probas, vrbanus pugnas, prudens eligis, sapiens concludis, subtilis infers, mirandus instruis, omniaque verum Magistrum, clarum Parentem redolent, quænam instrumenta sciendi inseruire tibi non ambiunt? quænam docendi artes tibi obsequi negligunt? quænam percallendi machinæ tibi militare non sitiunt? Sed quod in plurimum tibi decus accrescit, est in thesibus, in rationibus germana Anselmi, & Thomæ, nõ modico sudore parta conuentio, vnum sapere in vtroque demonstras in idem currere deuincis. O nimium fortunatum laborem, cui duplicis cœlestis acuminis ingeniosa vnio texitur probatio, diuisum naturã genuit Thomam, Anselmum, parit indiuisum industria, multiplicem condidit carnis, & ætatis varietas, vnicum condit argumentosus nexus: plura numerum non componere, imo a numero absoluere, artem supernam sapit. Saluianum accipe. *Mirandus est cœlestis opificis imitator, qui facere vtraque vnum studet. Idem sapere, & velle Diuinæ Trinitatis est egregia inter plures imitatio. Supernum opificium est diuersas mentes in vnam conuenire sententiam.* Florido serto, aureo diademate tua tempora cingant Aristoteles, Plato, torquem, annulum, purpuram, liberalium facultatum splendida acies liberalibus item manibus offerat. Currite, qui scire sitis properate, qui sapere ambitis, inter florentia voluminis folia latet limpidissimus latex, saporat candidissimus liquor accedite classicæ apiculæ, vernus est liber iste, quot syllabas, tot claudit flo-

res,

res, melleos fugite succos, delitiosos condite fauos. Fauste ergo (dilectissime Andræa) ad altiora sine cespite perge, nunc primitiuæ prolis grato ortu potire. Viue, vt iugiter doceas, doce, vt iugiter viuas.

LIBER PRIMVS SVMMVLARVM.

IN hoc libro disputant Doctores de rebus ad primam intellectus operationem spectantibus: videlicèt de termino, & illius qualitatibus; tam vt absquè nota erroris nostra procedat mens in prima illius operatione, quam vt tyronibus facilior, & simplicior proponatur materia in primo artium exordio.

CAPVT PRIMVM.

De termino in communi.

1. VT à termino feliciter incipiamus, terminus, vel finis omnium rerum creatarum Deus Optimus Maximus lucis suæ fulgore nostrã irradiet mentem: si ergo omnia propter se ipsum creauit altissimus omnipotens ipse omnium finis, principium Logicę fœlici augurio suaui spiritu, secundo flatu inspiret.

2. Terminus ergo si grammaticali accipiatur significatione, finem significat; sicut terminus Hispaniæ est vltimus suæ iurisdictionis limes; iste autem est terminus realis, seu vulgaris, terminus verò ad nostram Dialecticã pertinens, qui vocatur Logicus, est rationis pro formali, & sine termino à Doctoribus definitur.

3. Magister Sotus in præsenti sic terminum definiuit. *Terminus est vox significatiua ad placitum, ex qua simplex cõficitur propositio.* Quę definitio diminutè essentiam termini explicat; nam in præsenti definitur terminus in communi, vt abstrahens à vocali, scripto, & mentali; sed hæc definitio solum termino vocali adaptatur, vt ex se constat: ergo vt diminuta non est admittenda.

4. Quare Villalpãdus sic terminum definiuit. *Terminus est signum ponibile in propositione.* Quæ definitio contrario claudicat vitio;

nam conuenit verbo, quando per se non habet rationem extremi, sed medij nectentis extrema: ergo vt superabundans deficit.

5. Nec ei fauet Diuus Thomas 1. per hiermen. lect. 8. vbi explicans Philosophum, docet. *Qualibet pars orationis vocari posse nomine diffinitionis.* Idest, termini: nam Doctor Sanctus his verbis non concedit verbo titulum termini: cum verbum in oratione propriè non sit dictio, sed dictionis nexus.

6. Aristoteles deniq; sic. 1. priorum terminum diffinuit. *Terminum vero in quem resoluitur propositio tanquam in subiectum, & prædicatum.* Quæ diffinitio non est admittenda: tùm quia non solum cõuenit termino logico, & formali, de quo in præsenti; sed etiam grammaticali, seu materiali: tum quia Philosophus non expressit vltimam termini formalitatem, quæ datur per ordinem ad propositionis constitutionem, & nõ per ordinem ad illius resolutionem. Terminus namquè ex se, seu essentialiter non respicit resolutionem, quam per accidens tolerat, sed illius constitutionem, quam per se quærit: ratio est; nam nulla res valet per se respicere carentiam proprij esse; sed resolutio propositionis cum esse, seu existentia termini logici non compatitur; vtique quia vt ex dicendis infra, cap. 2. sequenti, nu. 2. constabit; signa extra propositionem non habent rationem termini: ergo terminus logicus per se solum respicit constitutionem simpliciter necessariam ad illius esse, seu existentiam.

7. Vt ergo ex omnibus clariorem proferam definitionem; sic terminum definio. *Terminus logicus est signum extremum simplicis propositionis.* Probatur. In hac diffinitioni conueniunt omnes conditiones bonæ definitionis: nam absque superfluitate, & diminutione explicat termini essentiam per proprium genus, & propriam differentiam: vtique quia per ly *signum* conuenit cum verbo; & per ly *extremi* ab illo differt; absque eo quod per ly *simplicis propositionis* assignetur eum superfluitate: nam per has particulas exprimitur compositum quod terminando constituit, vt sit ratio differendi à termino secundum quid propositionis cõpositæ, seu hypotheticæ: ergo prædicta definitio est bona, & essentialis; cũ detur per partes quidditatiuas; videlicet per proprium genus, & veram differentiam.

8. Nihilominus tamen impugnatur primo hac vulgari obiectione: hæc non *Blyclirs* simplicem constituit propositionem: ergo habet rationem termini logici. Antecedens vt certum ab aduersarijs supponitur: consequentia probatur. Terminus est ille qui est simplicis propositionis extremum; sed in hac propositione, *Blyclirs* est extremum huius propositionis simplicis: ergo habet ratio-

rationem termini logici. Respondeo distinguendo antecedens: cõstituit propositionem simplicem; materialiter, cõcedo antecedẽs: formaliter, nego antecedens, & consequentiã. Ad probationem distinguo maiorem: terminus est simplicis propositionis extremũ; formale, & significativum, concedo maiorem: materiale, & non significativum, nego maiorem: & minore distincta eodẽ modo; nego consequentiam. Nam propositio logica, & formalis distinguitur à materiali, seu grammaticali, in hoc, quod formalis exigit pro fundamento significationẽ; at vero materialis solum exigit rectam terminorum connexionem. Hæc solutio constat ex Philosopho. 1. Æthicorum. cap. 1. vbi docet: Logicum solum agere de terminis significativis: & tradit rationem his verbis. *Quia cum res non possit Logicus adducere in disputationibus, ideo vtitur vocibus vice rerum, vt illas cognoscamus.*

9. Sed dices in hac propositione *Blyfiri* est vox; ly *vox* prædicatur de subiecto, scilicet de *Blyfiri*, tanquam genus de specie; vtique quia *vox* se habet velut genus proximum ad voces significativas, & non significativas; sed propositio in qua genus prædicatur de specie est logica, & formalis: ergo termini ex quibus talis propositio constat sunt logici, & formales.

10. Pro solutionis captu nota primo, quod *Blyfiri* verbaliter entitative est qualitas vocalis, quę per modum generis participat prædicatum vocis, sicut cæteræ voces significativę illud participant.

11. Nota secundò quod sicut entitas vocalis reperta in hac dictione *Homo*: non explicatur per ly *Homo*, quæ solum hominis naturam explicat, seu significat; sed per ly hæc vox *Homo*: sic entitas vocalis reperta in hac dictione *Blyfiri* non explicatur per ly *Blyfiri*; sed per ly hęc vox *Blyfiri*.

12. Nota tertio quod in præsenti nõ loquimur de secunda intẽtione obiectiui termini, quæ in rebus reperitur, sed de viali, quæ in signis siue vocalibus, siue scriptis, siue mentalibus subiectatur: vnde entitas hominis in præsenti non est terminus logicus; sed vox *Homo*, quæ ducit in hominis entitatem.

13. Quibus suppositis dico: quod licẽt verum sit, quod in entitate verbali *Blyfiri* possint fundari intentiones generis, speciei, subiecti, & prędicati; tamen quia ly *Blyfiri* non fuit impositum ad significandam qualitatem propriam, ex qua essentialiter coalescit; nec aliam rem; ideo non est terminus vitalis; de quo in præsenti. Vnde prædicta propositio, *Blyfiri* est vox, est de subiecto non supponente verbaliter significative: quia, ly *Blyfiri* intellectus non venit in cognitionem entitatis voca-

lis in illa contentæ, nisi super addatur hæc particula *hæc vox, seu hæc qualitas vocalis Blyčiri*: in quo sensu libenter fateor habere termini vialis perfectionem: vtique quia cum hac additione fuit imposita ad significationem propriæ entitatis; sicut *Homo* cum additione huius particulæ, *vox*, vel cum additione huius, *Hæc qualitas verbalis*, constituta est ad significandam non entitatem hominis, sed qualitatem verbalem repertam in seipsa, præcipuè si formetur propositio his terminis, hæc particula verbalis *Homo*, est vox.

14 Nec obstat, quod significare, sicut repræsentare sit in ordine ad aliud. Nam vt significet aliud, sufficit, quod signum distinguatur in adæquatè à re significata; vt accidit in præsenti: nam res significata est qualitas verbalis reperta in voce *hominis*, vel *Blyčiri*: & signum significans; id est, cõplexum constans ex qualitate verbali *Hominis*, seu *Blyčiri*, & ex his particulis, *hæc vox*, vel *hæc particula*: & quod distinctio inadæquata sufficiat; constat ex eo, quod maior distinctio requiritur inter causam, & effectum, quã inter signum, & significatum: & tamen inter causam, & effectum sufficit inadæquata distinctio. Vt constabit in philosophia, lib. 2. disp. 3. q. 3. §. 5.. per tot.

15. Vnde in forma respõdetur ad argumentũ: distinguẽdo maiorem: in hac propositione *Blyčiri* est vox, ly vox prædicatur de subiecto; verbaliter entitatiue, concedo maiorem; vialiter significatiue, nego maiorem, & distinguo minorem: prædicta propositio est logica, & formalis obiectiue concedo minorem; vialiter nego minorem: & distinguo cõsequens: prædicti termini sunt logici, & formales; vialiter, nego consequentiam: obiectiuè concedo consequentiam. Itaq; in præsenti: *Blyčiri* excluditur à ratione termini logici; quia in Summulis non loquimur de terminis obiectiuis in rebus repertis; sed de vialibus in vocibus, vel in conceptibus significatiuis repertis: tum quia vt dixi ex phylosopho supra num. 11. Logicus in Summulis vtitur vocibus loco rerum. Tum quia vt ex dictis liquet, omnes definitiones Doctorum includunt rationẽ signi vialiter manu ducentis intellectum, in ordine ad obiectum, seu terminum obiectiuum: de quo disputatur à Doctoribus in Logica: & sic licet entitas verbalis in *Blyčiri* reperta possit per modum obiecti vltimi ad Logicum deseruire; tamen non potest per modum signi, quod est ad rationem termini logici, (de quo in presenti) requisitum.

16. Replicabis primo; quando prædictam dictionem, *Blyčiri* est vox, pronuncio; tunc verè loquor: ergo *Blyčiri* proprie est vox. Respondeo cõcedendo antecedens, & distinguendo consequens:

quens: *Blyttiri* est vox, verbaliter entitatiuè concedo consequentiam vialiter significatiuè nego consequentiam: nam tunc licet qualitas verbalis producatur, nõ tamen producitur vt signum ad placitum propriæ qualitatis verbalis; sicut quando homo producitur: licet producatur entitas hominis, quę vere sit animal rationale, non tamen producitur entitas hominis vt signum ad placitum proprię entitatis.

17. Replicabis secundo; terminus vocalis est terminus vialis; sed *Blyttiri* est terminus vocalis: ergo est terminus vialis. Respõdeo distinguendo maiorem: terminus vocalis est terminus vialis, terminus vocalis qui exercet munus proprium nominis concedo maiorem: qui non exercet munus proprium nominis, sed entitatis, nego maiorem: & distinguo minorem *Blyttiri* est terminus vocalis materialis, & nõ significatiuus concedo minorem: formalis, & significatiuus nego minorem, & consequentiam. Nã vt sit terminus vialis non sufficit quod sit vox, sed vlterius requiritur quòd sit vox exercens munus proprium nominis, quòd est significare.

18. Obijcies secundò, & principaliter contra definitionẽ termini à nobis datam. Per illã verbalis vnio nõ excluditur à ratione termini logici; vtiquè quia potest poni vt signum extremum propositionis simplicis; vt in hac, homo animal est: in qua verbum habet rationem extremi: ergo verbum non excluditur à ratione termini logici. Respondetur tur negando antecedens: ad probationem distinguo antecedens: potest poni vt signum extremum per accidens cõcedo antecedẽs: per se nego antecedens, & consequentiam. Nam verbum per se non est extremum, sed extremorum vnio, & medium, quod ex natura sua dicit oppositionem cum extremo per se: vnde ad rationem termini non sufficit, quòd per accidens ex voluntate loquẽtis sit extremum; sed quòd ex se sit extremum; non aliter ac vt aliqua qualitas habeat rationẽ habitus, non sufficit, quod per accidens sit difficilis mobilis à subiecto, sed quôd ex se, seu ex natura sua sit difficilis mobilis ab illo.

19. Replicabis: in hac propositione: *amo est verbum primæ coniugationis*; verbum *amo* per se habet rationem extremi logici: ergo verbum non solum per accidens, sed per se est terminus logicus. Respondetur: quod verbum valet se haberi dupliciter: primo, vt est extremorum nexus, seu vnio: secundò, vt habet propriam significationem alia vnione, seu nexu de facto vnitam: in prima acceptione non simpliciter; sed solum secundum quid valet obtinere rationem termini; secùs verò in secunda: in qua pro

cedit argumentum: ratio est: nã tunc solum materialiter se habet ratio copulę, & formaliter dicit significationẽ, quę est proprium termini logici fundamentum. Nõ quiescs: implicat quòd eadem res sit ex se medium, & extremũ: vtique quia sunt rationes ex se omnino diuersę: ergo implicat, quòd verbum valeat per se obtinere essentiam termini. Respondeo, distinguendo antecedens: implicat, quòd eadem res sit ex se medium, & extremum, secundum eandem formalitatem, concedo antecedens: secundum diuersam formalitatem, nego antecedens, & consequentiam. Nã in terminis in quibus solum attenditur ad modum significandi, eadem res vt significãs valet esse terminus; & vt nectens valet esse verbum absque aliqua repugnãtia: quia illæ rationes nõ sunt repugnantes, sed disparatæ, & sic valet in eadem reperiri entitate. Hac solutione respondendum est ad aliud argumentum, quod fit de verbo, quod habet participiũ inclusum; vt in hac: *Petrus amat*, in qua verbum habet rationem termini, non ratione sui, sed participij implicitè inclusi.

20. Obijcies tertio contra nostram termini definitionem: Aduerbium valet habere rationem extremi, vt in hac, *velociter est modus*: ergo & termini. Respondet distinguendo antecedens: Aduerbium valet habere rationem extremi propriè, & simpliciter, nego antecedens: improprie, & secundum quid; iterum sub distinguo ratione propositæ materiæ impropriè materialiter concedo antecedens; impropriè formaliter nego antecedens, & consequentiam in eodem sensu: nam cum aduerbium ex se solum impropriè significet, ideo solum impropriè valet obtinere rationem extremi, & terminandi: (vt videbis infra in diuisionibus termini vt sic: cap. 6. num. 4. At vero in propositione obiectionis aduerbium *velociter*, non habet nec impropriè rationem termini formalis, sed solum materialis: quia in illa non supponit pro alio, sed pro se: vt supponit *homo*, in hac, *Homo est vox*.

21 Obijcies quartò: hæc definitio conuenit propositioni: ergo alijs à definito. Probo antecedens: propositio simplex potest se habere, vt extremum alterius simplicis propositionis: vt in hac; *Homo est animal, est verum*: ergo termini definitio conuenit propositioni. Huic obiectioni solet responderi distinguendo antecedens: conuenit propositioni per accidens, cõcedo antecedẽs: per se nego antecedens: ad probationem distinguo antecedens eodem modo; & nego cõsequentiam. Nam propositio simplex ex se habet rationem totius; & ideò vt pars per se non potest ad aliud ordinari, quod est ad rationẽ per se termini logici simpliciter necessarium. Confirmant hanc solutio-

lutionem Doctores tam in rebus naturalibus, quàm in artificialibus: quia homo habet per se rationem totius, ideò per se nó valet ordinari ad constitutionē alterius: & in artificialibus, quia cathedra per se habet rationem totius, ideo per se non valet ordinari ad alterius cōstitutionem.

22. Sed hæc solutio non placet: nam non implicat, quod totum rationis specificatiuè acceptum induat rationem partis incompletæ in ordine ad aliud totum per se rationis: vt videre est in genere, quod totum rationis est; & tamen respectu definitionis valet induere secundam intētionem partis: ergo ex eo quòd propositio cathegorica sit totū, non sequitur, quòd non valeat induere secundam intentionē partis, seu termini, respectu alterius cathegoricæ. Nec exempla aliquid probant: nam nec in naturalibus, *homo*; nec in artificialibus, *cathedra* valent ordinari ad tertium, quod per se sit totum; sicut valet per intellectum ordinari vna propositio cathegorica ad tertium, quod per se habeat rationem totius: sed de hoc latius infra in prædicamento quantitatis. Disp. 5. q. 3. §. 3. n. 5. vbi constabit vnam speciem completam quantitatis, scilicet, *lineam*, esse respectu alterius completæ, scilicet, respectu superficiei, nexus, seu vinculum; quod ex se imperfectius est parte. Si ergo id quod completum est valet respectu tertij per se habere rationem vinculi, cur non rationem partis?

23. Quare aliter ad obiectionem respondetur: distinguendo antecedens hęc definitio conuenit propositioni secundum munus termini, concedo antecedēs: secundum munus propositionis, nego antecedens, & consequentiam. Ad probationem distinguo antecedens: propositio habet rationem extremi, secundum munus termini, vel vt induit secundam intentionem termini concedo antecedens: secundum munus propositionis, vel vt seruat secūdam intentionem propositionis nego antecedens, & consequentiam. Nā vt constabit infra. Disp. 1. q. 3. Logicę per totā. Vna species completa per se attacta à Logica valet per accidens, & ex indigentia alterius tertij induere secundam intentionem partis: vt videre est in genere; quod per se attingitur à Logica vt species completa; & tamen per accidēs, & ex indigentia definitionis attingitur per accidens vt pars illius: haud aliter in præsenti.

CAPVT II.

An voces extra propositionem munus termini exerceant?

1. QVod in hoc capite inquirimus est, an hæc vox *Homo* v. g. solum habeat rationem termini logici, dum intra propositionem existit: an vero antece-

denter ad actualem propositionis compositionem sit in illa ratio formalis, & essentialis termini cõsistens in potentia ad actualem propositionis constitutionem?

2. Ad quod resolùtorie dico voces extra propositionem non habere rationem termini logici. Pro hac stant complutenses in præsenti: & probatur ab illis his rationibus. Prima; quia terminus est signum extremum propositionis; sed antecedẽter ad hoc, vt *Homo* v. g. sit in propositione non est extremum illius: ergo antecedenter ad propositionem nõ habet rationem termini logici.

3. Secunda: si antecedenter ad actualem propositionis compositionem voces haberent rationẽ termini; eadem vox esset simul subiectum, & prædicatum; hoc non potest dici: quia terminus constituitur per subiectum, & prędicatum, tanquam per species proprias: ergo antecedẽter ad actualem propositionis compositionem non datur ratio termini. Probo sequelam: nam hæc vox *Homo*, v. g. extra propositionem est in potentia ad relationes subiecti, & prædicati; vtiquè quia determinatè non est subiectum, nec prędicatum: ergo erit vtrumque in potentia.

4. Licet istę rationes aliqualiter nostram probent conclusionem nihilominus speciali, & efficaci ratione illam probo: vt aliqua vox formaliter sit terminus, opus est, quod sit signum extremum simplicis propositionis; hoc est, quod sit pars actualis simplicis propositionis, vel quòd ad illam proximè ordinetur; sed vox extra propositionem existens, nõ est pars actualis propositionis, vt ex se constat; nec ad illam proximè ordinatur: ergo vox extra propositionem existens, non est terminus formalis, sed solum radicalis, seu remotus. Probo minorem: vox extra propositionẽ non est subiectum, nec prædicatum, vt aduersarij admittunt: ergo ad propositionem proximè non ordinatum. Probo consequẽtiam: solum valet ad aliquod totum ordinari proximè id quod in composito est pars totius; sed solum subiectum, & prædicatum sunt partes definitionis, vt propositionis; vt ex definitione à Philosopho, & à nobis tradita constat: ergo solum subiectum, & prędicatum valent ad illam proxime ordinari: atqui vox extra propositionem non habet subiecti, nec prædicati perfectionem: ergo extra propositionem ad illam non ordinatur: ergo extra illam non obtinet rationem termini formalis; sed ad summum radicalis, seu remoti. Confirmatur: solum valet ad totum compositum proximè ordinari id quod est totius forma, vel materia; sed respectu propositionis, materia est subiectum, & forma prædicatum: ergo solum subiectum, & prędicatum valent ad propositionem,

tionem ordinari: sed voces extra propositionem existentes nō habent rationem subiecti, nec prædicaci: ergo voces extra propositionem non possunt ad illam ordinari: ergo non habent rationem termini formalis.

5. Probatur secundo: relatio termini formalis cōstitutiua, (vt constabit ex dicendis infra q. 3. proœmialiū Dialecticæ, §. 6. n. 17.) resultat in extremis vnitis: ergo vnio extremorum, seu compositio propositionis est necessaria ad secundam intentionem termini formalis.

6. Nec valet dicere; quòd terminus vt sic abstrahit à secundis intentionibus subiecti, & prædicati in extremis vnitis resultantibus. Nō valet: nam licet verum sit quod conceptus termini radicalis, seu remoti abstrahat à conceptibus quasi specificis subiecti, & prædicati; sicut abstrahit conceptus vt sic partium à parte formali, & materiali entis naturalis; tamen ratio formalis termini non reperitur nisi in conceptibus specificis subiecti, & prædicati; sicut nec conceptus partis formalis entis naturalis non reperitur nisi in conceptibus quasi specificis materiæ, & formæ.

7 Et vt solutionem intelligas, nota: quòd ly *terminus* valet accipi vel pro parte vt sic propositionis, quæ abstrahit à materiali, & formali ipsius; vel pro parte propositionis quæ seruat formalitates subiecti, vel prędicati, seu materiæ, & formæ: in primo tamen sensu solum est terminus remotus; & in secundo tātum proximus, & formalis. Ratio est: nā ratio termini formalis consistit in immediata, & proxima terminatione, seu in extremo immediato, & proximo propositionis; sed hæc proxima terminatio non datur in conceptu termini vt sic à rationibus subiecti, & prædicati abstracti: cum terminus vt sic non terminet, nisi medijs rationibus specificis subiecti, & prędicati: ergo in termino vt sic abstracto à subiecto, & prædicato non saluatur ratio termini formalis. Confirmatur hæc ratio: formalitates specificæ subiecti, & prædicati ex se terminant immediatè propositionem, & formalitas termini vt sic solum ratione harum: ergo ex se hæc ratio termini abstracta sōlum est terminus radicalis, & remotus. Cōstat hæc ratio à simili in partibus entis naturalis; nā conceptus partis vt sic abstractus à materia, & forma non habet ex se, sed solum ratione materiæ, & formę componere proximè, & formaliter ens naturale.

8. Obijcies primò: iuxta communem Dialecticorum pro loquium, verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem: ergo vt vox sit terminus non est opus quòd actu terminet propositionem, sed tântum quòd illam extra propositionem valeat terminare: ergo extra propositio-

nem habet rationem termini proximi. Respondetur: distinguendo axioma: verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem; quando actus non est de essentia rei definitę, concedo antecedens: quando est, nego antecedens, & consequentiam. Nã definitio solum explicat, quòd est de essentia rei definitę; & cum regulariter essentia omnium rerum sit potentia, & non actus; ideo dixit Philosophus, quòd verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinẽ. Cum hoc tamen stat, quòd aliquando alicuius essentia rei sit actus; vt videre est in Deo; qui propter summam sui esse perfectionem, illius quidditas est actus; & in relatione, & vnione propter oppositam rationem.

9. Obijcies secundo: terminus essentialiter est pars propositionis: ergo accidit illi actu componere propositionem. Probo consequentiam: pars vt pars sufficiẽter intelligitur cõstituta per hoc solum quòd posit totum componere: vt liquet in partibus entis naturalis: videlicèt in anima rationali, quę essentialiter est pars hominis antecedenter ad actualem hominis compositionem: ergo nõ dissimiliter vox etiam erit pars formalis propositionis antecedenter ad actualem propositionis constitutionem. Confirmatur: antequam vox *Homo* v.g. actu constituat propositionẽ intelligitur vt potens constituere propositionem; vtique quia antequam intelligatur actus, intelligitur potentia ad illum: ergo antequam intelligatur in propositione, intelligitur vt terminus formalis, vel vt pars formalis, & proxima propositionis. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ad probationem distinguo antecedens: pars vt pars sufficienter intelligitur constituta per hoc quòd possit componere proximè, & formaliter concedo antecedens: remotè, & radicaliter nego antecedens, & consequentiam. Nam vox à propositione extracta non seruat formæ, nec materiæ rationes, sicut seruant partes entis naturalis: & idèo pars entis naturalis, videlicet anima est formaliter pars antequam ens naturale constituat: & vox extra propositionem non est pars antequam illam constituat. Ad confirmationem respõdeo: distinguendo antecedens: antequam constituat intelligitur vt potens constituere propositionem radicaliter cõcedo antecedens: formaliter iterum sub distinguo antecendens: intelligitur vt potens formaliter, si formalitas constituens sit ante actualem constitutionem concedo antecedens: si non sit ante actualem constitutionem nego antecedens, & consequentiam. Ad probationẽ inclusam, distinguo antecedens: actus supponit potentiam in rebus quæ habẽt perfectionem primi, & secundi actus con-

concedo antecedens: in rebus quæ solum habent perfectionem actus secundi nego antecedens, & consequentiam; propter dicta in vltima ratione: nam vox *Homo* intra propositionem solum dicit rationem dictionis significatiuæ; quæ tantum se habet, vt fundamentum ad rationem specificam termini formalis; cuius essentia est de genere actus secundi, & sic propriè non datur in illo formalitas potentiæ.

10. Obijcies tertio: terminus vt ad primum pertinens librum ad primam spectat operationem: ergo non valet actu; sed aptitudinaliter solum constituere propositionem. Antecedens, vt certum supponitur ab aduersarijs. Consequentia probatur: terminus vt actualiter constituens propositionem, non ad primam, sed ad secundam spectat operationem; vtique quia terminus intra propositionem dicit de formali compositionem, seu diuisionem: ergo vt terminus spectet ad primum librum, non debet actualiter, sed solum aptitudinaliter cõstituere propositionem.

11. Quidam doctissimus nostræ familiæ respondit: distinguẽdo antecedens: terminus spectat ad primam operationem formaliter, quatenus terminus est, negat antecedens: materialiter, seu fundamẽtaliter, quatenus dictio significatiua est, concedit antecedens; & negat consequentiam: nam vox *Homo* v. g. vt exprimit rationem termini formalis, dicit de formali compositionem.

12. Sed hæc solutio non placet: tum propter termini, nedum fundamẽtaliter, sed formaliter sũptisimplicitatem: tum propter ea quæ dicenda sunt in Logica, Disp. 1. q. 3. concl. 2. §. 6. n. 20.

13. Quare vt consequenter loquamur; respondendum est; concedendo antecedens; & negando consequentiam: nã hæc vox *Homo* vt existẽs in propositione per modum subiecti, seu prædicati valet bifarie accipi: primo, vt respicit aliam vocem propositionis per modum compartis: secundò, vt illam respicit per modum puri termini: in prima acceptione non est formaliter, sed fundamentaliter terminus: & vt sic ad primam non spectare operationẽ libenter fateor: in secunda verò vere, & formaliter est terminus ad primam spectans operationẽ: nam tunc absque affirmatione, & negatione ad iudicium formaliter spectans subiectum respicit, vel prædicatum, tanquam purum terminum. Sed de hoc latius in Logica, loco supra proximè citato.

CAPVT III.

De signo, & illius speciebus.

1. VT amplius essentia termini dignoscatur, sciendum venit, quid sit signum, vel in quo illius consistat essentia. Signum

num ergo quod est fundamẽtum ad secundam termini intentionẽ, seu rationem atomam specificam illius, *est quod potentiæ cognoscitiuæ aliquid aliud à se repræsentat.* Vt imago Philippi Quarti Magni, Philippum Quartum Magnum signat, seu repræsentat. In hac ergo definitione ly *Repræsentat*, ponitur loco generis: nam in illa conuenit cum obiecto quod facit seipsum præsens potentiæ. Ly *Potentiæ cognoscitiuæ*, intelligitur de omni tam hominum, quam brutorum. Ly *aliud à se*, ponitur loco differentię: nam per hoc differt ab obiecto, quod se ipsum repręsentat. Vnde ad rationem signi opus est, quòd distinguatur in natura à signato, & quòd ab illo dependeat ordine reali, vel rationis.

2. Ex hoc colliges cum Summulistis, vnum simile nõ esse propriè signum naturale alterius similis secundum naturam; videlicet vnum hominem non habere respectu alterius hominis rationem signi. Primo, quia ly *aliud* in definitione appositum designat alietatem in esse; sed vnum simile respectu alterius non habet alietatem in essentia: ergo vnum simile non est signum naturale alterius habentis eãdem naturam. Secundò, quia inter duo æqualia in eãdem specie non datur per se dependentia, quę essentialiter requiritur inter signum, & signatum: vtiqnẽ, quia vnus homo v. g. solum dependet ab alio homine per accidens, & in fieri; non vero per se, & quo ad essentialia, vt docet Diuus Thomas. 5. de potentia. a. 1. in corpore. His verbis. *Secundum hoc ergo esse rei facta dependet à causa efficiente, secundum quod dependet ab ipsa forma rei facte. Est autem aliquod efficiens, à quo forma rei factæ non dependet per se, & secundum rationem, sed solum per accidens: sicut forma ignis generati ab igne generante: per se quidem, est, & secundum rationem suæ speciei non dependet: cum in ordine rerum eundem gradum teneat:* ergo inter duo similia in natura specifica nõ dantur rationes signati, & signi naturalis.

3. Nec valet dicere, quòd inter duo æqualia secundum speciẽ datur similitudo specifica, cum diuersitate indiuiduali. Non (inquam) valet; nam diuersitas debet esse de formali, & per se, & nõ de materiali, & per accidens; qualis est, quæ datur in vnitate materiali: vnde effectus causæ ęquiuocæ erit signum naturale suæ causæ, etiam si vniuoca non sit: nam ille effectus formaliter dependet à sua causa, etiam si iste solum per accidens à sua dependeat.

4. Diuiditur ergo signum prima sui diuisione in signum naturale, ad placitum, & ex consuetudine; naturale est, quod ex natura sua aliquid aliud à se repræsentat; vt fumus ignem: ad placitum est, quod ex libera hominum impositione, non priuata, sed authen-

thentica aliquid aliud â se repræsentat: vt vox *Homo*, quæ ex libera Adami impositione hominem signat; non secus ac palma victorem, toga Magistrum, ex libera Reipublicę impositione signant: signum ex cõsuetudine est, quod ex vsu hominum aliquid aliud à se representat, vt canis Dominum.

5. Rursus diuiditur signum, in signum formale, & instrumentale: formale est, quod immediatè repræsentat signatũ, ideſt, quod deseruit ad cognitionem signati absque præuia alterius signi cognitione: vt species expressa hominis, immediatè repręsentat hominem. Instrumentale verò est, quod præexistẽte cognitione sui aliquid aliud à se repræsentat; vt imago Imperatoris Imperatorẽ repræsentat. Hoc signum fuit definitum ab Augustino 2. libr. de doct. christia. dum dixit: *Signum est, quod præter speciem, quam ingerit sensibus facit nos in alterius cognitionem venire.* Ex quo colliges duas cognitiones esse necessarias ad signum instrumentale; vnam, qua cognoscitur signum; & aliã, qua cognoscitur signatum: ad signũ verò formale tantum requiritur vna cognitio, quæ immediate tẽdit ad signatum, media signi intelligibilitate.

6. Obijcies primo; signum formale propriè non habet rationẽ signi: ergo non diuidit signum vt sic. Consequentia est certa. Antecedens probatur: signum formale non ponit in numero cũ suo signato; vtique, quia est eiusdem naturæ numericæ, & specificę cũ illo, ergo proprie non habet rationem signi. Hæc consequentia probatur: de ratione signi est, quod repræsentet aliud à se; sed signum formale non repræsentat aliud à se: ergo proprie non habet rationem signi. Respondetur negando antecedens: ad probationem distinguo antecedens: nõ ponit in numero cum suo signato in modo habendi naturam nego antecedens: in natura habita cõcedo antecedens, & nego consequentiam: nam licet eadem natura sit in specie expressa, & in obiecto ab illa signato; tamẽ est diuersimòde quoad modum habendi illam: nam in specie est in esse intentionali; & in obiecto in esse naturali: quod sufficit, vt illud repræsentet, & signet; & vt sit aliud à repræsentato, seu signato.

7. Obijcies secundo: signum essentialiter est imperfectius suo signato, vt manifestat depẽdentia; sed signum formale perfectiꝰ est signato; vtique, quia signum formale, seu conceptus mentis semper est spiritualis, & res concepta aliquando est materialis, & corporea: ergo signum formale perfectius est signato: ergo propriè non habet rationem signi. Respondetur: concedendo maiorem, & negando minorem: ad probationem concedo antecedens; & nego vtramque conse-

quen-

quentiã: nã licet absolute loquẽdo intra lineam entis, modus spiritualis repertus in signo formali perfectior sit modo corporali, seu materiali reperto in re sensibili concepta; tamen relatiue ad rem corpoream imperfectior est modus spiritualis modo materiali, & sensibili; quia res corporea ex se exigit per modum prædicati connaturalis materialitatem: nõ aliter, ac licet in linea, motus per se fortior sit motus à se, quàm motus ab alio, tamen respectu lapidis, perfectior est motus ab alio; quia lapidi est talis connaturalior.

8. Obijcies tertio: signum mediat inter potentiam, & signatum; sed conceptus mentis, seu species expressa quæ per nos habet rationem signi formalis, non mediat inter potentiam, & signatum; cum conceptus mentis non ponat in numero cum re cõcepta: ergo signum formale propriè non habet rationem signi. Respondetur: cõcedo maiorem: & nego minorem: nam cõceptus mentis mediat per modum termini non vltimi, inter potẽtiam, & rem conceptam, quę habet titulum termini vltimi. Nec obstat: quod ex conceptu, & ex re cõcepta fiat vnũ in linea intelligibili: nã intellectus medio conceptu venit in rem conceptam in se.

9. Inquires primò pro complemento capitis: an intellectio sub munere actionis sit signum formale? Ad quod respondeo negatiue cum perioribus Thomistis. Ratio est: nam signum formale est medium in quo potẽtia percipit signatum; sed intellectio vt exercet munus actionis, non est medium in quo, sed tantum vialis tendentiæ, qua potentia intellectiua in actu secundo constituta percipit in specie expressa, seu in conceptu mentis rem conceptam: ergo intellectio sub munere actionis nõ exercet rationem signi formalis. Et confirmatur: signum est de linea obiecti; vtiquè, quia manuducit potentiam ad signati perceptionẽ: ergo intellectio quæ est de linea potentiæ, & perceptio signati in signo non est signum formale.

10. Ex hac ratione cum sua cõfirmatione constat speciem impressam sub munere speciei impressæ non exercere munus signi formalis: nam species impressa sub munere speciei impressæ solum habet determinare potentiam, eamque cõstituere in actu, in ordine ad elicientiam actus; sed hæc sub tali munere non manuducit potẽtiam ad signati perceptionem: ergo hæc sub tali munere non exercet munus signi formalis. Maior ab omnibus admittitur. Minor est certa: nã id quod manu ducit potentiam supponit illam in actu. Consequentia probatur: id quod exercet munus signi formalis est de linea obiecti, & non de linea potentiæ; sed determinatio potentiæ est de linea

nea potentiæ vt sic, non deseruiēs vt medium in quo percipiat potentia signatum: ergo vt sic non exercet munus signi formalis.

11. Consulto dixi, *sub munere speciei impressæ*: nam si species impressę cognoscatur à potentia intellectiua per cognitionem reflexam, tunc absque dubio exercebit munus signi; cum in tali acceptione se habeat vt obiectum cognitionis reflexæ: non aliter ac intellectio considerata per alium actum exercet munus signi: quia tunc non se habet vt actio, sed vt obiectum; sed tunc non erūt signa formalia, sed instrumentalia; quia tunc non se habent vt medium in quo cognoscitur signatum, sed vt medium per quod venit intellectus in alterius cognitionem.

12. Ex quo clare colliges primò distinctionem signi formalis, & instrumentalis: nam signum formale solum se habet vt mediū in quo cognoscitur signatum; & nō vt ex signo, & ex signato fiat, vnum in esse intelligibili: at verò signum instrumentale se habet, vt medium per quod venit potētia in alterius cognitionem: & ideo dixi supra num. 5. quod in instrumentali signo sunt duę cognitiones necessariæ, vna quæ præexistat in ordine ad signum, & alia quę subsequatur in ordine ad signatum.

13. Colliges secundò omne signum instrumentale includere formale: nam species expressa, seu verbum mētis deseruiens ad cognitionem signi exercet munus signi formalis, cū in illo cognoscatur tanquam in medio in quo id quod manu ducit intellectum ad alterius rei cognitionem.

14. Obijcies primò, actus intellectus, & species impressa sub formalitatibus proprijs sunt formæ intrinsicæ manuducentes intellectum in ordine ad intellectionem sui obiecti: ergo exercent munus proprium signi formalis. Respondeo, distinguendo antecedens: actus intellectus, & species impressa sub formalitatibus proprijs sunt formæ intrinsicæ manuducentes intellectum in ordine ad intellectionem sui obiecti, per modum medij *quo*, concedo antecedens: per modū medij *in quo*, nego antecedens, & cōsequentiam: nam actus intellectus solum est medium, seu via quo, vel qua percipitur obiectum; non verò medium in quo percipitur; cum potētia intellectiua per speciem impressam determinata, & per intellectionem constituta in actu secundo manuducatur à cōceptu mentis in ordine ad obiecti cognitionem.

15. Obijcies secundo: de ratione signi (vt ex illius definitione constat) solum est aliud repræsentare; sed species impressa sub munere proprio est formalis similitudo obiecti: ergo species impressa sub tali munere est signum formale. Respondetur; distin-

tinguendo maiorem; de ratione signi solum est aliud repræsentare, per modum obiecti manu ducentis potentiam, concedo maiorem: per modum principij determinantis illam, nego maiorē: & distinguo minorem: sed species impressa sub munere proprio est formalis similitudo obiecti, per modum principij fœcundantis, & determinantis potentiam, concedo minorem: per modum obiecti manifestantis obiectū potentiæ, nego minorem, & consequentiam. Nam repræsentatio requisita ad signum est repræsentatio manifestans obiectum potentiæ, quæ non datur in specie impressa, cùm non manifestet obiectum potentiæ, sed solum vniat obiectum potentię, vt pariat notitiam percipientem obiectum in conceptu, seu verbo mentis tanquam in signo formali proprio, & vero.

16. Ex dictis aperte liquet solum conceptum mentis, seu speciem expressam, sub munere speciei expressæ obtinere rationem signi formalis: nam sola ista sub tali munere est de linea obiecti, habens se vt medium in quo percipitur res concepta: ergo sola ista exercet vt sic munus signi formalis.

17. Inquires secundo: an obiectum motiuum tantum coincidat per viam rationis formalis cum signo instrumētali? Ad quod affirmatiue respondeo: & ratio est; nam obiectum motiuum tantum, (vt ex definitione à Summulistis tradita, constat:) *est quod mouet potentiam ad formandam notitiam non sui, sed alterius repræsentatiuam*: sed signum instrumentale, (vt etiam constat ex definitione tradita ab Augustino loco supra citato, nu. 5.) *est quod facit nos in alterius cognitionem venire*: ergo obiectum motiuum tantum formaliter coincidit cum signo instrumentali.

18. Obijcies primo: obiectum motiuum tantum per se, & formaliter, seu per modum termini vltimi solum respicit potentiam, quam mouet ad alterius cognitionem; sed signum instrumentale per se, & formaliter, seu per modum termini vltimi respicit signatum: ergo obiectum motiuum tantum non coincidit formaliter cum instrumētali signo. Respondetur; negando maiorē: nam obiectum motiuum tantum formalissimè, & in recto per modum differentiæ proprię non respicit potētiam quam mouet; sed obiectum, ad quod mouet: licet per modum generis illam respiciat: nam obiectum motiuum tātum cōnenit cum motiuo, & terminatiuo simul in hoc, quòd est mouere potentiam; & differt ab illo, in hoc, quòd motiuum tantum mouet potentiam cum ordine ad aliud; at vero terminatiuum, & motiuum simul illā mouet, & terminat absque ordine ad aliud: & sic motiuum tantum habet in recto, & per modum termini

mini vltimi, & formalis tendentiam in ordine ad aliud.

19. Nec valet dicere, quòd obiectum motiuum tantum nõ constituitur essentialiter per tendentiam ad aliud, sed per negationẽ non terminandi; non aliter, ac superficies constituitur in suo esse per negationem profunditatis. Non (inquam) valet, nam omnis negatio consequitur ad ens positiuum, & sic negatio non terminandi fundatur in tendentia in ordine ad aliud, tanquam in aliquo constitutiuo, & distinctiuo obiecti motiui tantum: nec eis fauet exemplum, nam superficies non cõstituitur in suo esse essentiali per negationem profunditatis, sed per latitudinem, & longitudinem positiuas, quas in se præhabet antecedenter ad carentiam profunditatis.

20. Obijcies secundo: omne signum est imperfectius signato, sed obiectum motiuum tantum multoties est perfectius re, ad quã mouet; vtique, quia ens reale monet intellectum ad cognitionem entis rationis, & Deus ad creaturas cognoscẽdas, ergo obiectum motiuũ tãtũ nõ coincidit formaliter cũ signo instrumẽtali. Respõdeo concedendo maiorem, & negando minorem, loquẽdo de obiecto motiuo propriè accepto, nam obiectum motiuum propriè acceptum est illud, quod ex vi subordinationis, & dependentię respicit aliud, ad quod mouet, non vero illud, quod ex vi cognitionis tantum habet esse absolute independens: vnde propriè loquẽdo, nec Deus respectu creaturarum, nec ens reale respectu entis rationis exercent rationẽ obiecti motiui tantum, licet ratione connexionis valeant impropriè vocari signa, & obiecta motiua tantum.

21. Inquires vltimo, an in Angelis habeãt locum signa instrumentalia? Ad quod respondeo affirmatiuè. Ratio est: nam respectu intellectus angelici valet dari obiectum quod moueat, & excitet illum ad alterius rei cognitionẽ, tum, quia dũ vnus Angelus alteri loquitur per manifestationẽ sui cõceptus, cõceptus Angeli loquentis mouet ad obiectũ per talẽ cõceptum repræsentatũ: tum quia valet cognoscere aliquod obiectum, ex quo excitatur ad cognitionem alterius actu ab illo non cogniti, ergo signa instrumentalia verè, & propriè habent locum in intellectu angelico.

22. Obijcies (vt ex dictis constat) in signis instrumentalibus debent dari duę cognitiones, vna terminata ad signum, & alia ad signatum, ita vt vna ex alia sequatur per modum illationis discursiuæ, sed illatio discursiua repugnat Angelo, ergo & signa instrumentalia ei repugnant. Respondeo distinguendo maiorem, in signis instrumentalibus debẽt dari duæ cognitiones formaliter, vel virtualiter distinctæ, concedo maiorẽ, formaliter distinctę,

nego maiorem, & distin guo minorem, illatio discursiua repugnat Angelo, illatio discursiua formalis, concedo minorem, obiectiua, nego minorem, & consequentiam, nam ad rationem signi instrumentalis sufficit discursus obiectiuus cõsistẽs in eo, quod ex parte obiecti vna res cognoscatur ex alia, etiam si ex parte actus non detur distinctio formalis actuum.

23. Nec valet dicere, quod in Deo datur discursus obiectiuus, absque eo, quòd detur in eo aliquid, quòd exerceat munus signi instrumentalis. Non (inquam valet) nam Deus omnia simul cognoscit in actu, & sic nõ valet moueri ex vno obiecto ad alterius obiecti cognitionẽ, etiam si respectu illius valeat assignari obiectiuus discursus.

CAPVT IV.

De diuisione termini in mentalem, vocalem, & scriptum.

1. TRadita iam aliqua notitia de termino in communi, accedimus ad primam illius partitionem, vt facilius intelligas ea, quæ ad terminum in particulari spectant.

2. Terminus ergo ex parte materiæ remotæ diuiditur primò in mentalem, vocalem, & scriptum. *Mentalis est conceptus mentis, qui per modum signi extremi mentalem constituit propositionem. Vocalis est signum extremum vocale propositionis vocalis. Scriptus est signum scriptum propositionis scriptæ.* Hæc diuisio est formę accidentalis in diuersa obiecta, nam eadem forma termini reperitur in termino mẽtali, vocali, & scripto: non aliter, ac in artificialibus eadem formà cathedræ reperitur in cathedra ferrea, & lignea.

3. Huius diuisionis ratio assignatur ex eo, quòd in intellectu formamus propositionem, deinde illam formatam, vocibus, præsentibus declaramus, & scriptura, absentibus, ad hoc enim sunt inuentæ voces significatiuę, vt ea, quæ in anima retinemus præsentibus manifestentur, & scripturæ sunt adinuentæ, vt ea absentibus fiant manifesta: & si quæ sunt alia signa, quibus conceptus mentis manifestentur, si præsentibus deseruiant, debent reduci ad terminum vocalem, si verò absentibus deseruiant ad terminum scriptum.

CAPVT V.

De diuisione termini mentalis.

1. TErminus mentalis prima sui diuisione solet diuidi in formalem, & obiectiuum: *formalis sumitur à Thomistis pro actu intellectus, & pro conceptu mentis, seu specie expressa: obiectiuus verò pro obiecto à formali repræsentato.*

2. Sed hęc diuisio nullatenus debet admitti à peritioribus Thomistis;

mistis, nam ipsi docent actus intellectus prout exercent munus actionis non habere rationem signi. Ita Ioannes à Sãcto Thoma, & Didacus Ortiz in præsenti, ergo actus intellectus, prout exercent munus actionis, nõ possunt habere rationẽ termini. Antecedens ab illis admittitur, tum quia actus intellectus non est de linea obiecti: tùm quia non mediat inter obiectum, & potẽtiam in actu secundo cõstitutam: tum quia non ducit potẽtiam in cognitionem obiecti signati. Consequentia probatur, non aliaratione voces non significatiuæ excluduntur à ratione termini logici, nisi quia non habent rationem signi; sed in opinione peritorum Thomistarum, actus intellectus provt exercent munus proprium actionis non habent rationem signi: ergo nec termini.

3. Quare terminus formalis debet accipi pro conceptu mentis, seu specie expressa; & obiectiuus pro obiecto in specie repræsentato, de quo non disputatur in hac summa; vt dixi supra cap. 1. num. 18.

4. Diuiditur ergo conceptus mentalis formalis (sumptus pro specie expressa, quæ propiè habet rationem signi, & termini,) in terminum non vltimum, & vltimum: non vltimus est, qui deseruit ad vocis cognitionem, in quo non quiescit intellectus: vltimus est, qui deseruit ad cognitionem rei significatæ per vocem, in quo quiescit intellectus. Dicitur primus nõ vltimus, ex eo quod non transit ad cognitionem rei significatæ per vocẽ, sed sistit in solius vocis cognitione. Secundus vero dicitur vltimus, ex eo quod progreditur in cognitionem rei significatæ per vocẽ, mediãte vocis cognitione vt cum quis audit hanc vocẽ *Homo* prius percipit sonum, & vocem, & mediante illa progreditur ad cognitionẽ hominis, constat hoc ex perientia, nam si quis ignarus latini sermonis audiat hanc vocem *Homo* solum formabit conceptum vocis, non verò rei significatæ per vocem; si autem postea instruatur in lingua latina formabit conceptum, ne dum vocis, sed etiam rei significatæ per vocem. Sed hæc diuisio à pluribus Modernis non admittitur, quia existimant non vltimum, vt ab vltimo distinctum, non esse formaliter signum.

5. Hæc tamen ratio non aufert à conceptu non vltimo rationem termini logici, nam licet conceptus vocis non repræsentet rẽ per vocem significatam, representat nihilominus qualitatem verbalem vocis: quod sufficit ad rationem termini logici; vt constat in hac propositione: *hæc vox Blyssiri est vox*; vbi ly *Blyssiri* propter eãdem rationem est terminus vocalis logicus, etiam si ly *Blyssiri* talem perfectionem non obtineat.

6. Rursus diuiditur terminus mentalis formalis in conceptum intuitiuum, & abstractiuum: *intuitiuus est, qui deseruit ad cognitionem intuitiuam*, est que conceptus rei præsentis; vt conceptus, qui formatur ab intellectu de homine præsente, iste autem præsentiam exigit nedum realem obiectiuam, sed etiam localem: *abstractiuus verò est, qui deseruit ad cognitionem abstractiuam*, est que conceptus rei absentis; v.g. conceptus, qui formatur ab intellectu de Parente defuncto. An verò iste conceptus requirat solam præsentiam obiectiuam, vel etiam realem, seu localem, non est tyronum.

7. Denique diuiditur terminus, seu conceptus mentalis in conceptum directum, & reflexum: *Directus est, in quo directe attingitur aliqua res, vel aliquod obiectum. Reflexus est, in quo attingitur res vt cognita, vel obiectum vt cognitum per distinctam cognitionem*: vt quando cognosco me cognouisse, dicitur reflexus, quia intellectus supra conceptum directe cognitum reflectitur, ad quod est opus, quod vtraque cognitio, siue realiter, siue solum virtualiter distincta, sit in eodem intellectu.

CAPVT VI.

De diuisione termini vocalis in cathegorematicum, & syncathegorematicum.

1. TErminus vocalis primâ sui diuisione diuiditur in cathegorematicum, & syncathegorematicum: quæ voces sunt græcæ; & idem est cathegorematicus, ac significatiuus, & syncathegorematicus, ac consignificatiuus. *Cathegorematicus est, qui per se aliquid significat.* Vt homo: *syncathegorematicus verò, qui aliqua liter significat.* Vt omnis, velociter: & omnes casus obliqui. Ex quo fit, quòd cathegorematicus sit ille, qui ita significat, vt ipse solus possit esse integrum subiectum, aut integrum prædicatum in propositione, vt liquet in his propositionibus: homo est animal, animal est corpus: & quòd syncathegorematicus sit ille, qui ita significat, vt solum alteri adiunctus valeat esse in propositione subiectum, aut prædicatum; vt cõstat in his propositionibus, omnis homo currit, pallium Petri est optimum.

2. Ex his facile colliges terminum syncathegorematicum impropriè solum obtinere titulum termini: ratio est; nam formalitas termini fundatur, seu sequitur ad significationem, sed significatio reperta in termino syncathegorematico est impropia ratione sui, licet propia ratione alterius: ergo ratione sui solum impropriè obtinet titulũ termini.

3. Obijcies primo: hi termini velociter, & velocitas eandem rem significãt, sed secundus propriè est terminus logicus ergo, & pri-

& primus. Respondeo distinguendo maiorem, hi termini velociter, & velocitas eandem rem significant, eodem modo, nego maiorem, diuerso modo, cõcedo maiorem, & minorem; & nego consequentiam. Nam velocitas significat modum ad modum rei; è contra vero velociter illam non ad modum rei, sed modi significat: & sic secundus, non vero primus obtinet propriè rationẽ termini logici: nam in terminis magis debemus attendere ad modũ significandi, quàm ad rem significatam; & hinc aduerbia impropriè solum habent termini rationem.

4. Obijcies secundo: in hac propositione, velociter est modus, ly *velociter* habet rationem subiecti: ergo propriè rationem termini. Respondetur primo distinguendo antecedens: in hac propositione, velociter est modus, ly *velociter* habet rationem subiecti impropriè, concedo antecedens, propriè, nego antecedens, & consequentiam. Vel iterum secundò respondetur distinguendo antecedens: ly *velociter* habet rationem subiecti modaliter entitatiuè, concedo antecedens, modaliter significatiuè, nego antecedens, & cõsequentiam. Nam eodem modo se habet hæc propositio, velociter est modus, ac ista *Blytiri* est vox; sed hæc, vt dixi supra, cap. 1. n. 18. & nu. 23. solum modaliter entitatiue habet rationem termini: ergo & illa solum modaliter entitatiuè habet rationem termini.

5. Obijcies tertio: terminus syncathegorematicus nõ est significatiuus, sed cõsignificatiuus: ergo non potest esse extremum diuidens terminum, de quo in præsenti: nam id, quod diuiditur, est terminus significatiuus. Primò respondetur negãdo antecedens quo ad secundam partem, nam esse terminum consignificatiuum, non tollit, quin absolutè dicatur terminus significatiuus: nam id, quod cum altero significat, absolutè significat. Secundò respondetur concedendo antecedens quo ad duas partes, & distinguendo consequens, non potest esse extremum diuidens terminum vniuocè, concedo consequentiam; analogicè, nego consequentiam, nam licet terminus syncathegorematicus, seu cõsignificatiuus adæquatè, & totaliter non participet rationem termini significatiui, tamen secundum quid illam participat; quòd sufficit, vt sit extremum rationis analogicæ diuisæ.

CAPVT VII.

De termino complexo, & incomplexo.

1. TERMINVS categorematicus, seu per se significatiuus diuiditur in complexum, & incomplexum. *Complexus est, cuius partes separatæ signi-*

ficant iuxta significationem totius; ita vt significatio totius dependeat ab actuali significatione partiũ; vt *homo albus. Incomplexus est, cuius nulla pars separata significat iuxta significationem totius; vt homo.* Excluditur igitur à ratione termini complexi terminus, cuius partes non habent significationem totius; vt *Dominus*, qui constat ex verbo *Do*, & ex aduerbio *Minus*. Et etiam excluditur à ratione termini complexi terminus *Respublica*, quia licèt significet iuxta significationem totius, tamen significatio totius non pendet à significatione partium, nam etiam si partes deponerentur à significatione, totum significaret: vtique, quia alia est partium, alia totius libera significationis impositio.

2. Nota terminum complexum nunquam fieri media copula verbali, quia verbalis copula efficit propositionem, seu oratiònem, & non terminum complexum, qui ex se solum exposcit congruã dictionis coniunctionem.

3. Vlterius, terminus complexus, alius est complexus voce tãtum; alius voce, & significatione simul: complexus voce tantum sunt duæ dictiones, quæ idẽ prorsus significant: cõplexus voce, & significatione simul, sunt plures dictiones, quæ diuersa significãt.

CAPVT VIII.

De varijs diuisionibus termini communis, & singularis.

1. TErminus igitur cathegorematicus diuiditur in cõmunem, & singularem. *Communis est, qui significat plura diuersim*: vt homo, qui significat hunc, & illũ hominem, prout in ratione hominis conueniunt. *Singularis est, qui significat vnum tantum*: & est quadruplex: *Determinatus, qui vnicam rem certam significat*: vt Petrus. *Demonstratiuus, qui ratione articuli demonstratiui determinatur ad vnicam rem significandam*: vt hic homo. *Vagus, qui ratione alicuius superadditæ particulæ vnicam tantum rem significat non determinatè, sed vagè*; vt aliquis homo. *Ex suppositione, qui ratione alicuius præcedentis vnicam tãtum rem significat*; vt Filius Virginis.

2. Terminus itẽ singularis diuiditur in collectiuum, & nõ collectiuum. *Singularis collectiuus est ille, qui vnicam rem determinate significat, collectam tamen ex pluribus entitatibus.* Vt Roma, quæ significat vnam tantum ciuitatem ex pluribus ciuibus collectam, seu compositam. *Non collectiuus dicitur ille, qui significat vnicam tantum entitatem simplicem, & non collectã ex pluribus entitatibus*; vt Petrus.

3. Sed aduertendum est discrimen, quod versatur inter terminum communem, & singularem collectiuum: nam terminus communis, (vt dixi supra num. 1.) ita significat plura, vt de quocũquè diuisiue possit prædicari; vt homo ita significat plures homines, vt de Petro, & Paulo diuisiuè

pos-

posſit prædicari: at verò terminus singularis collectiuus nō potest prædicari de pluribus diuisiuè, licet prædicetur de collectione plurium.

4. Obijcies: datur terminus communis, qui nō dicitur de omnibus suis significatis diuisiue: ergo nulla est diſcriminis ratio. Cō ſequentia est certa: antecedens probatur: populus, & ciuitas sūt termini communes; vtique, quia dicuntur de hoc, & illo populo, de hac, & illa ciuitate; & tamen non dicūtur de omnibus suis significatis diuisiue, nam ciues non est ciuitas, ſed tota ciuium congregatio, ergo iam aliquis terminus communis non prædicatur de omnibus suis significatis. Reſpondetur diſtinguendo antecedens, datur terminus communis, qui non dicitur de omnibus suis significatis diuisiue, mediatis, cō cedo antecedens, immediatis, nego antecedens, & conſequētiam: nam licet verum ſit, quòd ciuitas nō dicatur in particulari de hoc, & illo ciue; dicitur tamē de hac, & illa ciuitate, quòd ſufficit ad rationem termini communis, qui per ſe ſolum exigit dici de ſignificatis immediatè ſub illo cōtentis; non verò de illis, quæ ſolum ſunt mediatè ſub illo, licet per accidens aliquando dicatur de illis.

5. Terminus communis etiam diuiditur in vniuocum, æquiuocum, & analogum. *Vniuocus est, qui ſignificat plura in aliqua ratione omnino conuenientia*; vt homo. *Æquiuocus eſt, qui ſignificat plura nullo modo conuenientia*; vt canis: qui ſtat pro terreſtri, cœleſti, & marino. *Analogus eſt, qui ſignificat plura partim conuenientia, & partim diſconuenientia*; vt Nero, qui ſignificat Neronem, & hominē crudelem.

6. Pro intelligentia termini æquiuoci, & analogi nota, quòd ſi termino æquiuoco, vel analogo addatur aliqua particula, poteſt fieri vniuocus: vt ſi *cani* addatur *latrabilis*, fit vniuocus: & ſi homini, qui analogicè dicitur de picto, & vero, addatur *verus*, fit etiā vniuocus.

7. Rurſus diuiditur terminus communis in tranſcendentalem, non tranſcendentalem, & ſupra tranſcendentalem. *Tranſcendentalis dicitur, qui de omnibus veris entitatibus, exiſtentibus, & poſſibilibus poteſt prædicari*; vt res, ens, verū, bonum, aliquid, vnū, qui termini cōprehēduntur in hac dictione *REVBAV*. *Terminus nō tranſcēdētalis eſt, qui plura ſignificat, qua ad certum genus, ſeu ad determinatam ſpeciem ſpectant*: vt animal, homo, & ſimiles. *Supertranſcēdentalis verò eſt ille, qui non ſolum de veris entitatibus valet prædicari, ſed etiam de fictis, & chimæricis*; vt intelligibile, excogitabile, & alia huiuſmodi.

CAPVT IX.

De diuiſione termini in abſtractum, concretum, abſolutum, & connotatiuum.

1. Terminus cathegorematicus vlterius subdiuiditur in terminum abstractum, & concretum. *Abstractus dicitur, qui significat rem tantum*; vel qui significat rē quasi separatam ab alia, vt humanitas, albedo, nam humanitas significat humanitatē, quasi abstractam, seu extractam ab homine; & albedo albedinē quasi separatam ab albo. *Concretus verò nominatur, qui significat duo, formam, scilicet, & subiectum*: vel qui significat entitatem compositā; vt homo, album.

2. Rursus subdiuiditur terminus cathegorematicus in absolutum, & connotatiuum. *Absolutus est, qui significat per modum per se stantis*; vt homo, albedo. *Connotatiuus est, qui significat per modum alteri adiacentis.*

3. Deinde diuiditur in connotatiuum essentialem, & accidentalem. *Connotatiuus essentialis est, qui significat formam connotando subiectum, cui talis forma est essentialis*; vt rationale dicitur terminus cōnotatiuus essentialis, quia significat formam, scilicet, rationalitatem connotando subiectum, scilicet, hominem; cui rationalitas est essentialis. *Connotatiuus accidentalis est, qui dicit formam cōnotando subiectum, cui talis forma est accidentalis*; vt album dicitur terminus connotatiuus accidentalis, quia significat formam, videlicet, albedinem cōnotando subiectum, videlicet corpus, cui albedo est accidentalis.

4. Denique terminus connotatiuus accidentalis partitur in cōnotatiuum accidentalem intrinsecum, & in connotatiuum accidentalem extrinsecum. *Connotatiuus accidentalis intrinsecus est ille, qui dicit formam connotando subiectum cui inest intrinsecè inhærens*: vt albū, quòd significat albedinem cōnotādo corpus, cui intrinsecè inhæret albedo. *Connotatiuus accidentalis extrinsecus est ille, qui dicit formam connotando subiectum, cui talis forma extrinsecè denominat*; vt visum est terminus cōnotatiuus, quia dicit visionem cōnotando extrinsecè parietem, quē talis forma solum extrinsecè afficit.

5. Sed pro adæquata intelligētia nota primo, quod ad essentiā termini cōnotatiui non est opus, quòd realiter à parte rei detur forma, vt adiacens subiecto, sed solum, quod ex modo significandi intelligatur vt adiacēs; vt cōstat in rationale, quod connotatiuus est, etiam si in re rationalitas stet per se, quia ex modo significandi concipitur vt in quale. Similiter ad essentiā termini absoluti non est necessarium, quòd realiter à parte rei stet per se, sed tantum, quòd ex modo significādi apprehendatur vt per se stans; vt constat in albedine, quæ in re corpori inhæret; & tamen est absolutus, quia ex modo significandi concipitur, vt per se stans: ratio est eadem, nam in terminis, vt sæpè sæpius diximus, non debemus

mus attendere ad rem significatam, sed ad modum significandi.

6. Nota secundo: non omnem terminum concretum esse cõnotatiuum, licet è conuerso omnis connotatiuus sit concretus, & omnis adiectiuus sit connotatiuus.

7. Nota tertio: quòd huiusmodi termini, cæcus, pauper, mortuus, & qui de formali important carentiam formæ per modum formę, sunt dicendi termini connotatiui, quia talis carentia concipitur, vt forma intrinsece afficiẽs subiectum.

8. Nota vltimò, terminum cõnotatiuum habere duplicem significationem: formalem vnam, & materialẽ aliam, formalis stat pro forma, materialis verò pro subiecto, cui inhæret forma: vt videre est in albo, quod de formali dicit albedinem: & de materiali corpus, cui inhæret albedo.

CAPVT X.

De termino finito, & infinito.

1. TErminus cathegorematicus vlterius subdiuiditur in terminum finitum, & infinitum. *Terminus finitus est, qui rem certam, & determinatam significat*: vt homo. *Terminus infinitus est, qui certam, & determinatam non significat*: vt non homo.

2. Sed aduertendum est negationem bifariè accipi: vno modo *negatiuè*, videlicet, dum constituit propositionem negatiuam: vt in hac, homo non est lapis: vbi ly, *non*, sumitur *negantèr*; quia constituit propositionem negatiuam; & de negatione hoc modo accepta dicitur, quòd est malignantis naturæ, & quòd quidquid posse inuenit, destruit, & oppositum reddit. Alio modo sumitur *infinitanter*, quando scilicet negat, & destruit terminum, cui adiungitur; vt in hac, homo est non lapis: vbi particula, *non*, destruit significationem lapidis, absque eo quòd subiecto, cui adiungitur, aliam tribuat.

3. Facile ergo cognosces, quãdo negatio sumitur *infinitanter*, aut *negantèr*: nam quando negatio cadit supra copulam, semper accipitur *negantèr*, vtique, quia negata copula, propositio nõ potest esse affirmatiua: at verò quãdo negatio cadit supra terminũ, semper sumitur *infinitanter*, quia tunc negatio non destruit sensum affirmatiuum propositionis; vt constat in hac, homo est non albus: vbi propositio est affirmatiua, etiam si negatio afficiat terminum, supra quem immediatè cadit.

4. Sed hæc diuisio non est admittenda: tum, quia terminus finitus nullam addit perfectionem supra perfectionem termini cathegorici vt sic: tum, quia terminus infinitus, vt infinitus, nõ significat aliquid, quod est proprium termini: nam *non homo* negat ho-

minis significationem, & aliam determinatè non dicit, quod necessarium est ad essentiam termini, vt constat in vocibus non significatiuis, propter similem rationem exclusis à ratione termini: tum denique, quia terminus infinitus excluditur à Doctoribus à ratione nominis: ergo consequèter debet excludi à ratione termini; cum hæc illam vt fundamentalem supponat.

5. Consulto dixi: *infinitus, vt infinitum*: quia si *non homo* accipiatur, vt significat hominis priuationẽ, tunc optimè potest rationem termini adipisci, sed nõ logici: quia, vt constabit ex Disp. 2. logicę, q. 5. §. 1. num. 1. Logicus non agit de secundis intentionibus in priuationibus, vel negationibus fundatis.

CAPVT XI.

De termino primæ, & secundæ intentionis.

1. DEnique diuiditur terminus vt sic in terminũ primæ, & secundæ intentionis. *Terminus primæ intentionis est, qui significat entitatem aliquam secundum esse, quod habet, vel potest habere in rerum natura*: vt homo, Leo: *Terminus secundæ intentionis est, qui significat entitatem aliquam secundum esse, quod habet ex intellectus fictione*; vt genus, species.

CAPVT XII.

De comparatione terminorum inter se.

1. TErmini, si inter se cõparentur; alij sunt pertinẽtes, & alij impertinẽtes. *Pertinentes nominantur, quando vnus alium infert, vel alteri repugnat: vel quando inter se comparati ab vno ad alterum est legitima consequentia*: vt homo, & animal; homo, & lapis: quia bene sequitur affirmatiue, est homo: ergo animal: & similiter negatiue, est homo: ergo non est lapis. *Impertinentes sunt, quãdo vnus alium non infert, nec alteri repugnat: vel, quando inter se comparati ab vno ad alium, non est legitima consequentia*: vt album, dulce: Religiosus, Musicus: quia nõ sequitur affirmatiuè, est album: ergo dulce: nec negatiuè: est album: ergo non est dulce.

2. Termini pertinẽtes, alij sunt pertinentes sequela, & alij pertinentes repugnantia. *Pertinentes sequela appellantur, quando positio vnius infert positionem alterius*: vt homo, & rationalis sunt pertinentes sequela: quia positio hominis infert positionem rationalis; vt patet in hac consequentia: Benedictus est homo: ergo Benedictus est rationalis. *Pertinẽtes repugnantia dicuntur, quando positio vnius infert negationem alterius*: vt album, & nigrum, sunt pertinentes repugnãtia: quia positio albi infert

infert negationem nigredinis; vt constat in hac consequentia: Benedictus est albus: ergo Benedictus non est niger.

3. Termini pertinētes repugnātia diuiduntur in quatuor classes, iuxta quatuor genera repugnantiæ, seu oppositionis, quæ à Summulistis assignatur: nā sicut oppositio alia est contradictoria, quæ versatur inter affirmationē, & negationem; vt inter ens, & non ens, & alia contraria, quę datur inter formas, quæ mutuo se expellunt ab eodem subiecto, vt inter album, & nigrum: & alia priuatiua, quæ reperitur inter formam, & carentiam formæ in subiecto apto nato ad formā habendam; vt inter albedinem, & carentiam illius: & alia relatiua, quæ inuenitur inter extrema relatiuè opposita, vt inter Patrem, & Filium, sic termini repugnantes, alij sunt pertinentes repugnantia contradictorie; vt album, & non album: quia vnus importat negationē alterius. Alij sunt pertinentes repugnantia contrariè, vt albū, & nigrum, quia significāt formas, quæ mutuo se expellunt ab eodem subiecto. Alij sunt pertinentes repugnātia priuatiuè; vt cæcus, & videns, quia vnus dicit formam in subiecto, & alius carentiam formæ in subiecto apto nato ad illam habēdam. Alij denique sunt pertinentes repugnantia relatiuè; vt Pater, & Filius, quia vna relatio respectu eiusdem termini infert negationem alterius. In his omnibus est legitima consequentia, seu illatio, à positione vnius, ad negationem alterius, vt intuenti constabit.

CAPVT XIII.

De Nomine.

1. SOlent communiter Summulistæ hoc caput de Nomine ad secundum librum Summularum transferre, quia oratio, de qua in secundo agitur libro, constat ex illo. Sed hęc ratio non placet: nā propositio, de qua agitur in secundo libro, constat ex termino, & tamen de illo, non in secundo, sed in primo libro disputatur, quia illius notitia, sicut & nominis ad primam spectat operationem, de qua primus disputat liber: si ergo de termino propter hanc rationem disputant in primo libro; cur de nomine in illo non disputabunt?

2. Nomen ergo sic cōmuniter definitur. *Est vox significatiua ad placitum, sine tēpore, cuius nulla pars separata significat finita, & recta.* Verum hæc definitio essentiam nominis vt sic non explicat, nā nomen vt sic (sicut terminus vt sic) diuiditur in vocale, scriptum, & mentale; sed hæc definitio solum adaptatur vocali, non vero scripto, & mentali: ergo vt diminuta debet reijci.

3. Quare relicta hac definitione: *nomen vt sic est, signum ad placitum*

citum, sine tempore significans, incomplexum, finitum, & rectum. Ly *signū* ponitur loco generis, in quo cōuenit cum termino, & verbo. Ly *ad placitum* ponitur loco differentiæ ad excludendas voces naturaliter significantes. Ly *nec tempore significans* ponitur, vt distinguatur à verbo. Ly *incomplexum* ponitur, vt distinguatur ab oratione, & à termino complexo. Ly *finitum*, vt distinguatur à voce infinita infinitate negatiua, nō verò infinitate positiua, nam Deus habet rationem nominis, etiam si infinitus sit. Ly *rectum* ponitur ad excludendos casus obliquos eiusdem nominis, qui propriè nō significant aliquid, sed cuius, vel cui, vel à quo fit entitas significata per nomē: & sic solus nominatiuus est propriè nomen.

4. Obijcies: nomen vt formaliter tale habet rationem termini: ergo frustra duplici explicatur definitione. Antecedens probatur, hæc vox homo. v.g. termini, & nominis essentiam habet: ergo nomen vt formaliter tale habet rationem termini. Respondetur negando antecedens, vel distinguendo illud, claritatis gratia: nomen vt formaliter tale habet rationem termini, fundamentaliter, concedo antecedens: formaliter, nego antecedens. Ad probationem distinguo antecedens, hæc vox homo termini, & nominis essentiam habet, secundum diuersas formalitates, concedo antecedens, secundum eandem, nego antecedens, & consequentiam: nam sicut vox est fundamentum ad rationem nominis, sic nomen est fundamētum ad rationem termini: & ideo formalitas nominis est essentialiter distincta à formalitate termini.

5. Quod, vt præcipias, nota discrimen, quod versatur inter hæc tria: *vox, nomen & terminus*, nā *vox* essentialiter solum dicit entitatē realem soni, qui ab ore animalis causatur: *nomen* verò vltra entitatem realem soni, quæ se habet vt fundamentum ad nominis rationem, addit essentialiter significationem, quæ de formali se habet ad nominis essentiam: vnde Blystiri solum habet rationem vocis, non verò nominis, quia nō habet rationem signi nominis essentialiter constituentis: *terminus* denique supra entitatem soni, & significationis addit esse extremum propositionis, & ideo significatio solum est fundamētum ad essentiam termini, quæ de formali dicit relationem rationis, qua subiectum refertur ad prædicatū, tanquam ad purum terminum; & è contra.

CAPVT XIV.

De Verbo.

1. VErbum solet à Doctoribus definiri per vocem, sicut fuit nomen definitum, sed propter rationem num. 2. capitis antecedentis allatam debet talis expli-

explicatio reijci, & sic definiri. *Verbum est signum ad placitum, cum tempore significans, incomplexum, finitum, & rectum; estque nota eorum, quæ de altero prædicantur.* Primæ particulæ manent explicatæ in definitione nominis, num. 3. capitis præcedentis. Ly *cum tempore* ponitur, vt distinguatur à nomine, quod, vt vidistis, sine tempore significat.

2. Sed vt perfectam huius particulæ notitiam habeas, nota inter se hæc tria distingui: *significare tempus, connotare tempus, significare cum tempore, significare tempus*, est illud signare per modum rei significatæ; vt hora; dies: *connotare tempus*, est significare rem aliquã, quæ certum connotat tempus; vt prandium; cœna: quæ significant comestionem factam in tempore determinato: *significare cum tempore*, est significare per modum actionis, vel passionis; vt curro, amo.

3. Ly *finitum* ponitur ad excludendum verbum infinitum: tum, quia negatio non est requisita ad essentiam verbi: tum, quia negatio verbo adiuncta potius destruit, quam astruit verbi significationem. Ly *& eorum, quæ de altero prædicantur, estque nota* ponitur, vt distinguatur à participio, quod licèt significet cum tempore, non tamen est nexus, seu extremorum vnio.

4. Objicies primo: hæc verba, *sum; quiesco*; non significant cum tempore; vtique; quia non significant per modum actionis, seu passionis, sed potius carentiam actionis explicant: ergo de ratione verbi non est significare cum tempore. Respondeo negando antecedens: ad probationem nego antecedens: nam ipsa cessatio actionis apprehenditur ab intellectu per modum actionis; & sic licet quantum ad rem significatã non significent cum tempore, tamen cum illo significant quãtum ad modum significandi.

5. Objicies secũdo: in his propositionibus, homo est animal: pater generat, Angelus intelligit, verbum absoluitur à tempore: ergo de ratione verbi non est significare cum tempore. Respõdetur primo distinguendo antecedens, in illis propositionibus verbum absoluitur à tempore, quantum ad rem significatam, concedo antecedens: quantum ad modum significandi, nego antecedens, & consequentiam, nam licet prædictæ propositiones nõ mensurentur tempore nostro, tamen apprehẽduntur à nobis quasi mẽsuratæ, quod sufficit ad hoc, vt obtineant essentiam verbi, in quo (sicut in termino) non debemus attendere ad rem significatam, sed ad modum significandi. Secundo, & specialiter respondetur distinguendo antecedens, in illis propositionibus verbum absoluitur à tempore, propter ipsius verbi incapacitatem, nego antecedens: propter terminorum incapacitatem, concedo ante-

antecedens, & iterum subdistinguo antecedens; propter terminorem incapacitatem absoluitur à tempore in actu exercito, concedo antecedens: in actu signato, nego antecedens, & consequentiam: nam verbum, quod in his propositionibus non significat cum tempore in actu exercito, in alijs significabit. Vnde de ratione essentiali illius non est, quòd in actu exercito significet cum tempore, sed solum quod sit ratio significandi cum tempore; sicut de ratione eiusdem verbi nó est, quòd in actu secundo, seu exercito vniat extrema, sed solũ quòd sit ratio vniendi, vel quòd in actu signato illa vniat. Tertiò etiam singulariter respondetur concedendo totum: ex quo non sequitur, quòd destruatur essentia verbi: nam non consistit in hoc, quod est significare cum tẽpore; sed in hoc, quòd est esse vinculum extremorum.

6. Vnde pro intelligentia huius tertiæ solutionis nota, quod in verbo tria reperiuntur; scilicet, significare exercitium actionis, aut passionis determinatè; & significare cum tempore; & esse vinculum extremorum constituẽtium propositionẽ, vt in hac propositione, Benedictus diligit, vbi verbum *diligit* significat determinatè exercitium amandi, & coniungit exercitium cum Benedicto, & tandem significat hanc coniunctionem esse in tempore præsenti: sed aliquando primum separatur à verbo, vt cum significat infinitanter, quia tunc licet exerceat titulum copulæ, & significet cum tempore, non tamen significat exercitium determinatum, vt patet in hac propositione, Benedictus nõ diligit, si particula *non* sumatur infinitanter. Aliquando tandem separatur à verbo, significare cum tempore, quod contingit, quando prædicatum est de essentia subiecti, vt constat in propositionibus obiectionis, & in hac, rosa est flos, quę verissima est, etiam si in mundo nunquam sit rosa, imò licet nunquam sit futura, ratio verò copulæ nũquam separatur, quia est essentialis verbo, & reliquæ rationes habent se sicut proprietates illius nõ omnino separabiles. Vnde verbum secundum propriã rationem essentialem nunquam infinitatur, quia in quantũ exercet munus copulæ, non est infinitabilis, vt liquet ex dictis.

Sed contra hanc tertiam solutionẽ sic insurges: definitio verbi est essentialis, ergo omnes particulæ sunt de essentia verbi, ergo particula *cum tempore*, non se habet vt passio, sed vt pars essentialis verbi. Respondetur iuxta eandem tertiam solutionẽ, quam vt probabilem habeo, distinguẽdo antecedens, definitio verbi est essentialis, & descriptiua simul concedo antecedens: essentialis tantum, nego antecedẽs, & vtrãquè consequentiam. Nã in præsenti non definitur verbum quid-

ditatiuè

ditatiuè tantum; sed etiam descriptiuè simul: vt fuit à Porphyrio definitum vniuersale, dum dixit: *esse vnum aptum ad essendum, & praedicandum de multis.* Hoc dixi in gratiam tertiæ solutionis: tu vero elige ex dictis, quam malueris.

CAPVT XV.

De Suppositione.

1. COgnito essentiali cõceptu termini, & partito in multiplicibus acceptionibus, in quibus materialiter diuersam acquirit perfectionem, opere prætium erit ipsius termini passiones, & proprietates indagare: & cum inter omnes, suppositio primum obtineat locum, ideò in præsenti primam possidet sedem.

2. Suppositio, ergo quę est proprietas primò dimanans ab essentia termini fundamentaliter sumti, sic definitur. *Est acceptio termini pro aliquo, de quo verificatur iuxta alterius exigentiam.* Pro cuius definitionis intelligẽtia nota primo; quòd acceptio potest dupliciter accipi, vel actiuè pro actu intellectus, qui accipit terminum: vel passiuè pro ipso termino accepto; in quo sensu accipitur in præsenti.

3. Nota secundò: quòd ly *acceptio pro aliquo, de quo verificatur* ponitur loco generis, in quo conuenit cum nomine, & ly *iuxta exigentiam alterius* loco differentiæ, in quo differt à nomine, nam suppositio non datur nisi iuxta exigentiam copulæ, vel prædicati, vt constat in hac: pallium Pauli est optimum, quæ est de subiecto non supponente, si Paulus nõ habet pallium pro tempore importato per copulam.

4. Ex quo colliges terminũ extra propositionẽ solũ significare, non verò supponere propriè: ratio huius est: nam vt constat ex definitione, terminus solum supponit, quando gerit vices rei iuxta exigentiam alterius; hoc est, iuxta exigentiã copulæ, vel prædicati: aliàs ratio nominis non esset à ratione suppositionis formaliter distincta.

5. Quibus suppositis, suppositio primò diuiditur in materialem, & formalem. *Prima est, acceptio termini pro se*: vt Blyctiri est vox: homo est vox: quæ suppositio propriè non est talis; cum non dicat ordinẽ ad aliud, quod proprium est suppositionis; vt constat ex particula illa definitionis: *pro aliquo.* Secunda, scilicet *formalis, quæ propriè est talis, est acceptio termini pro suo significato*; vt homo est animal: vbi ly *homo*, pro natura supponit humana.

6. Suppositio formalis diuiditur primo in materialem, & formalem ex parte rei significatæ. *Suppositio materialis ex parte rei significatæ dicitur acceptio termini pro suo significato materiali. Formalis verò est acceptio termini pro suo significato formali.* Quæ suppositiones præcipue habent locum in termi-

terminis connotatiuis, quos diximus supra, cap. 9. nu. 8. habere duplicem significationem, formalem vnam, & materialem aliã; vt albũ, quod significat corpus, & albedinem, quando accipitur pro corpore, supponit materialiter, quando verò accipitur pro albedine inhærente corpori, supponit formaliter.

7. Rursus, formalis partitur in propriam, & impropriam. *Impropria est acceptio termini pro re, quam improprie significat*: vt constat in hac, vicit Leo de tribu Iuda, vbi *Leo* accipitur pro Christo. *Propria est acceptio termini pro re, quam proprie significat*: vt Leo rugit, vbi *Leo* accipitur pro vero Leone.

8. Formalis item propria diuiditur in simplicem, & personalem. *Simplex est acceptio termini pro re, quam significat in ordine ad intellectum, vel est acceptio termini pro suo formali, & immediato significato*: vt homo est species, vbi ly *homo* solum supponit pro natura humana, non vero pro indiuiduis sub illa contentis. *Personalis est acceptio termini pro suo significato, tam immediato, quam mediato*: vt homo est animal, vbi ly *homo* supponit immediate pro natura humana, & mediate pro indiuiduis.

9. Deinde diuiditur suppositio in essentialem, & accidentalem. *Suppositio essentialis est acceptio termini pro re, quam significat præscindendo à tempore: vel est acceptio termini pro omnibus, quibus natus est accipi*: vt in hac, homo est animal, vbi *homo* absquè aliqua restrictione supponit pro omnibus hominibus præteritis, præsentibus, & futuris: & dicitur talis suppositio essentialis, quia cõuenit terminis, quando prædicatũ est de essentia subiecti. *Suppositio accidentalis est acceptio termini pro re, quam significat in certo, & determinato tempore iuxta exigentiam copulæ*: vt cum dico; homo disputat: vbi *homo* supponit accidẽtaliter, quia accipitur pro re, quam significat in certo, & determinato tempore connotato per copulã, dicitur autem hæc suppositio accidentalis, quia tunc conuenit terminis, quando predicatum est accidentale subiecto.

10. Vlterius diuiditur suppositio in communem, & singularem. Suppositio *communis est acceptio termini communis pro re, quam significat; suppositio singularis est acceptio termini singularis pro re, quam significat.*

11. Cõmunis item alia est distributiua, seu vniuersalis, alia determinata, alia collectiua, alia cõfusa. *Suppositio distributiua, seu vniuersalis est illa, in qua terminus communis ratione alicuius signi supponit pro omnibus suis significatis distributiue sumptis*: vt in hac, omnis homo currit, vbi ly *homo* supponit uniuersaliter pro omnibus suis significatis distributiuè sumptis, ita vt ex hac propositione vniuersali sequãtur particulares sub tali termino contentę, nam ex eo

quod

quò omnis homo currat, bene sequitur, quòd Paulus currat, & sic de alijs inferioribus sub homine contentis.

12. *Suppositio determinata est acceptio termini communis pro aliquo ex suis significatis determinate*: ita vt sit necessarium, quòd prædicatum verificetur de aliquo subiecto determinato, vt propositio sit vera, nam cum dicimus: aliquis homo currit, terminus *homo* supponit determinate pro Petro, aut pro alio indiuiduo sub homine contẽto: aliàs propositio erit falsa.

13. *Suppositio collectiua est acceptio termini cõmunis pro omnibus suis significatis simul, & collectiue sumptis*: ita vt ex vniuersali collectiua nõ sequatur particularis eiusdẽ prædicati, vt videre est in hac propositione, omnes Apostoli Dei sũt duodecim, terminus *Apostoli Dei* supponit pro omnibus Apostolis simul, & collectiuè sumptis: quàre non licet colligere; ergo Diuus Paulus est duodecim.

14. *Suppositio confusa est acceptio termini communis pro suis significatis indeterminatè*; vt cum dicimus: ad videndum requiritur oculus, terminus *oculus* supponit cõfuse, quia non requiritur vnus determinate, sed vnus indeterminate.

15. *Suppositio distributiua, seu vniuersalis alia est distributiua pro singulis generũ; in qua terminus supponit pro omnibus suis significatis mediate, vel immediate contentis sub ratione communi significata per talem terminum*; vt constat in hac propositione, omne animal est sensibile, terminus *animal* supponit pro quocumque animali mediatè, vel immediatè contento sub animali.

16. *Alia est suppositio distributiua pro generibus singulorum; in qua terminus non supponit pro omnibus suis significatis, sed solum pro vno solum cuiuscumque generis contentò sub ratione communi significata per talem terminum*; vt videre licet in hac propositione, omne animal fuit in arca Noe, terminus *animal* supponit distributiue pro generibus singulorũ; quia reddit hunc sensum, ex omnibus speciebus sub animali cõtentis aliquod animal fuit in arca Noe: ex hac ergo vniuersali debemus colligere particulares in hunc modum; ergo ex specie hominis sub animali contenta aliquod indiuiduum fuit in arca Noe; & similiter ex specie Leonis.

17 Similiter suppositio distributiua, alia est absoluta, & alia est accõmoda. *Suppositio distributiua absoluta est acceptio termini pro omnibus suis significatis absolutè, & sine aliqua restrictione*; vt constat in hac propositione, omnis homo est animal, vbi terminus *homo* supponit vniuersaliter absolute, quia supponit absque limitatione pro omnibus hominibus. *Suppositio vniuersalis acõmoda est acceptio termini non pro omnibus suis significatis absolutè, sed pro his, qua commode valent exercere aliquam actionem*; vt

cum dicimus: omnes habitatores ciuitatis resistent Mauris, terminus *Habitatores* supponit vniuersaliter acommode pro omnibus, qui resistere possunt Mauris:

18. Sed, antequàm assignemus regulas ad dignoscendam terminorum suppositionem, est notandum, quod aliqua signa syncathegorematica nominantur vniuersalia, alia particularia, & alia mixta: signa vniuersalia alia sunt affirmatiua; *vt omnis, quilibet, quicũque*, & alia similia, & aduerbia *semper, vbique, vbicumque, quocũque*, & similia: & alia negatiua; vt *nullus, nemo*, & aduerbia *nũquam, nullibi, nequaquam*, & similia. Signa particularia sunt, *quidam, aliquis*, & aduerbia, *aliquomodo, alicubi*, & similia; quibus, si negationem apponas, fiũt particularia negatiua. Signa mixta, quæ partim distribuuntur, & partim determinant, sunt omnia nomina numeralia: per hæc signa cognoscimus suppositionem terminorum iuxta regulas sequentes.

19. Prima regula sit: signa vniuersalia posita ex parte subiecti faciunt subiectum supponere vniuersaliter, & prædicatum cõfuse; vt constat in hac propositione, omnis homo est animal, vbi terminus *homo* ratione signi vniuersalis *omnis* supponit vniuersaliter, & prædicatum *animal* confuse: & regulariter signum vniuersale facit supponere terminũ, cui adiungitur, distributiuè; & positum ex parte subiecti, confundit prædicatum.

20. Sed est aduertẽdum, quod terminus adiunctus signo aduerbiali non est terminus, qui existit explicite, sed qui inbibite est in propositione; vt in hac, semper homo disputat, vbi terminus adiunctus signo *semper* non est *homo* sed *tempus*, quia *semper* idem est, quod *omni tempore*. Quæ regula intelligenda est cum restrictione; videlicet, quando ex parte prædicati non assignatur aliquis terminus faciens supponere subiectum collectiue, quia signum collectiuum superat signum vniuersale affirmatiuum.

21. Secunda regula: nomina vniuersalia negatiua distribuunt terminum, cui adiunguntur, & posita ex parte subiecti distribuunt etiam prædicatum, vt videre licet in hac propositione, nullus homo est rugibilis; vbi terminus *homo* supponit vniuersaliter ratione signi *nullus*, & prædicatum *rugibilis* supponit etiã vniuersaliter, quia rugibilitas negatur omnibus hominibus.

22. Sed aduerte, quod si particula *non* accipiatur neganter vt malignantis naturæ, & vt reddẽs oppositum, & adiungitur termino supponenti vniuersaliter affirmatiue, facit illum supponere determinate, & negatiue; & si adiungatur termino supponẽti vniuersaliter negatiue, facit illum supponere particulariter affirmatiue: & è contra, cum adiungitur termino supponẽti determinate,

aut

aut cõfuse, facit illum supponere vniuersaliter; vt liquet in hac propositione, nullus homo est rugibilis. In qua vtrumque extremum supponit (vt dixi) vniuersaliter negatiue: tamen si anteponamus negationem, supponit determinate affirmatiue; vt si dicamus: nonnullus homo est rugibilis, terminus *homo*, & terminus *rugibilis* supponunt determinate, quia idem est ac dicere: aliquis homo est rugibilis.

23. Tertia regula: particula exclusiua posita in propositione affirmatiua facit terminum exclusum supponere vniuersaliter negatiue, & in propositione negatiua vniuersaliter affirmatiue; vt constat in hac propositione, tantum animal est sensibile: vbi terminus exclusus *tantum* supponit vniuersaliter negatiue.

24. Quarta regulã: signa particularia faciunt supponere determinate terminũ, cui adiũguntur; vt in hac propositione, aliquis homo disputat, terminus *homo* supponit determinate ratione signi *aliquis*: & idem est dicendum de quocumque termino, cui nõ adiungitur aliquod signum. Quæ regula intelligẽda est, quoad primam partem, quando in propositione non datur signum confundens, nam tale signum vincit signum determinatum: & quoad secundam partem, est intelligenda cum limitatione: videlicet, quãdo prædicatum non est de essentia subiecti; alias supponeret vniuersaliter, vt intuenti constabit.

25. Quinta regula: hæc verba *polliceor, promitto*, & similia, quæ promissionem includunt, & quæ necessitatem ad aliquid faciendum, vel componendum significant, faciunt terminos promissos, de quibus prædicatur necessitas, supponere confuse; vt quando dicimus, promitto tibi pallium, terminus *pallium* supponit confuse, quia non promitto tibi pallium determinate, aut pallium indeterminate, sed pallium confuse.

26. Sexta regula: quotiescumque terminus numeralis ponitur in propositione in recto, & vt pars præcipua: & similiter quotiescumque aliquod totum prædicatur de suis partibus, subiectum debet supponere collectiue, vt cõstat in his propositionibus, omnes planetæ sunt septem; & omnes hi milites sunt exercitus; vbi subiectum semper supponit collectiue.

27. Septima regula: terminus secundę intentionis positus in recto ex parte prædicati facit subiectum supponere pro significato immediato, & nullatenus pro mediato sub immediato contento; vt cõstat in hac propositione animal est genus; vbi terminus *animal* supponit tantum pro immediato significato, absque eo quod aliquam admittat resolutionem.

28. Ad cognoscendam suppositionem vniuersalem pro generibus singulorum, & vniuersalem accommodam, non possumus

certam aliquam tradere regulâ, quia ex adiunctis, & ex intētione sermonis talis suppositio colligitur. Intelliges tamen suppositionem pro singulis generum, si audita propositione vniuersali, videris prædicatum nō verificari de omnibus singularibus sub illa contentis, & verificari in omnibus speciebus contentis sub ratione communi: tunc enim talis suppositio erit vniuersalis, & distributiua pro generibus singulorum.

29. Suppositionem accommodam cognosces eodem modo verificando propositionem vniuersalem, quæ, si solum verificatur de singularibus commodè efficientibus aliquam rationem, aut cōmode deseruientibus ad aliquem finem intentum, tunc suppositio vniuersalis erit accommoda.

CAPVT XVI.

De resolutione terminorum, seu de Ascensu, & Descensu.

1. VT veritas propositionum iuxta terminorum suppositionem intelligatur, adinuenerunt Summulistę duos modos resoluendi terminorum suppositionem. Primus dicitur, *Ascēsus*, quo communiter vtimur ad probandam veritatē propositionis. Secundus nominatur *Descensus*, regulariter deseruiens ad probandam falsitatem propositionis.

2. *Est igitur Ascensus argumentatio, in qua ex pluribus singularibus sufficienter enumeratis veritatem intentam probare intendimus. Descensus verò est argumentatio, in qua ab vno ad plura procedēdo antecedentis falsitatem volumus probare.* Vt cum quis intendit probare hanc propositionem vniuersalem, omnis homo disputat, esse veram, vtitur Ascensu, dicendo: hic homo disputat, & ille, & sic de de alijs discurrendo per omnes; ergo omnis homo disputat, sed antecedēs est verum; ergo & consequens. Cum verò vult probare falsitatem dictæ propositionis, vtitur descensu dicendo: omnis homo disputant, ergo Petrus disputat; & Antonius disputat; & sic de alijs. sed consequens est falsum, ergo & antecedens.

3. Sed est valde aduertendum, & notandum pro intelligentia illius particulæ *sufficienter enumeratis*; quod ad hoc, vt propositio vniuersalis sit vera, est opus, quod omnes propositiones singulares sub illa cōtentæ sint veræ, vt vero sit falsa, sufficit, quòd vna singularis sit falsa, & è cōtra, vt propositio determinata sit vera, sufficit, quòd vna singularis sit vera: vt vero sit falsa, requiritur, quod omnes singulares sint falsę. Vnde quando volumus probare per ascensum aliquam propositionem vniuersalem esse veram, debemus enunciare omnes singulares: ad probandam vero falsitatem illius per ascensum, sufficit enumerare aliquas singulares, donec

donec occurrat nobis singularis falsa: & è contrario, ad probandam veritatem propositionis determinatę, sufficit enumerare propositiones singulares, quoad vsque enumeremus vnam singularem veram, & ad probandā falsitatem propositionis determinatæ, debemus descendere enumerando omnes singulares, demonstrando illas esse falsas.

4. Cum ergo termini communis sint quatuor suppositionis genera, sunt etiam assignandi quatuor ascensus, & descēsus, quibus resoluātur quatuor prædictę suppositiones: quælibet enim illarū proprium habet ascēsum, & descensum ad suam resolutionē, nam suppositio vniuersalis resoluitur per ascensum, & descensum distributiuum: suppositio collectiua per ascensum copulatum: determinata per descensum disiunctiuum: & confusa per ascensum disiunctiuum.

5. *Descensus distributiuus est argumentatio, qua descendimus ab vniuersali ad singularia sufficienter enumerata, mediante particula, &, sumpta copulatiue*; vt cum dicimus: omnis homo est animal, terminus *homo* resoluitur per descensum copulatiuum, siue distributiuum, descēdendo ad singularia sufficienter enumerata, mediante particula &, vt si dicamus: omnis homo est animal; ergo Paulus est animal, & Antonius est animal, & in cæteris similiter.

6. *Descensus copulatus est argumentatio, in qua ex termino supponente collectiue descendimus ad singularia omnia simul enumerando, mediante particula, & sumpta copulatiue*; vt cū dicimus: omnes Apostoli Dei sūt duodecim, resoluimus terminum *Apostoli Dei* per descensum copulatum dicendo: ergo Petrus, & Paulus, & Andreas, & cæteri Apostoli Dei sunt duodecim.

7. *Descensus disiunctiuus est argumentatio, in qua à termino supponente determinate descendimus ad singularia mediante particula*, vel, *sumpta disiunctiue*; vt cum dicimus: aliquis homo currit, terminus *homo* resoluitur descensu disiunctiuo, dicendo: ergo vel iste homo currit, vel ille homo currit.

8. *Descensus disiunctus est argumentatio, in qua à termino supponente confuse descendimus ad singularia per particulam*, vel, *sumptam disiunctim*; vt cum dicimus: ad equitādum requiritur equus, terminus *equus* resoluitur per descēsum disiunctum, dicēdo sic: ergo vel iste, vel ille equus requiritur ad equitandum.

9. Sed pro intelligentia eorum, quæ dicta sunt, nota; quod particula & potest bifarie accipi: primo copulatiue, vt quando iungit diuersas propositiones, vel diuersos terminos; ita vt de omnibus valeat verificari prædicatum, vt cum dicimus, Petrus, & Paulus currunt: tunc particula & accipitur copulatiue, quia ita iungit illos terminos, vt de quolibet in singulari verificetur prędicatum,

quia possumus dicere, Petrus currit, & Paulus currit. Secundo copulatim; vt quando ita iungit diuersa extrema, vt non de quolibet in singulari, sed de omnibus simul iunctis prædicatum verificetur; vt cum dicimus, Petrus, Paulus, Andreas, & cæteri Apostoli Dei sunt duodecim: tunc enim de quolibet extremo nō verificatur prædicatum, sed solum de omnibus simul sumptis.

10. Particula *vel* etiam bifarie valet accipi: primo disiunctiue, vt quando disiungit, vel separat diuersas propositiones, vel diuersos terminos, ita vt prædicatum verificetur de subiecto cum disiunctione; vt cum dicimus: Petrus, vel Ioannes loquitur, particula *vel* accipitur disiunctiue, quia prædicatum *loquitur* verificatur de Petro, vel Ioanne, quia propositio de termino complexo, mediante particula *vel* sumpta disiunctiue, æquiualet duabus propositionibus coniunctis. Secundo disiunctim; vt quando disiungit diuersos terminos; ita vt non verificetur prædicatum de aliquo determinate, sed solum indeterminate, & in confuso; vt cum dicimus: hic vel ille oculus est necessarius ad videndum, particula *vel* accipitur disiunctim; quia ita cōiungit terminos positos ex parte subiecti, vt non valeat de aliquo ex illis determinate verificari prædicatum; sed tantum de aliquo ex illis indeterminate, & confuse. Vnde prædicta propositio nō æquiualet pluribus propositionibus, quia non possumus dicere; hic oculus est necessarius ad videndum: vtiq; quia nullus est determinate necessarius ad videndum.

11. Ex hoc infertur suppositionem distributiuā resolui per particulam & copulatiuam, quia (vt supra diximus, cap. præcedenti num. 15.) suppositio distributiua est acceptio termini pro suis omnibus significatis, taliter, vt prædicatū, quod de omnibus verificatur, possit etiā verificari de quolibet in particulari. Merito ergo resoluitur per particulam & copulatiuam, quia habet eandem vim, nam ita iungit diuersos terminos, vt de quolibet in singulari verificetur prædicatum.

12. Etiā ex dictis infertur suppositionem collectiuam resolui per particulam & copulatam, nā hęc particula copulata habet eādem vim, quam possidet signum collectiuum, quia sicut in suppositione collectiua prædicatum dicitur de omnibus simul sumptis, & non de quolibet in particulari; ita particula & copulata iungit terminos, de quibus simul sumptis dicitur prædicatum, & nō de quolibet in particulari.

13. Et idem cum proportione accōmoda est dicendum de particula *vel*, quia, ideo resoluit suppositionem determinatam cum accipitur disiunctiue, quia conuenit cū tali suppositione in hoc,

quod

quod prædicatum dicitur de subiecto ratione alicuius singularis determinate: & ideo resoluit suppositionem confusam, cum accipitur *disiunctim*, quia ita copulantur termini, vt non de quolibet in singulari verificetur prædicatum, sed de aliquo indeterminate, & confuse.

14. Maxime tamen est notandum, quod terminus singularis, & terminus immediate supponens, & vox, quando pro re supponit in propositione, nõ admittunt aliquam resolutionem, quia (vt Summulistæ docent) omnes hi supponunt immobiliter, ita vt non liceat ascendere, vel descendere, quod aperte videbis in hoc versu.

Simpliciter, pro vno, pro se, vox sumpta quiescit

id est: vox non permittit resolutionem per ascensum, seu descensum, quando supponit simpliciter pro immediato significato, nec quãdo supponit pro se, nec denique quando supponit singulariter.

15. Vt igitur sciamus resoluere terminos propositionis, quædam regulæ sunt seruandæ. Prima est; non licet resoluere plures terminos, nisi velis dare antecedẽs verum, & consequens falsum: vt in hac propositione, aliquis homo est rationalis, si simul resoluantur per ascensum hi duo termini, dabitur antecedens verum, & consequens falsum, quia erit verum dicere, *hic homo* signato *Paulo* nõ est hoc rationale, signato *Petro*: & de cæteris similiter; falso tamen colliginus, dicendo: aliquis homo non est rationalis.

16. Secunda regula: resolutio est incipienda â termino aduerbiali; vt in hac, *semper* homo disputat: prius debemus resoluere terminum *semper*; dicendo; ergo in hoc tempore homo disputat; & in illo tẽpore homo disputat; & in alijs tempotibus similiter.

17. Tertia regula: quando in aliqua propositione est terminus supponens *determinate*, resolutio est incipienda â termino supponente determinante; ni mauis cõcedere antecedens verum, & cõsequens falsam; vt quando dicimus: aliquis homo nõ est animal, si resolutio incipiatur â termino *animal*, datur antecedens verum, & consequens falsum, quia verum est dicere: *aliquis non est hoc animal*, & aliquis homo non est hoc animal, signatis alijs animalibus ab homine distinctis.

18. Quarta regula: quotiescũque in aliqua propositione est terminus supponens *distributiue*, & terminus supponens *confuse*, resolutio est incipiẽda à termino supponente *distributiue*; vt constat in hac propositione, omni viuẽti est cibus necessarius ad vitam, prius debemus resoluere terminum *viuenti*, quam terminum *cibus*, dicẽdo: ergo huic viuẽti est cibus necessarius ad vitam: & sic de alijs viuentibus. Postea vero resoluimus terminum *cibus*.

19. Quinta regula: vniuersali-

ter quando prædicatum, & subiectum gaudent eadem suppositione, prius debemus resoluere subiectum, quam prædicatum; vt in hac propositione, aliquis homo legit, terminus *homo*, & terminus *legit* supponit determinate, & sic resolutio est incipienda à termino *homo*, & non à termino *legit*: non quia sequatur ex opposito aliqua repugnantia, sed quia cæteris paribus resolutio cõmodius incipit à subiecto, quàm à prædicato.

CAPVT XVII.

De Relatiuis.

1. VT perfectã suppositionis notitiã habeas, aliqua de relatiuis oportet prælibare. Relatiuum ergo sic definitur: *est rei antelatæ recordatiuum*: vel *est terminus referens aliquid antecedẽs*: vt videre est in hac propositione, Petrus, qui ambulat, disputat, terminus *qui* apellatur relatiuꝰ, quia refert antecedens, scilicet *Petrum*.

2. Prima sui diuisione partitur relatiuũ, in relatiuum substantię, & relatiuũ accidentis: *relatiuum substantiæ est, quod refert aliquod antecedens per modum substantiæ*; vt *quis, quid, sunt*, & cætera. *Relatiuum accidentis est, quod refert aliquod antecedens, per modum accidentis*; vt *qualis, quantus*, & cætera.

3. Vlterius relatiuum substantiæ subdiuiditur in relatiuum reciprocum, & in relatiuum nõ reciprocum: *relatiuum reciprocum est, quod dicit regressionem in suum antecedens*; vt si dicamus: homo diligit se, virgo immaculata diligit filium suum, termini *se*, & *suum* sunt reciproci.

4. Et hoc relatiuum reciprocũ itẽ subdiuiditur in relatiuum primitiuę speciei; vt *ipse, met, idem sui*, & cætera: & in relatiuum detiuatiuæ speciei; vt *meus, tuus, suus, noster, vester*, & cætera. *Relatiuum non reciprocum est quod nullam importat regressionem*; vt relatiuum *qui, cuius*, & alia similia.

5. Relatiuum demique accidẽtis etiam subdiuiditur in relatiuum *identitatis*, & in relatiuum *diuersitatis*: *relatiuum identitatis, seu similitudinis est terminus, qui ponitur loco antecedẽtis, quod infert*; vt cum dicimus: homo, qui currit, disputat, terminus *qui* est terminus relatiuus, quia refert hominem; & est identitatis, quia in illa propositione: *qui currit*, ponitur loco hominis. *Relatiuum diuersitatis est terminus referens aliquod antecedẽs, supponens tamen pro aliquo diuerso*; vt cum dicimus, est animal politicum, & alterum est equus.

6. Pro exacta relatiuorum intelligentia aliquę à Summulis assignantur regulę. Prima est, relatiuum generans sensum copulatiuum, vt animal, quod est admiratiuum, est rationale, æquiualet huic: animal est admiratiuum, & illud est rationale.

7. Secunda regula: relatiuum, quod in vna propositione categorica copulatiua refert antece-

dens

dens in aliam, refert restricte pro eo, pro quo verificabatur propositio categorica antecedentis, vt animal rationale, & illud est admiratiuum, equualet huic: animal est rationale, & illud, quod rationale est, est admiratiuum.

8. Tertia regula: relatiuum reciprocum supponit eodem modo ac antecedens sigillatim; vt si dicas: omnis homo diligit se, particula *se* supponit distributiue sigillatim: ideſt, vt omnibus suppositis subiecti correspondeant singula supposita relatiui.

9. Quarta regula: relatiuum non reciprocum supponit sicut suum antecedens in eodem situ; vt si dicamus: omnis homo currit, & ille docte disputat: relatiuum supponit determinate pro homine, qui currit.

CAPVT XVIII.

De Ampliatione, Restrictione, Alienatione, Diminutione, & Remotione.

1. *Ampliatio, quæ est alia proprietas cõueniens termino intra propositionem, est extensio minoris ad maiorem significationem, seu suppositionem.* Quæ dupliciter accidit, vel ratione copulæ, vel ratione suppositi: tunc datur ratione copulæ, quando extenditur ad diuersas temporum differẽtias; vt in hac, Petrus est iustus potest ratione copulæ sic extendi: est, fuit, & erit iustus. Tunc verò datur ratione suppositi, quando accipitur pro pluribus suppositis ex additione alicuius termini, vel signi, vt in hac, homo est albus, potest ratione termini, vel signi sic extendi, omnis homo est albus.

2. Notandum tamen est semper esse vtendum ampliatione, quando prædicatum repugnat subiecto ratione temporis impottati per copulam; vt si dicas: Deus diligit peccatores: quæ propositio sine ampliatione est falsa: vera tamen, si amplietur iuxta hunc sensum: Deus diligit peccatores, qui fuerunt, nunc verò sunt iusti.

3. *Restrictio vero, quæ etiã est proprietas termini existentis intra propositionem, est coarctatio termini à maiori ad minorem significationem, seu suppositionem:* quod accidit vel ex additione termini connotatiui; vt homo albus disputat: vel ex additione substantiui inferioris; vt animal homo currit: vel ex additione casus obliqui; vt Academia Hirachensis.

4. Vt igitur intelligas modum arguendi in ampliatione, & restrictione, duæ assignantur regulæ. Prima est; ab amplo ad non amplum, seu à non restricto ad restrictum non valet consequentia affirmatiue; secus tamen negatiue; vt si dicamus, est animal, non sequitur; ergo est homo: bene tamen negatiue; vt si dicamus, non est animal; ergo non est homo. Ratio est, nam amplum respectu non ampli, & non restrictum respectu

pectu non ampli, & non restricti respectu restricti se habent vt superius, & inferius. Cum ergo à superiori ad inferius non valeat affirmatiue, sed solum negatiue; ideo præsens assignatur regula.

5. Secunda regula deducitur ex prima, & est hæc: à non amplo ad amplum, seu à restricto ad nõ restrictum valet consequentia affirmatiue, non tamen negatiue; vt si dicas: est homo, bene sequitur; ergo est animal: non tamen negatiue, non est homo; ergo non est animal.

6. Ex his sequuntur aliæ duæ regulæ: prima est ab amplo, ad non amplum, seu à non restricto ad restrictum sine distributione ampli non sequitur consequẽtia, nec affirmatiue, nec negatiue: sequitur vero in vtroq; sensu, si distribuatur amplum, seu non restrictum; vt si dicas: nullus homo est niger, bene valet; ergo Paulus non est niger: cum constantia tamen non ampli valebit affirmatiue; vt si dicas: omnis homo currit, nõ valet ergo hic homo currit; nisi assignetur cõstantia, seu existentia subiecti addendo; & hic homo existit: tunc enim optime sequitur; ergo hic homo currit: hæc tamen constantia nõ ponitur in propositionibus negatiuis, quia sine illa infertur consequentia.

7. Secunda regula est; à nõ amplo ad amplum, seu à restricto ad non restrictum, sine distributione ampli, valet affirmatiue absque aliqua cõstantia non ampli; negatiue verò valet cum constãtia sine distributione, vt si dicas: Paulus currit, bene sequitur: ergo homo currit: & negatiue; Paulus non currit; & Paulus est; ergo Paulus non currit; nullatenus autem sequitur cum distributione ampli; vt si dicas: Paulus differit; ergo omnis homo differit, vel negatiue, Paulus non differit: ergo nullus homo differit.

8. *Alienatio est translatio termini à propria, ad impropriam significationem, seu suppositionem*; vt si dicamus: Leo, agnus; & alia huiusmodi; quę improprie dicuntur de Deo.

9. *Diminutio est distractio termini ab vniuersali, ad partialem significationem*: vt æthiops est albus secundum dentes. Ex hoc frequẽter dici solet, *quod à dicto secũdum quid, ad dictum simpliciter non valet consequentia*; vt si dicas: est albus secundum dentes; ergo absolute est albus.

10. Est denique Remotio, quæ etiam assignatur vt proprietas termini constituentis propositionem, *est distractio termini ab omni suppositione*; vt si dicas: homo irrationalis disputat, terminus *homo* non supponit ratione alterius termini additi, scilicet, rationalis.

CAPVT XIX.

De Appellatione.

1. ACcedamus iam ad vltimã termini proprietatẽ, quæ licet

licet in ordine vltima sit; tamen illius vtilitas, & necessitas ad veritatem, & falsitatem propositionis intelligendam, nec infimum, nec vltimum expoſcit locum. *Est ergo appellatio applicatio ſignificati formalis vnius terminini ad ſignificatum alterius.* In omni autem appellatione datur terminus appellans, & terminus appellatus; vt in hac, Petrus est albus: vbi terminus *albus* applicat suum significatum supra significatum Petri.

2. Pro huius proprietatis intelligentia, nota, quod terminus appellans necessario debet esse connotatiuus, vel ad minus sapere rationem connotatiuis: tum quia terminus appellans applicat alteri, scilicet appellato suum significatum, quòd proprium est termini connotatiui. Tum quia terminus absolutus significat entitatem, quæ conuenit alteri, non per applicationem, sed per identitatem; vt si dicas: homo est rationalis, vbi terminus *rationalis* significat entitatem, quæ conuenit homini per identitatem, & nō per applicationē. Terminus appellatus aliquando est connotatiuus, aliquando verò absolutus, semper tamen est concretus, qui duplici gaudet significato, materiali, scilicet, & formali: vtique, quia appellare, est applicare significatum formale termini appellantis, supra significatum, siue formale, siue materiale termini appellati.

3. Ex quo colliges appellationem esse duplicem, materialem vnam, quæ accidit, quando terminus appellans applicat suum significatum formale, supra materiale termini appellati; vt in hac, Petrus Musicus est magnus: vbi *magnitudo* applicatur Petro, non ratione musicę, sed corporis: formalem aliam, quæ accidit, quãdo formale termini appellantis applicatur supra formale significatum termini appellati; vt in hac, Petrus est magnus musicus: vbi *magnitudo* non applicatur Petro, ratione corporis, sed ratione musicę.

4. Rursus appellatio diuiditur in realem, & rationis, appellatio realis datur, quãdo terminus applicatus significat aliquid reale, vt cum dicimus: homo est albus. Appellatio rationis datur, quando terminus applicatus est aliquid rationis, vt cum dicimus: animal est genus.

5. Pro hac appellatione rationis est notandum, quod terminus secundæ intentionis, seu rationis (quod idem est) semper applicat suum significatum formale supra significatum immediatum termini, cui adiungitur; vt si dicas: homo est species, terminus *species* applicat suum significatum formale supra significatum immediatum hominis. Idemque est dicendum cum proportione accõmoda de verbo, seu termino significante actum animę, vt si dicas: cognosco hominē: vbi verbum *cognosco* appli-

applicat suum significatum formale supra significatum immediatum hominis, quod est intelligendum, quādo entitas cognita proprio nomine significatur; nam si secus euenit, non applicat suum significatum supra significatum immediatum termini subintellecti, vt cum dicimus: audio patrē, vbi verbum *audio* non applicat suum significatum formale supra significatum immediatum termini *patrem*: quia pater, vt formaliter pater non percipitur per auditum; sed supra significatum immediatum huius termini *vocem*, quia vox cognoscitur auditu.

6. His prælibatis proponuntur aliquæ regulæ ad rectā huius capitis intelligentiam. Prima est, quando subiectum est terminus concretus, & prædicatum cōnotatiuus, connotatiuus applicat suum significatum formale supra materiale concreti, vt in hac, Christus est factus: quæ vt hæretica non debet admitti, quia ly *factus* appellat supra suppositū diuinum, cui fieri repugnat: qua de causa, hæc est vera, vt catholica: Christus est æternus.

7. Secunda regula est: quando ex parte subiecti ponitur terminus absolutus, & cōnotatiuus, & ex parte prædicati alius connotatiuus, tunc connotatiuus, qui se habet ex parte prædicati, appellat supra absolutum, qui se habet ex parte subiecti: vt in hac, Petrus musicus est magnus: vbi magnitudo appellat supra corporis magnitudinem.

8. Ad hanc est alia regula proxime affinis, quæ datur, quādo ex parte subiecti ponitur vnus terminus absolutus, & alius connotatiuus appellans: tunc connotatiuus, qui se habet ex parte subiecti, appellat supra absolutum, qui se habet ex parte eiusdem subiecti: vt in hac, Petrus magnus est musicus: tunc magnitudo appellat supra corporis magnitudinem.

9. Si verò ex parte subiecti sit terminus absolutus, & ex parte prædicati duo sint connotatiui; tunc vnus connotatiuus appellat supra alium: vt in hac, Petrus est magnus musicus; tunc magnitudo appellat supra musicam, & nō supra corpus. Ex quo infertur hāc propositionē esse hæreticā, Christus factus est homo: hanc verò catholicam, Christus est factus homo.

10. Sed obijcies. In hac propositione, Petrus albus disgregat visum, prædicatum applicat suum significatum formale supra albedinem, quæ datur ex parte subiecti; ergo hæc regula quo ad primam partem est falsa. Respondetur negando antecedens, nam in tali propositione prædicatum nō appellat supra albedinem, sed supra subiectum; nō absolute acceptum, sed albedine affectum.

11. Tertia regula est: quod quādo nomina numeralia, vt duo, vel tres, & alia huiusmodi applicantur terminis substantialibus, non solum

solum appellant supra significatū materiale; sed etiam supra formale; ratione cuius, hæc propositio, agnosco tres homines, facit hunc sensum, agnosco tres homines habentes tres humanitates: si vero applicantur terminis connotatiuis, tunc non appellant supra significatum formale, sed solum supra materiale, vt si dicas: agnosco tria alba: sensus est, agnosco tria subiecta albedinem habētia: quæ propositio erit vera, etiam si per possibile, vel impossibile eadem albedo esset in tribus subiectis. Huius regulæ doctrinam approbauit noster Anselmus in monologio. cap. 10. his verbis: *nam quæcumque iusta dicuntur adinuicem siue pariter, siue magis, vel minus non possunt intelligi iusta, nisi per iustitiam, quæ non est aliud, & aliud in diuersis.* Hucusque Sanctus, & Doctor Anselmus. Ex quibus verbis apertè constat nomina numeralia cōnotatiuis adiuncta non appellare supra formale, sed solum supra materiale significatum.

12. Ex hac regula constat hāc propositionem in diuinis esse hæreticam, sunt tres dij, quia facit hunc sensum, sunt tria suppositā tres deitates habentia. Ex quo etiam colliges has esse catholicas, & veras, sunt tres omnipotentes, tres æterni, quia hæc nomina licet in re sint substantiua, tamen ex modo concipiendi intelliguntur, vt cōnotatiua: si vero accipiantur vt sunt in re; desit, vt substantiua, sunt falsæ. In quo sensu loquutus fuit Diuus Athanasius in symbolo fidei, dum dixit: *Non tres omnipotentes; sed vnus omnipotens.*

13. Pro adæquata huius capitis intelligentia nota, conclusionem, seu consequentiam esse malam, dum datur appellationis variatio, ad quod sufficit variatio formalis, etiam si realis non sit: vt liquet in hoc syllogismo: Pater est essentia diuina, Filius est essentia diuina; ergo Filius est Pater: in quo illatio est falsa defectu appellationis, nam in maiori Pater est idem cum essentia diuina vt fœcunda, secundum quam fœcunditatem non identificatur essentia diuina cum Filio. Vnde licet identicè sit eadem essentia, tamen, quia formaliter nō est eadem, falsificatur illatio. Ex quo colliges hoc proloquium; scilicet: *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, solum esse verum, quādo extrema sunt eadem cum tertio re, & ratione: vt docet Diuus Thomas pluribus in locis.

LIBER SECVNDVS SVMMVLARVM.

IAM primæ intellectus operationis propositum manet obiectum in simpliciorum terminorum notitia, nunc autem secundus liber ad secundam operationem intellectus illustrandam dirigitur. Quæ operatio, compositio, seu diuisio appellatur: & ideo in illo de compositione, & diuisione terminorum, & nominum disputabimus: inter quæ primò se offert oratio.

CAPVT I.

De Oratione.

1. SOlet à Doctoribus definiri oratio per hoc *quod sit vox significatiua ad placitum, cuius partes separatæ significãt:* vt homo albus: sicque ab illis explicatur. Ly *vox* ponitur in quantum abstrahit ab vna, vel pluribus vocibus: in quo conuenit cum termino vocali. Ly *cuius partes separatæ significant* ponitur, vt distinguatur à termino, & nomine.

2. Veruntamen definitio, & explicatio difficiliter apparent, quia præterquamquod ly *vox* est impropria particula ad terminorum vt sic explicationem, impropriior apparet in oratione, nam in illa non debet apponi *vox*; sed *voces* tecum in hoc differat à termino. Deinde deficit: quia tota definitio conuenit termino cõplexo. Nec exemplum placet: quia ei deficit verbum *est*; quod est de essentia orationis.

3. Nec solutio allata a Cõplutensibus, scilicet, terminum complexum significare per modum partis, orationem verò per modum totius, aliquid valet. Nam nomina absq; vnione non faciunt significationem totalem; vt cernere licet à similí in naturalibus, in quibus non fit totum ex contiguatione, sed ex vnione partium.

4. Ex quo liquet orationem sic esse definiendam. *Oratio est nominum vnitorum compositio*; vt homo est animal. Ponitur ly *nominum*; quia non sufficit vnũ nomen, quãdo plura nomina sunt necessaria. Ly *compositio* ponitur loco differentiæ:

rentiæ: & debet accipi passiue, & non actiue, quia oratio est compositio ex nominibus resultans medio verbo, quod est compositionis nexus, seu nota.

5. Oratio igitur diuiditur in perfectam, & imperfectam: *oratio perfecta est, quæ perfectum generat sensum, & qua audita nostrer quiescit intellectus*; vt si dicas: Paulus est homo. *Oratio imperfecta est, quæ imperfectum generat sensum, in qua nõ quiescit animus*; vt si dicas: Paulus disputans.

6. Rursus oratio perfecta subdiuiditur in indicatiuam, vt Petrus disputat: & in imperatiuam, vt Petre disputa: & in optatiuã, vt vtinam disputares: & in coniunctiuam, vt si disputaueris, eris doctus: & denique in deprecatiuam, vt miserere mei Deus: inter has sola indicatiua est enũciatio, seu propositio: de qua infra. cap. 6. de propositione.

7. Deinde oratio imperfecta etiam subdiuiditur in orationem imperfectam contractam per modum sciendi, & in orationem imperfectam, quæ talem perfectionem non participat. Sed quia de his est statim agendũ, ideo proprias definitiones omittimus.

CAPVT II.

De modo sciendi.

1. MOdus sciẽdi *est oratio ignoti manifestatiua.* Ly *oratio* ponitur loco generis: in quo cõuenit cum alijs orationis speciebus; aliæ vero particulæ ponuntur loco differentiæ. Modus ergo sciẽdi adæquate diuiditur in triplicẽ speciem; videlicet, in definitionem, diuisionem, & argumentationem. Quod facile probatur, nam in rebus solum triplex ratio valet esse ignota; videlicet, essentia, partes, & proprietates illius, sed totum hoc manifestatur per definitionem, diuisionem, & argumentationem, vt ex dicendis. q. 3. logicæ fusius constabit; ergo modus sciendi adæquatè in has tres species diuiditur.

2. Primo obijcies: multoties essentia alicuius rei, v.g. hominis est ex se nota; ergo tunc definitio nõ manifestat ignotum, ergo non exercet rationem modi sciendi. Respondeo negando cõsequentiam, nam licet tunc de facto, & in actu exercito non manifestet ignotum; tamen ex se est manifestatiua illius: quod sufficit ad rationem modi sciendi; vt ex illius constat definitione.

3. Secundo obijcies: hæc propositio homo est animal, v.g. manifestat essentiam hominis; & tamẽ nõ assignatur vt modus sciẽdi; ergo vel diuisio non est adæquata, vel definitio non est legitima. Respondeo distinguendo maiorem, manifestat essentiam hominis, per se, nego maiorem, manifestat essentiam hominis per accidens, concedo maiorem, nego que consequentiam: nam propositio per se solum est enunciatiua;

tiua; & ideo si manifestat, non est per se, sed per accidens, ratione definitionis adæquate, vel inadequate inclusæ.

CAPVT III.

De definitione.

1. ACcedamus ad primã modi sciẽdi speciẽ; quæ ideo prima dicitur, quia illius notitia ad primam intellectus spectat operationem; sicut secunda talis dicitur, quia ad secundam spectat; & denique tertia talis denominatur, quia eius indagatio ad tertiam spectat. Cum ergo harum notitia simul debeat apponi, ideô de illis in hoc secundo libro disputabimus; quia mediat inter primum, & secundum.

2. *Definitio ergo est oratio naturam rei, vel nominis significationem exponens.* Et prima sui diuisione partitur in quid rei, & quid nominis. Prima, quæ simpliciter talis est, explicationem rei respicit: secunda, quæ nimis late, & impropriè talis dicitur, respicit ethymologiam nominis; vt *lapis* explicatur per pedis læsionem.

3. Rursus definitio quid rei est duplex: alia essentialis, & quidditatiua; & est illa, quæ explicat essentiam rei per partes essentiales, vt quando dico; homo est animal rationale; vbi non solum explicatur essentia hominis; sed etiã per principia intrinseca, & per conceptus quidditatiuos. Alia verò est descriptiua; & est illa, quę explicat essentiam rei per id, quod est extra essentiam rei, licet ad illam sit consequutum; vt quando explicatur per passiones, & proprietates, vt cum dico: homo est animal risibile. Ad hanc potest reduci, quæ datur per causas extrinsecas, vt quando dico: anima est creata à Deo ad beatitudinem: vbi explicatur anima per causas extrinsecas, scilicet, per efficientem, & finalem.

4. Alia definitio solet assignari, quæ accidentalis dicitur; & est illa, quæ explicat essentiã rei per accidentia communia, ita definito appropriata, vt quamuis omnia sigillatim in alijs inueniãtur, tamen omnia simul solum possunt definito adaptari, vt quando dico: homo est animal pulchrum, Bipes, implume, habens caput rectum: sed hæc ad descriptiuam debet reduci.

5. Prima ex conditionibus ad bonam definitionẽ requisitis est, quod constet genere, & differentia; seu quod idẽ est, quod in definitione ponatur aliquid per modum generis, & aliquid per modum differentiæ; vt videre est in hac: homo est animal rationale; vbi *animal* est genus, & *rationale* differentia. Ratio huius cõditionis est, nam quælibet natura definibilis (vtpote species) conuenit in aliqua ratione cõmuni cum omnibus rebus existentibus sub eadem ratione communi, & differt ab illis per rationẽ differentialem;

tialem; ergo omnis bona definitio debet constare genere, & differentia.

6. Secunda conditio est, quod definitio sit clarior suo definito, quia propriù definitionis est explicare, seu manifestare definitum: quod munus non valet exercere, si definitio esset æque ignota, aut ignotior suo definito.

7. Tertia cõditio est, quod definitio conuertatur cum suo definito; ita vt dicatur de solo definito: ratio est, quia definitio adæquate explicat essentiam definiti: ergo definitio debet conuerti cũ suo definito, & non cum alio.

8. Quarta conditio est, quod in definitione nõ ponatur aliquid superfluum, aut diminutum, quare illæ erunt malæ definitiones: homo est animal rationale religiosum; & homo est rationalis, quia in prima superfluit particula *religiosum*; & in secunda deficit particula *animal*.

9. *Definitum igitur est id, cuius natura, aut proprietas explicatur per definitionem*; vt cum dicimus: homo est animal rationale: homo, qui, explicatur per animal rationale, est definitum. Quòd suas etiam exposcit conditiones. Prima est, quod sit vnum per se, & nõ vnum per accidẽs, seu per aggregationem: ratio huius est, nam vnum per accidẽs constat ex pluribus naturis, quę vna non valent explicari definitione.

10. Secunda conditio est, quòd definitum sit per modum entitatis compositæ; ita vt de illo possimus formare duos conceptus subordinatos, vnum per modum generis, & alium per modum differentiæ. Quare Deus non est definibilis, quia ei repugnat metaphysica compositio generis, & differentiæ.

CAPVT IV.

De Diuisione.

1. *Diuisio est oratio totum in suas partes distribuens*; vt homi nis alia pars corpus, & alia anima rationalis. Vnde illud, quod diuiditur, vocatur diuisum; partes vero in quas diuiditur, membra appellantur diuidentia: actio tamen, quæ tales partes diuidit, dicitur diuisio. Ex quo fit, quòd diuisio possit dupliciter accipi; vel actiue, pro actione diuidente, vel passiue pro partibus ipsius diuisi; in quo sensu procedit in præsenti diuisio.

2. Quæ primò diuiditur in quid rei, & quid nominis: *quid rei est oratio distribuens rem in suas partes*; vt constat in exemplo hominis supra allato. *Quid nominis est oratio distribuens nomen in varias significationes*; vt cum dicimus: canis significat ydus, & significat piscem, & denique animal domesticum.

3. Diuisio quid rei alia est essentialis: quæ est duplex. Prima generis in species, seu potentialis; vt cum animal diuiditur in

hominē, & equum. Secunda generis in differentias; vt cum animal diuiditur in rationale, & irrationale: alia est diuisio accidentalis, quæ accidit, quādo diuisum diuiditur per membra ei accidētaliter aduenientia: & hæc est triplex; prima subiecti in accidētia; vt homo, alius albus, alius niger. Secunda accidētis in subiecta; vt terminus, alius vocalis, alius scriptus, alius mentalis. Tertia denique accidentis in accidentia; vt album, aliud dulce, aliud amarum.

4. Sed pro intelligentia diuisionis notandum venit primo, quod in diuisione potentiali mēbra diuidentia debent contineri sub diuiso; & diuisum de omnibus debet dici, seu prædicari, est enim diuisum prædicatum superius, & membra diuidentia inferiora respectu diuisi: quare à diuiso ad membra diuidentia negatiue est optima consequentia, vt si dicas: non est animal; ergo non est homo: non tamen affirmatiue, vt si dicas: est animal; ergo est homo: & è conuerso à membro diuidente ad diuisum affirmatiue est bona consequētia, vt si dicas: est homo; ergo est animal: nō vero negatiue, vt si dicas: non est homo; ergo non est animal. Possumus etiam arguere affirmatiue; à diuiso ad membra diuidentia cum disiunctione; & à diuiso ad membrum diuidens affirmatiue, & determinate cum exclusione aliquarum partium, vt cum dicimus: est animal; ergo rationale, vel irrationale: & cum dicimus: est animal, & non rationale; ergo irrationale.

5. Secundò notandum venit, quod omnis diuisio debet esse bimembris, aut trimembris; vtique, quia diuisione vtitur intellectus ad maiorem claritatem, ne multitudine partium confundatur. Vnde quando totum potentiale v. g. *animal* plura sub se inferiora habet, vnum determinate enumeratur in diuisione, reliqua vero inferiora in aliquo communi, in quo conueniunt, vel in aliqua negatione, quæ de omnibus illis prædicatur; vt constat in diuisione animalis in hominē, & equū, & in rationale, & irrationale.

6. Prima ex conditionibus ad bonam diuisionem requisitis est, quòd quodlibet ex membris diuidentibus sit inferius diuiso; ita vt quodlibet ad minus se extendat, quam diuisum, vt anima rationalis, quæ ad minus se extendit, quam homo, qui est diuisum.

7. Secunda, quòd membra diuidentia simul sumpta, & vnita, adæquēt diuisū; ita vt totū, quod in confuso datur in diuiso, clarè appareat in membris diuidentibus.

8. Tertia conditio, quod membra diuidentia inter se distinguātur distinctione saltim rationis, vt datur in membris diuidentibus bonum; in honestum, vtile, & delectabile.

9. Sed contra primam conditionem

tionem sic obijcies: hæc est bona diuisio hominis, alia pars animal, alia rationale; & tamen animal est superius diuiso; ergo de ratione diuisionis non est, quòd membra sint inferiora diuiso. Respondeo concedendo maiorem, & distinguendo minorem; animal est superius diuiso, vt totum potentiale, concedo minorem: vt pars actualis, nego minorem, & consequentiam: nam animal valet bifarie accipi; vel vt pars actualis, vel vt totum potentiale: in prima est pars hominis inferior diuiso, in secunda verò non est pars, sed totum potentiale superius: & sic argumentū laborat in æquiuoco.

CAPVT V.

De argumentationes

1. *ARgumentatio est oratio explicans illationem vnius ex alio: vel est oratio, ex qua, vno dato, alterum sequitur*; vt Petrus currit; ergo mouetur: hæc propositio dicitur argumentatio, quia in illa vnum ex altero colligimus.

2. Argumentatio est trimembris: & prima nominatur conditionalis, quia in illa illationis nota est conditionalis particula, vt si dicas: si Paulus currit, Paulus mouetur. Secunda verò dicitur causalis, quia in illa illationis nota est particula causalis, vt si dicas: quia Petrus currit, Petrus mouetur. Et denique tertia appellatur absoluta, quia in illa illationis nota denotat consequens inferri ex antecedenti absque aliqua conditione, vt si dicas: Ioānes currit; ergo Ioannes mouetur.

3. Sed notandum venit, quod aliquando in antecedenti ponitur vnica propositio, quæ appellatur antecedens, ex quo colligitur aliqua propositio, vt cum dicimus: Paulus currit; ergo Paulus mouetur. Talis modus arguēdi nominatur enthymema, seu syllogismus truncatus. Aliquando vero ponuntur in antecedenti duæ propositiones, quarum prima dicitur maior, & secunda minor, ex quibus sequitur cōsequēs, vt cum dicimus: omne, quòd currit, mouetur, Petrus currit; ergo Petrus mouetur: & hic arguendi modus appellatur syllogismus. Aliquando etiam in antecedenti assignantur plures propositiones de termino singulari; ex quibus sequitur alia de termino communi, vel è conuerso, in antecedenti ponimus propositionē de termino communi, ex qua sequuntur propositiones de singularibus: vt cum dicimus: hic ignis calefacit, & hic, & sic de alijs; ergo omnis ignis calefacit: vel è conuerso; omnis ignis calefacit: ergo hic, & ille, & sic de alijs calefaciunt. Hic modus arguēdi dicitur inductio, vel ascensus. Et denique aliquando vtimur similitudine ad colligendam aliquam conclusionem, vt cum dicimus, Deus pepercit Magdalenæ, & Latroni pœnitē-

tiam agentibus; ergo & mihi, si pœnitentiam egero, parcet. Talis modus arguendi nominatur exemplum.

4. Pro argumentatione hanc obseruabis regulam: videlicet, quod consequens, seu conclusio illata inferatur ex antecedenti, tanquam ex causa; nunc consequés sit verum, nunc falsum: aliàs argumentatio non erit legitima, etiam si consequens sit verum, vt videre licet in his exéplis, equus est Leo; ergo equus est rugibilis: equus est substantia; ergo equus est sensibilis: vbi prima argumẽtatio est bona, quia sequitur consequens ex antecedenti; & secunda mala, quia non sequitur consequens ex antecedenti.

CAPVT VI.

De Propositione.

1. *Propositio est oratio enunciatiua vnius de alio*: vt homo est animal: ly *homo*, de quo dicitur, quod sit animal, est subiectum; & ly *animal*, quod dicitur de homine, est prædicatum: vtique, quia subiectum est, de quo aliquid dicitur; & prædicatum, quod dicitur de subiecto: tunc ergo propositio est vera, quando enunciat quod est subiectum; & tunc falsa, quando enunciat, quod non est; siue affirmando, siue negando. Hanc doctrinam accepi ex Diuo Anselmo dialogo de veritate. cap. 2. vbi sic loquitur. *Queramus ergo quid sit veritas in enunciatione; quoniam hanc dicimus propositionem veram, vel falsam: quando ergo est enunciatio vera? quando est, quod enunciat, siue affirmando, siue negando.*

2. Propositio prima sui diuisione diuiditur in cathegoricam, & hypotheticam: *prima est, quæ constat subiecto, copula, & prædicato*; vt homo est animal. Et nota, quod aliquando propositio cathegorica integra habet orationem subiecti; vt in hac, homo est animal est propositio: vbi vere, & proprie datur copula requisita ad essentiam propositionis cathegoricæ. *Hypothetica vero est, quæ constat ex pluribus cathegoricis aliquali copula vnitis*: vt Petrus currit, & Ioannes loquitur: quæ impropriè cruciat, per latam, & metaphoricam copulam.

3. Rursus propositio cathegorica diuiditur in affirmatiuam, & negatiuam: *prima est, quæ vnit prædicatum subiecto*: vt homo est animal: *secunda est, quæ prædicatum remouet à subiecto*: *vt homo est lapis.*

4. Vt autem propositionis essentiam agnoscas, sciendum est propositionem esse artificium rationis, ad similitudinem artificij realis factum: & sic, sicut artificium reale physicum constat ex forma, materia, quantitate, & qualitate; sic suo modo in propositione, forma est vnio prædicati, & subiecti, materia est subiectum, & prædicatum: nam licet prædicatum respectu subiecti sit forma; tamẽ respectu propositionis

est

est partialis materia: quantitas est magnitudo, respectu cuius propositio dicitur vniuersalis, vel particularis, quæ debet accipi ex parte subiecti; sicut magnitudo compositi physici accipitur ex parte materiæ primæ, ad quã sequitur quãtitas in probabili opinione; cum hoc discrimine, quod quantitas compositi physici est molis; at propositionis, non est molis, sed virtutis: qualitas verò propositionis, secundum quã dicitur vera, vel falsa, est, quæ ad propositionis ornatum pertinet; sicut qualitas compositi physici est ad ornatum ipsius spectans.

5. Quo supposito propositio ratione materiæ diuiditur in necessariam, contingentem, & impossibilem. *Necessaria dicitur, quãdo prædicatum ita necessario dicitur de subiecto, vt ab illo separari nõ possit*, vt homo est animal. *Contingens est, quando prædicatum accidentaliter dicitur de subiecto*, vt homo est albus. *Impossibilis tandem datur, quando prædicatum repugnat subiecto*, vt homo est lapis.

6. Rursus propositio ratione quantitatis diuiditur in vniuersalem, particularem, & indefinitã. *Vniuersalis est, quæ subiectum aliquo signo vniuersali afficit*: vt omnis homo est animal. *Particularis est, quæ subiectum aliquo signo particulari afficit*: vt aliquis homo est animal. *Indefinita est, quæ nullo signo afficit*, vt homo est animal; quæ propositio, si fit in materia necessaria, æquiualet vniuersali, nam hæc, homo est animal, ratione materiæ æquiualet huic; omnis homo est animal. Si verò fiat in materia contingenti, æquiualet particulari, nam hæc, homo est albus, æquiualet huic, aliquis homo est albus.

7. Alia definitione solet à Sũmulistis propositio vt sic, definiri; scilicet, *per hoc quod sit oratio verum, vel falsum significans*. Verum tamen hæc definitio non est essẽtialis, sed descriptiua: cum veritas, vel falsitas solum pertineat ad propositionem per modũ qualitatis; quæ ad summum est proprietas rei, cuius est qualitas.

8. Nec ex opposito est, quod detur per oppositã; scilicet, per verum, & falsum. Nam hæc oppositio solum datur respectu tertij, quãdo est cum simultate; quæ in præsenti non reperitur, vt cõstat ex definitione.

CAPVT VII.

De oppositione.

OPpositio, quæ est proprietas resultans ex comparatione vnius propositionis ad aliam, sic definitur ab Aristotele 1. elẽchorum. *Oppositio est affirmatio, & negatio eiusdẽ de eodem.* Ad quod requiritur, vt quod propositiones habeant idem subiectum, & prædicatum, tam quoad vocem, quã quoad rem significatam per vocem. Insuper quod affirmatio, & negatio sit eiusdẽ de eodem pro

eodem tempore, & loco, & cum eadem determinatione, & denique quod ex parte copulæ principalis detur variatio ratione negationis.

2. Oppositio ergo diuiditur in contradictoriam, contrariam, & subcontrariam. *Cõtradictoria versatur inter duas propositiones ita se mutuo excludentes, vt non possint esse nec simul veræ, nec simul falsæ*, vt omnis homo est animal, aliquis homo non est animal. *Contraria versatur inter duas propositiones ita se excludentes, vt non possint esse simul veræ, bene tamen simul falsæ; si sint in materia contingenti*, vt omnis homo est albus, nullus homo est albus. *Subcontraria est, quæ versatur inter duas propositiones ita se excludẽtes, vt non possint esse simul falsæ, benè tamen simul veræ; si sint in materia contingenti*, vt aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus.

3. Præter has oppositiones assignatur ab auctoribꝰ alia, quę subalterna appellatur; sed hæc propriè, & per se non est oppositio, nisi solum secundum quid ratione quantitatis. Ratio huius est, nam vna propositio ex subalternis non excludit aliam; immo illam infert: vt constat in his, omnis homo est albus, aliquis homo est albus, prima enim nullatenus dicit oppositionem cum secunda, sed illam absque oppositione infert; ergo oppositio, quæ subalterna appellatur proprie, & simpliciter, non est oppositio.

4. Quod autem propositiones contradictorię ita se mutuo excludant, vt non possint esse nec simul veræ, nec simul falsæ, cõstat ex illo trito *quodlibet est, vel non est*. Implicatorium namque est, quod idem subiectum habeat, & non habeat eandem perfectionem, sed si duæ contradictorię essent simul veræ, vel simul falsæ verificaretur de eodem subiecto, quod haberet, & non haberet eandem perfectionem, vt constat in his, Petrus est albus, Petrus non est albus; ergo propositiones contradictoriæ ita se mutuo excludunt, vt non possint esse nec simul veræ, nec simul falsæ.


5. Quod vero propositiones contrariæ non possint esse simul veræ, constat ex oppositione cõtradictoria, nam si hæc propositio esset vera, omnis homo est albus, etiam hæc particularis; aliquis homo est albus, sed hæc opponitur contradictorię huic, nullus homo est albꝰ; quæ per se etiã est vera; ergo ex veritate duarum contrariarũ sequuntur duæ contradictoriæ simul veræ; quod est impossibile, vt constat ex nuper dictis.

6. Sed contra istam rationem sic obijcies, per nos duæ contrariæ possunt esse simul falsæ; ergo possunt dari duæ contradictoriæ simul falsæ: quod ita implicat, ac si essent simul veræ. Antecedens est certum: consequentia probatur, hæc propositio, omnis homo est albus, valet esse falsa; ergo eiã

hæc;

hæc, aliquis homo est albus, sed hæc opponitur contradictoriæ huic vniuersali negatiuæ, nullus homo est albus; quæ per nos etiã valet esse falsa; ergo ex falsitate duarum contrariarum sequitur falsitas duarum contradictoriarum: quod est impossibile; vt ex dictis constat. Respondetur nihilominus concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam vt aliqua propositio vniuersalis negatiua sit falsa, non est opus, quod omnes particulares sint falsæ; sed sufficit, quod aliqua ex illis sit falsa: at vero vt vniuersalis affirmatiua sit vera, necessarium est, quod omnes particulares sint veræ: ratio huius sumitur ex illo trito: *malum ex quocumque defectu, bonum verò ex integra causa.*

7. Ex his colligo ratione, quare duæ subcontrariæ possunt esse simul veræ, & non simul falsæ, nã si istæ propositiones, aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus, essent simul falsæ, propositiones contrariæ, quæ cum his habent oppositionem cõtradictoriam, essent simul veræ: ex quo sequitur inconueniens supra allatum; videlicet, quòd duæ cõtradictoriæ essent simul veræ. Vt ergo facilius percipias prædictas oppositiones, affigitur hic à Summuliſtis præsens figura.



8. Pro adæquata huius capitis intelligentia nota, quòd si oppositio contraria, vel subcontraria fiat in materia necessaria, seu naturali, semper vna ex propositionibus est falsa, & alia vera ratione materiæ: & sic quando affirmamus, quod duæ cõtrariæ possunt esse simul falsæ, & duæ contrariæ simul verę, loquimur in materia contingenti, vt intuenti cõstabit.

CAPVT VIII.

De Æquipollentia propositionum.

1. *Æquipollentia est æquivalentia duarum propositionũ eiusdem subiecti, & prædicati, ratione alicuius negationis antepositæ, seu postpositæ.*

2. Sed est notandum, quod propositiones contradictoriæ fiunt æquipollentes, quando cuilibet earum anteponitur negatio: cõtrariæ verò fiunt æquipollentes, quando post subiectum immediate ponitur negatio: subalternæ denique fiunt æquipollentes, quãdo anteponimus, & postponimus negationem; vt si dicas: omnis homo est animal, cui si anteponamus negationem dicendo: non omnis homo est animal, redditur particularis negatiua; & vt sic æquiualet suæ contradictoriæ. Si verò ponamus negationem post subiectum, dicendo: omnis homo non est animal, redditur vniuersalis negatiua; & vt sic æquialet cõtrariæ. Et denique si anteponamus, & postponamus subiecto negationem, redditur particularis affirmatiua, quia duæ negationes affirmant: & sic æquialet suæ subalternæ: quod memoria retinebis sequẽti carmine.

Præ, contradic, Post contra,
Præ postq. subalter.

In primis verbis, scilicet, *Præ contradic*

tradic ponitur regula ad faciẽdas æquiualentes duas contradictorias. Vnde præpoſita negatione vni propoſitioni, alteri æquiualet; vt liquet in his: omnis homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus: ſi primæ prꝑponatur negatio, ꝑquiualet ſecundæ; & ſi ſecundꝫ, ꝑquiualet primæ.

3. In ſequentibus *Poſt contra* ponitur regula ad faciendas ꝑquiualentes duas contrarias. Vnde, vt duæ contrariæ ſint æquiualentes, ſolum requiritur, quod negatio poſtponatur ſubiecto.

4. Eadem pro ſubalternis ſtatuitur regula in vltimis verbis, ſcilicet *Præpoſtque ſubalter.* Vnde vt vna ſubalterna alteri æquiualeat, opus eſt, quod ponantur duę negationes, vna ante ſubiectum, & poſt ſubiectum alia.

CAPVT IX.

De conuerſione propoſitionum.

1. *Conuerſio* (quæ eſt vltima propoſitionis proprietas) *eſt duarum propoſitionum vnius ad alteram neceſſaria conſequentia per tranſmutationem ſubiecti in prædicatum, & prædicati in ſubiectum*; vt ſi dicas: homo non eſt lapis, valet conſequentia per conuerſionem dicendo; ergo lapis nõ eſt homo.

2. Conuerſio ergo eſt triplex: ſimplex, per accidens, & per contrapoſitionem. *Simplex eſt, quando ſubiectum tranſmutatur in prædicatum, & prædicatum in ſubiectum, manente eadem quantitate, & qualitate*, vt ſi dicas: nullus homo eſt equus, nullus equus eſt homo; dicitur ſimplex, quia variatio ſolũ ſtat penes eſſentialia, quapropter potiori iure poterat dici eſſentialis, quàm ſimplex. *Conuerſio per accidens eſt, quando de ſubiecto fit prædicatum, & de prædicato ſubiectum, ſeruata qualitate, & mutata quantitate*; vt omnis homo eſt animal, aliquod animal eſt homo: dicitur autem per accidens, quia variatio non ſolum eſt in eſſentia, ſed etiam in accidenti, ſcilicet, in quantitate. *Conuerſio per contrapoſitionem fit, quando ſubiectum trãſmutatur in prædicatum, & prædicatũ in ſubiectum, manente eadem quantitate, & qualitate, & mutatis terminis finitis, in infinitos*: quę dicitur per contrapoſitionem, quia termini mutantur in ſuos contrarios, vt omnis homo eſt albus, omne non album eſt non homo: quæ conuerſio propriè non eſt talis, quia poti⁹ eſt terminorum deſtructio, quam illorum conuerſio. Vt ergo cognoſcas propoſitiones, quæ poſſunt conuerti in quacumque conuerſione ſtatuuntur ſequentes verſus.

Simpliciter feci; conuertitur Eua per acci.
Aſto per contra, ſic fit conuerſio tota.

Et vt cognoſcas, quid quælibet littera ſignificet, alij ſtatuuntur verſus.

Aſſerit, A, negat, E, ſunt vniuerſaliter ambo,

Asseri, I, negat, O, sunt particulariter amoo.

3. Ex quibus dare liquet, quod littera, *A*, significat vniuersalem affirmatiuam, littera, *E*, vniuersalem negatiuam, littera, *I*, particularem affirmatiuam, & littera, *O*, particularem negatiuam. Vnde littera, *E*, & *I*, quæ dantur in ly, *Fecit*, denotant propositionem vniuersalem negatiuam, & particularem affirmatiuam, per conuersionem simplicé esse conuertendam. Insuper littera, *E*, &, *A*, quę sunt in ly, *Eua*, denotant vniuersalem negatiuã, & vniuersalem affirmatiuam posse per conuersionem per accidens conuerti. Et denique litteræ, *A*, &, *O*, quæ continentur in ly, *Asto*, denotant vniuersalem affirmatiuam, & particularem negatiuam posse conuerti per contrapositionem.

4. Pro adæquata huius capitis intelligentia nota, quod in conuersione, sicut in oppositione propositionum debemus obseruare easdem proprietates logicales; propter quod hęc propositio, aliquis puer erit senex, non rectè conuertitur, si dicas; ergo aliquis senex erit puer, quia terminus *senex* in prima propositione nõ supponit ample, sicut in secunda: & ideo conuersio debet fieri sic; ergo aliquis futurus senex est, vel erit puer.

CAPVT X.

De modalibus.

1. IN superioribus actum est de propositionibus absolutis; nunc vero aggredimur explicare essentiam, & passiones modalis propositionis, quæ differt ab absoluta, in hoc quod absoluta tantum affirmat, aut negat prædicatum de subiecto; at vero modalis vltra hoc explicat prædicatum conuenire subiecto ratione alicuius modi secundum conuenientiam *necessariam, contingentem, aut remotam*, vt si dicas: homo cõtingenter currit: vbi non solum dicitur prędicatum de subiecto; sed etiam contingenter ei conuenire.

2. *Propositio ergo modalis est illa, quæ speciali est affecta modo*; vt Petrum currere est impossibile. Modus ergo sic definitur â D. Thoma opusc. 40. *Est adiacens rei determinatio*; vt Petrus albus docte disputat, vbi ly *albus* determinat subiectum, & ly *doctè* determinat verbum: sed de his modis nõ disputamus in præsenti, quia sunt vniuersales, & inutiles ad propositionum modalium constitutionem.

3. Modi igitur ad propositiones modales requisiti sunt in quadruplici differentia; scilicet; *possibilis, contingens, necessarius, impossibilis*, qui sufficiunt ad omnẽ propositionem, nam ad propositionem, quæ datur in materia naturali, vel necessaria datur *necessarius*; & ad propositionẽ, quæ datur in materia cõtingenti, datur *contingens, seu possibilis*: & denique

ad

ad propositionem, quæ datur in materia remota, datur impossibilis.

4. Nota tamen, quod modus aliquando accipitur aduerbialiter, vt cum dicimus: homo possibiliter currit: aliquãdo verò nominaliter, vt cum dicimus: hominẽ currere est possibile. Quando sumitur aduerbialiter, modus semper cadit supra copulam: quãdo vero nominaliter tota propositio ponitur pro subiecto, & modus pro prædicato, vt verificatur de subiecto ratione connexionis extremorum cõstituentium propositionem; & tunc propositio integra, quæ ponitur loco subiecti, appellatur *dictum*; & modus, qui ponitur loco prædicati, *modus*.

5. Quo supposito propositio modalis diuiditur in compositã, & diuersam; *composita datur, quãdo modus vnit extrema secundum significata formalia*; vt album est nigrum est possibile; quæ facit hũc sensum, albedo, & nigredo possunt simul poni in eodem subiecto pro eadem temporis duratione: dicitur autem cõposita, quia pro eadem duratione diuersas, & contrarias componit, seu vnit formas. *Diuisa datur, quando modus vnit significatum formale prædicati significato materiali subiecti*; vt album possibiliter est esse nigrũ; quæ propositio facit hũc sensum, subiectum, quod pro aliqua duratione est album, pro alia valet esse nigrum: dicitur autem diuisa, quia iungit, vel vnit nigredinem subiecto, non vt albo reduplicatiue, sed secundum se accepto.

6. Vt autem cognoscas, quando propositio modalis est composita, quando vero diuisa, hanc regulam obserua. Quotiescumq; modus mediat inter extrema, & verbum, toties facit sensum diuisum, vt si dicas: album possibiliter est esse nigrum: quoties verò modus habet rationem extremi, toties facit sensum compositum, vt si dicas: album esse nigrum est possibile; vel possibiliter est album esse nigrum.

7. Denique notandum venit, quod duplex quantitas valet inueniri in propositione modali: vna *in dicto*, in qua conuenit propositio modalis cum absoluta; altera *in modo*, in qua differt ab absoluta propositione: & sic illam poteris agnoscere, *necessariũ*, & *necessario* sunt signa vniuersalia affirmatiua: *impossibile*, & *impossibiliter* sunt signa vniuersalia negatiua: *possibile*, & *possibiliter*, *cõtingens*, & *contingenter*, quando eodem modo modificant propositionem, sunt signa particularia affirmatiua, & quando eisdem postponitur negatio, sunt signa particularia negatiua: quæ his carminibus memoriæ trades.

Omnis necessè valet, impossibile nullus.
Possibile quidam, quidam non, possibile non.

8. Pro complemento capitis inqui-

inquires, quare modus de impossibili, & necesse, sint signa vniuersalia; & modus de possibili, & contingenti sint signa particularia? Respondeo, quia primi modi distribuunt tempus, & quodammodo distribuunt subiectum dicti, præcipue si nullo signo afficiatur, habét vim signorum vniuersalium: nam quod necessario est, semper est, & quod necessario conuenit, omnibus conuenit, & quod impossibiliter est, nunquã est, & quod repugnat termino absolute, semper omnibus indiuiduis illius termini repugnat: at vero modus contingens, & possibile secundum se, nec distribuunt tempus, nec subiectum dicti, quia quod contingenter est, aut possibiliter est, nõ sequitur, quod semper sit, & quod in omnibus sit; sed quod aliquando sit, & in aliquibus sit.

9. Hic lato calamo disputari solet ab aliquibus de sensu composito, & diuiso: sed quia hæc subtilis diuisio maiorem, quam incipientium expostulat sensum, ideo ab illa supersedeo.

CAPVT XI.

De oppositione, æquipollentia, & conuersione propositionum modalium.

1. PAssiones ex propositionibus modalibus dimanãtes facile cognoscet, qui regulas supra traditas de propositionibus absolutis aduerterit, nam sicut propositio absoluta, quæ constat signo vniuersali affirmatiuo, opponitur contradictoriæ particulari negatiuæ; sic modalis de necesse opponitur contradictoriæ modali de possibili non; & sicut in propositionibus absolutis vniuersalis affirmatiua, & vniuersalis negatiua opponuntur contrariæ; sic in modalibus, modalis de impossibili, & de necessario opponuntur contrariæ: & similiter propositiones de possibili, & possibili non opponuntur subcontrariæ; & propositiones de necesse, & de possibili opponuntur subalternæ.

2. Nota secundo quantitatem modalium oriri ex duplici principio, nam quantitas primò dimanat ex subiecto, sicut in absolutis dictum est cap. 6. de propositione, secundo ex modo, & inter quatuor assignatos *necessario*, & *impossibiliter* gaudent vniuersalitate, nam *necessario* idem est, ac *semper*, & *impossibiliter*, idem est, ac *nunquam*; & *possibiliter*, & *cõtingenter*, seu *possibiliter non* gaudent particularitate; vt ex se constat. Haud aliter qualitas modalium dimanat ex duplici principio; primo ex nexu, seu copula, quæ se habet ex parte *dicti*, secundo ex ipso *modo*; ex quibus duo sunt affirmatiui, videlicet *necessario*, & *possibiliter*, & duo alij negatiui, scilicet, *impossibiliter*, & *contingenter*, tum hi modi accipiantur nominaliter, tum aduerbialiter.

Vn-

Vnde, si aliquis quærat, quanta sit hæc propositio modalis, Petrum esse animal est necesse? Respondeo esse singularem de *dicto*, & vniuersalem affirmatiuam de *modo*: si autem dixeris: assigna mihi contradictoriam. Respondebo assignando propositionem de *possibile non* dicendo: Petrum non esse animal est possibile.

3. Notandum tamen est tertio propositionem modalem, aut esse affirmatiuam de *modo*, & *dicto*, aut negatiuam de vtroque; aut affirmatiuam de *dicto*, aut negatiuam de *modo*; aut è conuerso, affirmatiuam de *modo*, & negatiuam *de dicto* cum hoc discrimine; quod negationes, quę cadunt supra *modum*, anteponuntur ei; quæ vero supra *dictum*, postponuntur *modo*.

4. Ex hoc notabili facile colliges æquipollentiam propositionum modalium de termino singulari, nã propositiones de possibili negatiuæ de *modo*, & *dicto* æquiualent propositionibus de necesse; & sic de reliquis iuxta antepositionem, & postpositionem negationis.

5. Vt propositio modalis de *impossibili* communis de *dicto* sit vera, sufficit, quod vna tantum singularis sit vera: ratio est, quia propositio de impossibili est vera, quando vniuersalis absoluta, cui adiungitur, est falsa ratione repugnantię prædicati cum subiecto distributiuo; vt videre est in hac, omne animal esse equum est impossibile: quæ ideo est vera, quia absoluta propositio, omne animal esse equum, est falsa.

6. Ex quo constat, quod sicut ad hoc, quod propositio vniuersalis absoluta sit falsa, sufficit, quod vna particularis sit falsa; sic ad hoc, quod propositio vniuersalis de *modo impossibili* sit vera, sufficit, quod vna particularis sit vera.

7. Vt ad æquipollentiam propositionum modalium deueniamus, est quarto notandum pro oppositione modalium, quod assignantur à Summulistis quatuor dictiones, quarum qualibet constat ex quatuor vocalibus, quæ quatuor designãt propositiones: dictiones sunt hæc: *Amauimus, Edentuli, Illaces, Furtiuea*. Quælibet autem littera vocalis signat quantitatem, & qualitatem propositionis per illam signatæ in hunc sensum. Littera, *E*, denotat propositionem negatiuam de *dicto*, & non de *modo*, *I*, negatiuam de *modo*, & non *de dicto*. *A*, affirmatiuam de *dicto*, & de *modo*. Et *V*, negatiuam de vtroque. Quod videre licet in hoc vulgari versu.

E dictum negat, tque modum,
A nihil, sed V. totum

8. Ex quo apparet, quod prima dictio, scilicet, *Amauimus* cõstans ex quatuor vocalibus denotat primam, & secundam propositionem affirmatiuã de *dicto*, & de *modo*; & tertiam affirmatiuam de *dicto*, & negatiuam de *modo*; & denique quartam negatiuam

tiuam de *dicto*, & *modo*: iuxta hãc ergo explicationem exponendæ sunt alię tres dictiones.

9. Quinto notandum venit primam propositionem (vt constabit ex sequenti figura) constare ex modo particulari affirmatiuo, videlicet, *possibili*: secundam ex particulari negatiuo, scilicet, cõtingenti: tertiam ex vniuersali negatiuo, videlicet, *impossibili*: & quartam ex vniuersali affirmatiuo, scilicet, *necesse*. Quod, vt facilius intelligas, sequens assignatur figura.

Pri-

Æquipollentes.		Prima dictio.	Æquipollentes.		Secunda dictio.
	Pur	Paulum non intelligere non est posibile.		I	Paulum intelligere nõ est posibile.
	pu	Paulum non intelligere non est cõtingens.		li	Paulum intelligere nõ est contingens.
	re	Paulum non intelligere est impossibile.		a	Paulum intelligere est impossibile.
	a	Paulum intelligere est necesse.		ce	Paulum non intelligere est necesse.

Contrariæ.

Subalternæ. Contradictorie Contradictorie Subalternæ.

Subcontrariæ.

Æquipollentes.		Tertia dictio.	Æquipollentes.		Quarta dictio.
	A	Paulum intelligere est posibile.		E	Paulum non intelligere est posibile.
	ma	Paulum intelligere est contingens.		den	Paulum non intelligere est contingens.
	ui	Paulum intelligere nõ est impossibile.		tu	Paulũ non intelligere non est impossibile.
	mus	Paulum non intelligere non est necesse.		li	Paulum intelligere nõ est necesse.

In hac figura propositiones, quę sunt in vna dictione, sunt æquipollentes: & quia quatuor propositiones contentæ in quarta dictione opponuntur contrariè aliis contentis in tertia dictione, ideo in superiori assignantur loco.

10. Ex qua figuræ positione constat, quod quarta, & tertia dictio opponuntur contrariè: prima, & secunda subcontrariè: prima cum tertia; & secunda cũ quarta contradictoriè: & tandem quarta cum prima, & tertia cum secunda subalterne.

11. Sexto notandum venit, quod in æquipollentia, & oppositione harum propositionum modalium debemus seruare eãdem quantitatem *dicti* in tribus modis; scilicet, in propositionibus de *modo* impossibili, contingenti, & possibili; non tamen debemus illam obseruare in propositionib⁹ de *modo* necessario: quæ, si *dictum* habuerit vniuersale, fiunt æquipollentes in alijs modis mutata quantitate dicti: & idem est obseruandum in oppositione de *modo* necessario, vt videre licet in his propositionibus, omne animal esse hominem est necesse; cui propositioni opponitur contradictoriè propositio de possibili mutata quantitate *dicti*; scilicet, aliquod animal non esse hominem est possibile, nam si eadem quantitas remaneret in *dicto*, darentur duæ cõtradictoriæ simul falsæ; quod est impossibile; vt si diceremus: omne animal esse hominẽ est necesse, & omne animal non esse hominem est possibile; vbi vtraque propositio est falsa.

12. Septimo, & vltimo tandem est aduertẽdum propositiones de *modo* impossibili, & omnes, quę illi æquiualent, non habere cõuersionem, ni velis ponere antecedẽs verum, & consequens falsum; vt videbis in hac conuersione: omne animal esse leonem est impossibile; ergo aliquem leonem non esse animal est impossibile: aut si eandem quantitatem seruet *dictum*; ergo omnem leonem non esse animal est possibile, vbi datur antecedens verum, & consequens falsum: & ratio est, quia ex impossibili non semper sequitur impossibile; sed aliquando impossibile, & aliquando necessarium. Eodẽ modo est philosophãdum in propositionibus modalib⁹ de *modo* cõtingenti, quia ex contingenti nõ semper sequitur contingens; sed aliquando contingens, & aliquando necessarium, vt si dicas: aliquem hominem esse album est contingens; ergo aliquod album esse hominem est contingens: vbi antecedens est verum, & consequens falsum. Quæ doctrina maxime est obseruanda ad cognoscendas cõuersiones propositionũ modaliũ.

CAPVT XII.

De Hypotheticis propositionibus.

1. ACcedamus iam ad alteram propositionis vt sic speciẽ; da

ad propositionem (dico) hypotheticam, ad secundam spectantem operationē, etiam si aliquomodo ad tertiam intellectus operationem ratione compositionis accedat. *Est ergo propositio hypothetica* (secundum omnes) *quæ habet duas, vel plures cathegoricas coniunctas, tanquam partes principales sui*, vt si dicas: si homo disputat, homo loquitur. Consulto dixi, *duas, vel plures*, nā (vt optime notant Summulistæ in præsenti) hypothetica propositio regulariter constat ex duabus cathegoricis; attamen ei plures non repugnāt: immò permittit terminos complexos, qui nondum habent essentiam propositionis, vt si dicas: si leo intelligeret, haberet intellectum.

2. Propositio hypothetica diuiditur in tres species iuxta triplicem copulæ variationem; videlicet, in conditionalem, copulatiuam, & disiunctiuam. *Conditionalis est, quæ iungit propositiones per particulam, si*, vt si dicas: si homo disputat, homo loquitur. Hęc conditionalis vlterius subdiuiditur in rationalem, & causalem. *Rationalis est, quæ propositiones iungit hac coniunctione, ergo*, vel *igitur*, vt si dicas: homo disputat; ergo homo loquitur. *Causalis est, quæ propositiones iungit hac coniunctione, quia*, vt si dicas: quia homo disputat, homo loquitur.

3. Nota tamen pro intelligentia huius diuisionis, quod propositio, cui adiungitur particula, *si*, vel *quia*, dicitur antecedens, & altera consequens; at vero in propositione hypothetica rationali semper prima propositio, quæ antecedit coniunctionem, *ergo*, dicitur antecedens, & alia, cui *ergo* coniungitur, nominatur consequens.

4. *Propositio hypothetica copulatiua est illa, quæ propositiones iungit hac coniunctione, &*, vt si dicas: Paulus disputat, & Petrus currit. *Propositio hypothetica disiunctiua est, quæ iungit propositiones hac coniunctione vel, aut, seu*, vt si dicas: Petrus disputat, vel Paulus disputat.

5. Pro intelligētia harum specierum primo nota, quòd quando in eadem hypothetica propositione reperiuntur plures coniunctiones, denominabitur talis hypothetica à principaliori; vt videre est in hac propositione: si Paulus currit, homo mouetur; vel Ioannes disputat, & Petrus loquitur. In hac hypothetica sunt tres coniunctiones, *si, vel, &*; si ergo principalis cōiunctio fuerit, *si*, erit conditionalis; si *vel*, disiunctiua, & si, *&*, copulatiua.

6. Nota secundo affirmationem, seu negationem hypotheticæ propositionis debere accipi ex copula nominali, quæ in propositione hypothetica primam obtinet sedem; vnde si negatio sit in principio propositionis hypotheticæ, taliter vt cadat supra copulam hypotheticæ, erit propositio hypothetica negatiua, vt videre licet in hac: non si Paulus

currit, Paulus mouetur; erit tamen affirmatiua, si negatio non cadit supra copulam propositionis hypotheticæ; etiam si vtraq; cathegorica sit negatiua, vt si dicas: nullus leo currit, & nullus equus ambulat.

7. Nota tertio trifariam esse harum coniunctionum acceptionem, nam ly *si* valet vsurpari cõditionatim, promissiuè, & illatiuè: si datur inter terminos, accipitur conditionatim; vt si dicas: animal si est leo; si datur inter propositiones cum promissione, accipitur promissiuè, vt si dicas: præmiabo te, si mihi seruieris: si vero se habeat per modum illationis, accipitur illatiue, vt si dicas: si est videns; ergo ens.

8. Denique nota coniunctionem, *&*, posse bifarie accipi; videlicet, *copulatiuè*, & *copulatiuè*: in prima acceptione vsurpatur, quãdo versatur inter propositiones, vt si dicas: Paulus loquitur, & Ioannes mouetur. In secunda vero vsurpatur, quãdo versatur inter terminos, vt si dicas: Petrus, & Paulus disputant: haud aliter coniunctio, *vel*, valet vsurpari *disiunctiuè*, & *disiunctiuè*: in primo sensu accipitur, quando versatur inter propositiones, vt si dicas: Paulus loquitur, vel Ioãnes mouetur. In secundo tandem sensu accipitur, quando versatur inter terminos, vt si dicas: Paulus, vel Ioannes intelligunt.

(..)

CAPVT XIII.

De veritate, & falsitate vniuscuiusq; propositionis hypothetica.

1. PRO veritate, & falsitate vniuscuiusque propositionis hypotheticæ assignant Summulistæ determinatam regulam. Prima sit pro conditionali illatiua. Vt conditionalis illatiua sit vera, necessum est, quod consequẽs sequatur ex antecedenti; & vt sit falsa, quod non sequatur consequens ex antecedenti, quod videbis in his exemplis: si leo est animal, est; non si leo est animal, est. Vbi prima est vera, & secunda falsa. Ex hoc sequitur conditionalem veram esse necessariam; & falsam, impossibilem, & ratio est desumpta ex Angelico Magistro. Opusc. de Logica, tit. de enuntiatione, cap. 14., quia cum illius veritas fundetur in connexione extremorum, vel in bonitate illationis, & illatio semel bona semper sit bona, sicut quæ semel mala, semper mala; ideo cõditionalis vera est necessaria, & falsa, impossibilis.

2. Si conditionalis non accipiatur in vi conditionis illatiuæ, sed in vi concomitantiæ, aut ordinis vnius cum alio, vt videre est in hac: si Ioannes arguit, Paulus respondet; tunc difficiliter valet assignari regula, cum solum denotet coexistentiam vnius cum alio; & ideo per nullam certã regulam

gulam valet illius veritas, vel falsitas cognosci.

3. Secunda regula pro veritate, & falsitate propositionis hypotheticæ rationalis sic se habet. Vt hypothetica rationalis sit vera, non sufficit, quod consequens recte inferatur ex antecedēti; sed vltra hoc requiritur, quod antecedēs sit verum, vt si dicas: Paulus disputat; ergo loquitur. Vt verò sit falsa, sufficit, quod antecedens non sit verum, vel quod illatio non sit vera, vt si dicas: lapis est homo; ergo lapis est rationalis; homo disputat; ergo homo monetur. Vbi prima est falsa, quia antecedens est falsum: & secunda etiam est falsa, quia nō sequitur consequens ex antecedenti.

4. Tertia regula pro veritate, & falsitate propositionis hypotheticæ causalis sit hæc: vt hypothetica causalis sit vera, non sufficit, quod antecedens sit verum, nec quod ex illo recte inferatur consequens; sed vlterius requiritur, quod antecedens sit consequentis causa; vt si dicas: quia est rationalis, est risibilis: vt autem sit falsa, sufficit, quod aliquod ex his deficiat; vt si dicas: quia est risibilis, est rationalis: quæ est falsa, quia antecedens non est causa consequentis; licet absolute sit propositio vera, & recte sit ex antecedenti illata.

5. Quarta regula pro veritate, & falsitate propositionis hypotheticæ copulatiuæ sic stabilitur; vt hypothetica propositio copulatiua sit vera, requiritur, quod vtraque propositio cathegorica sit vera, vt si dicas: Petrus est homo, & homo est animal: vt sit falsa, sufficit, quod quælibet ex cathegoricis sit falsa, vt si dicas: homo est animal, & animal est lapis. Quæ regula solum habet locum in copula affirmatiua, nam in negatiua seruanda est regula propositionis disiunctiuæ: nam negatiua æquiualet disiunctiuæ; cum negatio separet vnum ab alio.

6. Quinta regula pro veritate, & falsitate propositionis hypotheticæ disiunctiuæ sic proponitur: vt hypothetica disiunctiua propositio sit vera, sufficit, quod aliqua ex cathegoricis sit vera, vt si dicas: homo est animal, leo est lapis: vt sit falsa, vtraque cathegorica debet esse falsa, vt si dicas: Petrus est leo, vel Ioannes est lapis.

CAPVT XIV.

De possibilitate, impossibilitate, contingentia, & necessitate propositionis hypotheticæ copulatiuæ, & hypotheticæ disiunctiuæ.

1. CApite superiori assignatæ regulas necessarias ad cognoscendam veritatem, aut falsitatem vniuscuiusque propositionis hypotheticæ. Inparienti ergo assignandæ sunt aliæ regulæ ad cognoscēdam possibilitatem,

impoſsibilitatem, contingẽtiam, & neceſsitatẽ propoſitionis hypotheticæ copulatiuæ, & propoſitionis hypotheticę diſiunctiuę. Et pro copulatiua

2. Prima regulá ſit, ad poſsibilitatem copulatiuæ affirmatiuæ, non ſolum eſt neceſſarium, quod vtraque propoſitio cathegorica ſit poſsibilis; ſed etiam quod inter ſe cathegoricæ ſint compoſsibiles, vt ſi dicas: Ioannes eſt albus, & eſt muſicus; vbi vtraque cathegorica eſt poſsibilis, & inter ſe compoſsibiles, cum nullum ſequatur impoſsibile, in hoc quod Ioannes ſimul ſit albus, & muſicus.

3. Ad impoſsibilitatem vero copulatiuæ requiritur, vel quod aliqua cathegorica ſit impoſsibilis, vel quod inter ſe ſint incõpoſsibiles, etiam ſi vtraque cathegorica ſit poſsibilis; vt ſi dicas: Deus non eſt, & homo eſt: vel ſi dicas: Paulus currit, & Paulus non currit: vbi prima eſt impoſsibilis; quia prima pars illius eſt impoſsibilis: & ſecunda etiam, quia vna pars alteri eſt incõpoſsibilis.

4. Secunda regula, ad neceſsitatem copulatiuæ affirmatiuæ eſt opus, quod vtraque cathegorica ſit neceſſaria; vt ſi dicas: homo eſt animal, & eſt rationale.

5. Ad contingentiam vero ſufficit, quod aliqua ex cathegoricis ſit contingens; dummodo nõ ſit incompoſsibilis cum alia, vt ſi dicas: Petrus eſt homo, & eſt diſputans. Ex his regulis ſequuntur aliæ pro poſsibilitate, impoſsibilitate, contingentia, & neceſsitate copulatiuæ negatiuæ.

6. Prima ſit, ad poſsibilitatem copulatiuę negatiuæ neceſſarium eſt, quod vtraque cathegorica non ſit neceſſaria.

7. Ad impoſsibilitatem vero requiritur id, quod exigitur ad neceſsitatem affirmatiuæ.

8. Secunda ſit, ad neceſsitatem copulatiuæ negatiuæ requiritur totum id, quod expoſcit neceſsitas copulatiuæ affirmatiuæ.

9. Et ſimiliter ad contingentiam totum id, quod exigit contingentia copulatiuæ affirmatiuæ: quæ omnia fundantur in legibus contradictoriarum.

10. Pro diſiunctiuis ſit prima regula, ad poſsibilitatem diſiunctiuæ ſolum requiritur, quod vna ex cathegoricis ſit poſsibilis; at vero ad impoſsibilitatem, quod vtraque ſit impoſsibilis, vt ſi dicas: Petrus eſt albus, vel eſt leo; quæ eſt poſsibilis, etiam ſi ſecunda cathegorica ſit impoſsibilis: at vero hæc eſt impoſsibilis: Paulus eſt lapis, vel eſt equus.

11. Secunda regula ad neceſsitatem diſiunctiuę ſufficit, quod aliqua ex cathegoricis ſit neceſſaria; & ad contingentiam ſimiliter, quod aliqua ex cathegoricis ſit contingẽs; dum modo alia non ſit neceſſaria, vt ſi dicas: homo eſt animal, vel eſt albus; quæ neceſſaria eſt, etiam ſi ſecunda cathegorica ſit contingens: at

vero hac [illegible]ntingens, Petrus est albus, vel est intelligens. Ex his facile intelliges, quid sit necessarium pro disiunctiua negatiua, nam ad impossibilitatem negatiuę requiritur id, quod est necessarium ad necessitatem affirmatiuæ; & sic de alijs iuxta leges contradictoriarum.

CAPVT XV.

De modo arguendi in hypotheticis.

1. PRimus arguendi modus sit pro hypotheticis cõditionalis; à tota cõditionali cum positione antecedentis ad positionem consequentis est legitima cõsequentia, vt si dicas: si luna lucet, nox est, sed luna lucet; ergo nox est.

2. Secundus modus arguendi: à tota conditionali cum destructione consequentis, ad destructionem antecedentis est bona consequentia, vt si dicas: si luna lucet, nox est; ergo si non est nox, luna non est.

3. Tertius modus arguendi: à conditionali ad disiunctiuã cõstante cõsequente, & contradictorio antecedentis est formalis consequentia, vt si dicas: si luna lucet, nox est; ergo vel est nox, vel luna non lucet.

4. Quartus modus in ordine, & vnicus pro hypotheticis copulatiuis sic se habet: à tota copulatiua ad vnam ex cathegoricis, ex quibus constat, est legitima consequentia; non autem è conuerso, nam bene sequitur, Paulus currit, & quiescit; ergo Paulus currit, è conuerso autem non sequitur, Paulus currit; ergo currit, & disputat. In propositionibus hypotheticis negatiuis non valet prædictus modus, nam non sequitur, nõ aliquis leo est equus, & leo est homo; ergo leo est homo.

5. Quintus modus in ordine, & primus pro hypotheticis disiunctiuis sic procedit: à parte disiunctiuæ ad totam est legitima consequentia; non tamen è conuerso, nam bene sequitur, Paulus est albus; ergo vel est albus, vel iustus: non tamen sequitur è conuerso.

6. Sextus modus arguendi in ordine, & secundus pro disiunctiuis: à tota disiunctiua cum destructione vnius cathegoricæ ad positionem alterius est legitima consequentia, quia bene sequitur, Ioãnes currit, vel Antonius mouetur, sed Ioannes nõ currit; ergo Antonius mouetur.

CAPVT XVI.

De modo arguendi ex vna hypothetica ad aliam.

1. PRimus modus arguendi ex vna hypothetica ad aliam sic se habet: à causali ad rationalem, & à rationali ad conditionalem valet consequentia; non

tamen è contra, vt si dicas: quia homo est rationalis, est risibilis, sed est rationalis; ergo est risibilis. Et ex hac, hæc conditionalis vera: si homo est rationalis, est risibilis: non tamen est formalis consequentia, à conditionali ad rationalem: nam hæc vltra bonitatẽ illationis exposcit partium veritatem: nec tandem est bona consequentia à rationali ad causalem: quia hæc exigit antecedẽs per modum causæ inferentis consequens.

2. Secundus modus à causali, & rationali ad copulatiuam est formalis consequentia; non vero è contra, nam bene sequitur, quia homo est rationalis, est risibilis, sed homo est rationalis; ergo homo est risibilis.

CAPVT XVII.

De exponibilibus.

1. *Propositiones exponibiles sunt, quæ, cum in se sint simplices, & cathegoricæ, virtualiter tamẽ sunt cõposita, & hypothetice; & ideo indigẽt expositione,* vt si dicas, tantum homo est rationalis: hæc apellatur exponibilis, nam licet in se simplex sit; continet tamen virtualiter has duas cathegoricas: homo est rationalis, & nulla alia entitas ab homine distincta est rationalis.

2. Propositio exponibilis, alia est exclusiua, alia exceptiua, & alia reduplicatiua: *exclusiua est illa, quæ constat aliqua particula exclusiua,* videlicet, *tantum, solum, præcisè, dumtaxat, &c.* vt cum dicimus: tantum Benedictus orat. *Exceptiua vero est, quæ constat aliqua particula exceptiua,* scilicet, *præter, præterquam, &c.* vt cum dicimus: omnis homo præter Petrum disputat. *Reduplicatiua denique est, quæ constat aliqua particula reduplicatiua,* scilicet, *in quantum, secundum, vt, &c.* vt si dicas: omnis homo in quantum rationalis est risibilis.

3. Propositio exclusiua, alia cõstat particula exclusiua ex parte subiecti, & alia ex parte prædicati, vt cum dicimus: tantum homo est rationalis, & homo est tãtum rationalis; est tamen maxima differentia inter has exclusiuas, nam in prima affirmamus prædicatum de subiecto, & illud negamus de alijs à subiecto; at vero in secunda affirmamus prædicatũ de subiecto, & reliqua prędicata distincta negamus de eodem subiecto: vnde hæc propositio, Christus est tantum homo, est falsa, quia exponitur per istas: Christus est homo, & nihil est aliud, quam homo.

4. Valet etiam particula exclusiua poni ex parte copulæ excludendo alias differentias temporis prętęr importatam per verbum, vt si dicas: Ioannes tantum fuit doctus; vbi nec denotatur, quod solus Ioannes fuerit doctus: nec quod Ioanni tantum conuenerit scientia, & non aliæ formæ accidentales; sed quod sciẽtia solum

lum ei conuenerit in tépore præterito, & quod non conueniat de præsenti, nec cõueniet de futuro: vnde talis propositio exponitur sic: Ioannes fuit doctus, & nó est, nec erit doctus.

5. Sed aduertendu n est, quod particula exclusiua excludit ratione significati materialis, quãdo cadit supra terminum absolutum, vt si dicas: Ioannes est tantum homo, & ratione significati formalis, quando cadit supra terminum cõnotatiuum, vt si dicas: Ioannes est tantum theologus.

6. Rursus particula exclusiua excludit titulo pluralitatis, vt in hac: *prædicabilia sunt tantum quinque*, quæ sic exponitur: prædicabilia sunt quinque, & non sunt plura: & etiam titulo alietatis, vt in hac: *Petrus est tantum homo*, quæ sic exponitur: *Petrus est homo, & nihil aliud, quam homo.*

CAPVT XVIII.

De expositione propositionum exclusiuarum.

1. PRopositio exclusiua ex parte subiecti est quadruplex: prima, in qua dictio, seu medium excludens, & copula principalis affirmatur, vt in hac: tantum homo est risibilis: secunda, in qua vtrumque negatur, vt in ista: nó tantũ homo non est risibilis: tertia, in qua affirmatur particula excludens, & negatur copula, vt in hac: non tantum homo est risibilis: & quarta, in qua affirmatur copula, & negatur particula excludens, vt in ista: tantum homo non est risibilis, negatio copulæ postponitur exclusioni, & negatio modi, seu particulæ exclusionis anteponitur.

2. Sed notandum venit, quod in exponendis propositionibus exclusiuis primi generis hæc regula debet obseruari, quod exponatur per propositionem copulatiuam; cuius prima pars appellatur præiacens, quia est eadé propositio, quæ antea erat, ablata tamen dictione, seu modo; & secũda pars sit alia propositio, in qua prædicatum propositionis exponibilis negetur de omni alio subiecto; exempli gratia, hæc propositio, *tantum homo est rationalis* exponitur per hãc copulatiuam, *homo est rationalis, & nihil aliud ab homine est rationale.*

3. Propositio verò secundi generis exponitur per propositionem disiunctiuam; exempli gratia: hæc propositio, *non tantum homo non est rationalis*, exponitur per hanc disiunctiuam: *nullus homo est rationalis, vel aliquid aliud ab homine est rationale.*

4. Propositio tamen tertij generis exponitur copulatiuè per duas exponentes; ita vt prima sit præiacens, & secunda, in qua prædicatum propositionis exponibilis affirmetur de omni alio subiecto: exempli gratia: hæc propositio, *tantum homo non est rationalis*, exponitur sic: *homo non est rationa-*

lis, & omne aliud ab homine est rationale.

5. Propositio denique quarti generis exponitur distinctiuè cõ tradictorie ad exponẽtes propositionis tertij generis; exempli gratia: hæc, *non tantum homo est rationalis*, exponitur sic, *homo non est rationalis*; vel *aliquid aliud ab homine est rationale.*

6. Vt ergo facile cognoscas differentiam expositionis, aduentæ sunt à Sũmulistis istæ quatuor dictiones.

Iste, Regit, Proram, Clauo.

In vnaquaque harum dãtur duæ litteræ vocales signantes quantitatem, & qualitatẽ exponẽtium, iuxta expositionem supra allatã, cap. 9. nu. 3.

7. Prima dictio, videlicet, *Iste* statuitur pro exclusiua pure affirmatiua; quæ duas continet propositiones exponentes, vnã particularem affirmatiuam, denotatam per primã vocalem, *I*, & aliã vniuersalem negatiuam designatam per vocalem, *E*: & debet exponi copulatiuè, nam hæc, *tantum homo est rationalis*, exponitur sic: *homo est rationalis, & nihil aliud ab homine est rationale.*

8. Secunda dictio, quæ est, *Regit*, assignatur pro exclusiua pure negatiua, quæ duas continet exponẽtes, alteram vniuersalem negatiuam designatam per primam vocalem, *E*, & aliam particularem affirmatiuam denotatã per vocalem, *I*: & debet exponi distinctiuè, nam hæc, *tantum homo est rationalis*, exponitur sic: *nullus homo est rationalis, vel aliquid aliud ab homine est rationale.*

9. Tertia dictio, scilicet, *Proram* determinat modum, quo debet exponi tertia propositio exclusiua, idest, per præiacentem, quę sit particularis negatiua, designata per vocalem, *O*, & per alteram vniuersalem affirmatiuam denotatam per vocalem, *A*, vbi prædicatum dicitur de omni alio à subiecto; vt hæc propositio: *tantum ens reale non est ens rationis*; exponitur sic: *ens reale non est ens rationis; & omne aliud ab ente reali est ens rationis.*

10. Quarta dictio, quæ est *Clauo* statuit modum, quo debet exponi quarta propositio exclusiua, scilicet, per suam præiacentẽ, quę sit vniuersalis affirmatiua determinata per vocalem, *A*, & per alteram particularem negatiuã designatam per vocalem, *O*, & hoc fit disiunctiue, vt hæc, *nõ tantum ens rationis non est ens reale*: exponitur sic: *omne ens rationis est ens reale; vel aliquid aliud ab ente rationis est ens reale.*

11. Nota tamen cum omnibus hoc debere sic intelligi, quando exclusiua est de subiecto vniuersali, nam si sit de singulari, vt videre licet in hac: *tantum Ioannes est albus*; tunc prima exponẽs debet esse singularis: & etiam quãdo non datur aliud signum distributiuum, quam *tantum*, nam si datur aliud, vt in hac: tantum omnis leo est rugibilis; tunc prima

expo-

exponens debet esse vniuersalis affirmatiua.

12. Ex quo colligitur oppositionem harum propositionum esse regulãdam per propositionem exponentem: vnde quando exponens fuerit vniuersalis negatiua, contradictoriè opponitur ei propositio, cuius exponẽs fuerit particularis affirmatiua, vt cum dicimus: *tantum homo est rationalis*, contradictoria eius est, *non tantum homo est rationalis*, quia prima propositio exponitur per vniuersalẽ negatiuam, & secunda per particularem affirmatiuã: & vt id breuiter dicam, propositio vniuersalis affirmatiua secundum modum, & copulam opponitur contradictoriè propositioni negatiuę secundum modum: & contrariè negatiuę secundum copulam, & subalterne negatiuę secundum copulam, & modum: propositio vero particularis affirmatiua secundum modum, & copulam opponitur subcontrariè negatiuæ secundum copulam.

CAPVT XIX.

De expositione exceptiuarum.

1. EX dictis cap. 9. nu. 2. constat essentiam propositionum exceptiuarum: vtergo nunc deueniamus ad illarum expositionem, nota quamlibet exceptiuã habere quatuor terminos præcipuos; videlicet, terminum, à quo fit exceptio, ideſt, terminum, ad quem sequitur dictio exceptiua; & partem exceptam, ideſt, terminum, qui immediate sequitur dictionem exceptiuã; deinde prædicatum, in quo fit exceptio; & denique dictionem ipsam exceptiuam, per quam fit exceptio, vt si dicas: *omne animal præter hominem est irrationale*, terminus *animal* est, à quo fit exceptio; & terminus *hominem* est pars exceptiua; & terminus *irrationale* est prædicatum, à quo fit exceptio; & particula *præter* est dictio excipiens, seu dictio per quam fit exceptio.

2. Propositio ergo exceptiua iuxta omnes est quadruplex; prima est pure affirmatiua, quia in ea affirmãtur tam dictio, seu modus *præter*, quã verbũ; vt si dicas: *Omne animal præter hominẽ est irrationale*; secunda est pure negatiua, quia in ea totum negatur posita negatione in principio propositionis, vt si dicas: *non omne animal præter hominem est irrationale*; tertia est affirmatiua de dictione, & negatiua de verbo, quia in ea affirmatur dictio *præter*, & negatur verbum, vt si dicas: *omne animal præter hominem nõ est irrationale*; quarta est negatiua de dictione, & affirmatiua de verbo, quia in ea negatur dictio *præter*, & affirmatur verbum ratione duarum negationum, vt si dicas: *non omne animal præter hominem non est irrationale*.

3. His prælibatis, nota secundo quamlibet harum propositionum habere suam quantitatem,

& qualitatē; & vt in earum cognitionem deuenias, assignantur istæ quatuor dictiones.

Lauate, Cōmoti, Peccata, Hyssopo.

Prima dictio, scilicet, *lauate* designat primam propositionē pure affirmatiuam exponi copulatiuè per tres propositiones designatas in ly *lauate*, iuxta explicationem supra traditam cap. 9. nu. 3. vnde hæc propositio, *omne animal præter hominem est irrationale*, exponitur sic, *omne animal aliud ab homine est irrationale; & omnis homo est animal; & nullus homo est irrationalis.*

4 Secunda dictio *commoti* signat secundam propositionē pure negatiuam exponi disiunctiuè per tres propositiones significatas in ly *commoti*: vnde hæc propositio, *non omne animal præter hominem est irrationale*, exponitur sic, *aliquod animal aliud ab homine non est irrationale*; vel *aliquis homo non est animal*; vel *aliquis homo est irrationalis.*

5. Tertia dictio *peccata* denotat tertiam propositionem affirmatiuam de modo, & negatiuam de verbo exponi copulatiuè per tres propositiones repertas in ly *peccata*; quare hæc propositio, *omne animal præter hominem non est irrationale* exponitur sic, *nullum enim animal aliud ab homine est irrationale; & omnis homo est animal; & omnis homo est irrationalis.*

6. Quarta dictio *Hyssopo* significat quartam propositionem negatiuam de modo, & affirmatiuam de verbo exponi disiunctiuè per tres propositiones signatas in ly *Hyssopo*; qua de causa hæc propositio, *non omne animal præter hominem non est irrationale*, exponitur sic: *aliquod animal aliud ab homine est irrationale*, vel *aliquis homo non est animal*; vel *aliquis homo non est irrationalis.* Quæ generales regulæ debent sic accipi, quando subiectum exceptiuæ est terminus communis, nam quando subiectum exceptiuæ est terminus singularis, quantitas debet mutari seruata eadem qualitate.

7. Ex his constat oppositio exceptiuarum, nam prima secundæ opponitur contradictorie; & tertia quartę; & rursus prima tertiæ opponitur contrariè; & tertia quartæ subcontrarie.

8. Ex dictis etiam constat reperiri in exceptiuis triplex modus arguendi: primus sic se habet, à quolibet exponibili ad omnes exponentes, & è conuerso est formalis consequentia.

9. Secundus ab exponibili copulatiue ad quamlibet partem exponentem est formalis consequentia, non vero è contra, vt ex se constat.

10. Tertius à qualibet exponentium disiunctiuè ad ipsam exponibilem est formalis consequētia, non vero è conuerso ab exponibili ad aliquam partem exponentium.

(?)

CA-

CAPVT XX.

De expositione reduplicatiuarum.

1. IAm cap. 17. num. 2. proposui definitionem reduplicatiuarum; & etiam dictiones, quæ appellantur reduplicatiuæ, videlicet, *in quantum*, *secundum*, *vt*, & *prout*, *quatenus*, *secundum quod*, &c.

2. Nunc igitur nota has dictiones posse accipi tripliciter, reduplicatiuè, specificatiuè, & diminute; tunc accipiuntur reduplicatiuè, quãdo designant causam adæquatam, siue formalem, siue materialem, siue efficientem, siue finalem, ratione cuius prædicatum conuenit subiecto, vt si dicas: paries in quantum albus disgregat visum, vbi ly *in quantum* signat causam disgregationis.

3. Ex hoc colliges propositionem reduplicatiuam æquiualere causali, & cum illa conuerti, si in antecedẽti causalis ponatur subiectum reduplicatiue, nam hæc, paries in quantum albus disgregat visum, æquiualet huic: quia paries est albus, disgregat visum. Tunc verò accipiuntur specificatiuè, quando applicant subiecto conceptum aliquem, vel rationẽ formalem determinatã, vt si dicas: ens in quantum ens est obiectum intellectus. Tunc denique accipiuntur diminute, quando non absolute, sed solum secũdum quid verificantur de subiecto, vt si dicas: æthiops est albus secundum dentes, tu prouè habet dẽtes: vnde hæc propositio, Christus est creatura, absolute negatur à Theologis, quia non cõuenit Christo prædicatum *creatura* absolutè (vt existimant Arriani) sed solum secundum naturam humanam; & ideo catholici concedunt hanc propositionem: Christus secundum humanitatem est creatura, nam in hac absque dubio dictio *secundum* accipitur diminute, & non simpliciter.

4. Aduerte tandem has dictiones posse accipi pro libito ad quamlibet ex his acceptionibus, nisi ex terminis colligatur acceptio, in qua imitur; & sic propositiones constantes ex similibus dictionibus sunt distinguendæ, vt æquiuocationem fugiamus.

5. His prælibatis, vt ad expositionem reduplicatiuarum accedamus, nota reduplicatiuam (sicut exclusiuam, & exceptiuam) esse in quadruplici differentia; ita vt prima sit pure affirmatiua, vt si dicas: omnis homo in quãtum rationalis est risibilis: secũda pure negatiua, vt si dicas: nõ omnis homo in quantum rationalis est risibilis: tertia affirmatiua de modo, & negatiua de verbo, vt si dicas: nullus homo in quantum rationalis est rugibilis: & denique quarta è conuerso negatiua de modo, & affirmatiua de verbo, vt si dicas: non omnis homo in quãtum rationalis non est rugibilis.

6. Propositio igitur primi generis

neris exponitur copulatiuè per quatuor exponẽtes; ita vt prima sit præiacẽs, ideſt, propoſitio exponibilis, ablata dictione reduplicante, & termino reduplicato: ſecunda verò ſit affirmatiua, in qua terminus reduplicatus dicatur de ſubiecto reduplicatiuè: tertia autẽ ſit affirmatiua, in qua prædicatum dicitur de termino reduplicato: quarta denique ſit cauſalis, in qua terminus reduplicatus aſsignatur vt cauſa connexionis prædicati cum ſubiecto: quare hæc propoſitio, *omnis homo in quãtum rationalis eſt riſibilis*, exponitur ſic, *omnis homo eſt riſibilis*; & *omnis homo eſt rationalis*, & *omne rationale eſt riſibile*; & *quia aliquid eſt rationale, ideo eſt riſibile.*

7. Propoſitio autem ſecundi generis exponitur diſiũctiuè per quatuor propoſitiones cõtradictorie oppoſitas exponentibus primi generis: vnde hæc propoſitio, *non omnis homo in quantum rationalis eſt riſibilis*, exponitur ſic, *aliquis homo non eſt riſibilis*; vel *aliquis homo non eſt rationalis*; vel *aliquod rationale non eſt riſibile*; vel *non quia aliquid eſt rationale, eſt riſibile.*

8. Propoſitio verò tertij generis exponitur copulatiuè per quatuor exponentes; taliter, vt prima ſit præiacens; & ſecunda affirmatiua, in qua verificetur terminus reduplicatus de ſubiecto; & tertia negatiua, in qua negetur prædicatum de termino reduplicato diſtributo; & tandem quarta cauſalis, in qua forma reduplicata aſsignetur, vt cauſa remotionis prædicati à ſubiecto: quare hæc propoſitio, *omnis homo in quantum rationalis non eſt rugibilis*, exponitur ſic, *omnis homo non eſt rugibilis*; & *omnis homo eſt rationalis*; & *nullum rationale eſt rugibile*; & *quia aliquid eſt rationale non eſt rugibile.*

9. Propoſitio tandem quarti generis exponitur diſiũctiuè per quatuor propoſitiones contradictorie oppoſitas exponentibus tertij generis: vnde hæc propoſitio, *non omnis homo in quantum rationalis eſt rugibilis*, exponitur ſic, *aliquis homo eſt rugibilis*; vel *aliquis homo non eſt rationalis*; vel *aliquod rationale eſt rugibile*; vel *quia aliquid eſt rationale eſt rugibile.*

10. Ex dictis cap. antecedenti num. 7. conſtat oppoſitio reduplicatiuarum, nam prima cõtradictoriè opponitur ſecundæ; & quarta tertiæ: deinde prima opponitur contrarie tertiæ: & denique ſecunda opponitur ſubcõtrariè quartæ.

11. Etiam ex dictis in eodem cap. antecedenti num. 8. cõſtant modi arguendi in exponibilibus: primus ab exponibili, quæ copulatiuè exponitur ad omnes ſuas exponentes, & è contra, eſt legitima conſequentia.

12. Secundus ab exponibili, quæ copulatiuè exponitur ad quamlibet exponentem, eſt legitima conſequentia: non verò è contra.

13. Ter-

13. Tertius ab exponibili, quę disiunctiuè exponitur ad quamlibet exponentem, non est bona consequentia: secus vero è conuerso. Non assignantur exemplaria his modis arguendi, quia hi verificantur in omnibus exponibilibus, & sunt à nobis adducta in exclusiuis.

LIBER
TERTIVS
SVMMVLARVM.

IN hoc tertio libro breuiter disputabimus de rebus ad vltimam intellectus operationem pertinentibus, vt intellectus humanus vltimum accipiat colorem in legitimo discursu consistentem.

CAPVT I.

De syllogismo.

1. *SYllogismus est oratio, in qua quibusdam concessis, & positis, sen dispositis in modo, & figura aliud necessario sequitur mediante illationis nota.* Ly *oratio* ponitur loco generis, & denotat orationem hypotheticam amplectentem vtrãque præmissam syllogismi; aliæ verò particulæ loco differentiæ.

2. Sed notãdum est primò, quod particula *aliud* ponitur ad denotandum conclusionem sequi ex præmissis, à quibus continetur.

3. Hac ergo explicatione suppositâ notandũ est secundo, quod consequens debet intelligi vt distinctum à præmissis, saltim quantum ad modum significandi: vnde, quando syllogismus est à definitione ad definitum, vel è conuerso, tunc conclusio illata est legitima, quia licet definitio, & definitum significent idem, tamẽ ex modo concipiendi distinguuntur.

4. Tertio notandum est, quod hæc illationis nota est duplex; alia consequentiæ, & alia consequentis: consequentiæ dicitur, quando non sequitur ex necessitate materiæ ex recta formæ dispositione; consequẽtis vero, quãdo sequitur ex necessitate materiæ: vnde hæc consequentia est legitima ratione formæ.

Omnis homo est lapis;
Petrus est homo;
ergo Petrus est lapis.

nam in isto syllogismo consequẽtia est legitima, maiori concessa, etiam

etiam si non teneat ratione materiæ.

5. Ex quo colliges rationem, ob quam nunquam sit distinguēda consequentia, sed consequens, quia consequentia deducitur ex recta formæ dispositione, in qua non datur medium; & ideo necessario est vera, vel falsa: & sic semper est concedenda, aut neganda: consequens autem deducitur ex materia, in qua multoties repericur æquiuocatio, quæ debet per distinctionem tolli.

6. Syllogismus igitur primo diuiditur in materialem, & formalem: *materialis est, in quo conclusio sequitur ex præmissis*, quia propositiones sunt in certa, & determinata materia, vt si dicas:

Omne animal est corpus,
aliquis homo est animal;
ergo omnis homo est corpus.

Syllogismus formalis est ille, in quo ratione debita dispositionis præmissarum colligimus conclusionem, non in certa, & determinata materia, sed in omni: vt si dicas:

Omnis homo est animal;
Petrus est homo;
ergo Petrus est animal.

7. Deinde syllogismus partitur in necessarium, & in possibilem: *necessarius est ille, in quo ex præmissis rectè dispositis colligimus conclusionem veram, cui absque metu, & formidine assentimur*, vt si dicas:

Omnis homo est animal,
Petrus est homo;
ergo Petrus est animal.

Syllogismus possibilis est ille, in quo colligimus propositionem non absolute veram, sed vt in plurimum, cui assentimur cum formidine, & metu, vt si dicas:

Omnis mater diligit filium suum,
Maria est mater:
ergo diligit filium suum.

8. Quarto notandum venit syllogismum rectum ex tantum tribus terminis constare; scilicet, medio, maiori, & minori extremitate: medium est illud, quod in maiori, & minori reperitur; maior extremitas est illa, quæ in maiori coniungitur medio, minor verò, quæ in minori medio coniungitur: totum hoc clare liquet in hoc syllogismo:

Omnis homo est animal,
Petrus est homo;
ergo Petrus est animal.

vbi ly *homo* est medium; ly *animal* est maior extremitas; & ly *Petrus* minor extremitas.

9. Quinto notandum venit syllogismum esse artefactum rationis cōstans ex sua quasi materia, & forma: materia est duplex, alia remota, scilicet, ipsi termini, ex quibus proxime constat propositio, & remote syllogismus: alia proxima, scilicet, propositiones, ex quibus proxime constat syllogismus.

10. His duabus materijs duplex correspondet forma; prima informat terminos, & denominatur figura; sicque definitur: *est apta dispositio terminorum secundum subiectionem, & prædicationē*. Quæ est triplex iuxta triplicem terminorum

norum prædicationem, in subijciendo, & prædicando. Prima figura est, in qua medium subijcitur in maiori, & in minori prædicatur. Secunda figura est, in qua medium in præmissis prædicatur. Tertia tandem figura est, in qua medium in præmissis subijcitur: quod tres hic versus.

Subijcit prima: secunda bis Prædicat: tertia bis subijcit.

11. Secunda forma, quæ propositiones informat, appellatur modus, sicque definitur: *est apta dispositio propositionum secundum affirmationem, & negationem, secundū universalitatem, & particularitatem.* Modi ergo, qui debent obseruari ad rectam, & bonam consequētiam, his claudūtur versibus.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton.

Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.

Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti.

Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Inter quos nouē primi pertinent ad primam figuram; quatuor sequentes ad secundam, & sex vltimi ad tertiam.

12. Et pro huius intelligentia nota primo, quod vltimi quinque modi primæ figuræ; scilicet, à *Baralipton* vsque ad *Frisesomorum* inferunt consequentiam indirectā: dicitur autem indirecta, quando in consequente a maior extremitas præ dicatur de minori.

13. Nota secundo, quod quælibet dictio ex assignatis constat triplici littera vocali; ita vt prima designet affirmationem, vel negationem, vniuersalitatem, vel particularitatem maioris; secunda minoris; tertia consequentiæ iuxta illud cap. 9. num. 3. *Affirit A, negat E, &c.* Si vero aliquando habet plures vocales quam tres, non deseruiunt ad bonitatē syllogismi, sed solum ad complemētum metri.

14. Denique nota, quod ex his modis alij dicuntur perfecti, alij imperfecti: perfecti sunt quatuor primæ figuræ; tū quia in illis apparent illa prima principia. *Dici de omni, & dici de nullo.* Et *quæ sūt eadem vni tertio, sunt eadem inter se,* in quibus tota vis illationis fundatur, vt constabit infra cap. 3. per totū. Tum quia directè concludunt, vt intuenti constabit. Cæteri vero, qui restant, dicūtur imperfecti, quia in illis bonitas consequentiæ non ita clarè apparet.

CAPVT II.

De Regulis requisitis ad illationis bonitatem.

1. PRima regula est, quod in conclusione non ponatur terminus, qui non sit positus in præmissis: quæ regula fundatur in principio philosophico valde noto, scilicet, *nemo dat, quod non habet.* Cum ergo præmissæ causent consequentiam, ideo ei non pos-

possunt dare terminum, quem nō habent.

2. Secunda, ex puris negatiuis nihil sequitur: ratio est, nam ex eo, quod extremitates non identificentur cum medio, non sequitur, quod extremitates distinguā tur, aut identificentur inter se.

3. Tertia, ex puris particularibus nihil sequitur, ratio est, nam conclusio scientifica non potest sequi ex singularibus, cum scientia non versetur circa singularia.

4. Quarta, medium vt medium non debet intrare in conclusione; ratio est, nam vnus terminus bis tantum debet poni in syllogismo, sed medium est iam bis appositum in præmissis; ergo nō valet iterum poni in conclusione; ne trina repetitione vitietur syllogismus.

5. Quinta, in bona argumentatione conclusio sequitur debiliorem partem; ita vt si aliqua ex præmissis sit particularis, cōclusio sit particularis; si negatiua, negatiua.

6. Sexta, ex præmissis veris semper sequitur conclusio vera; ex falsis aliquando conclusio est vera, aliquando falsa, vt constat in his:

Omnis lapis est sensibilis,
Omnis lapis est lapis;
Ergo omnis homo est sensibilis.
Omne animal est lapis,
Arbor est animal;
Ergo arbor est lapis.

In primo syllogismo cōclusio est vera ex præmissis falsis: & in secundo ex eisdem præmissis sequitur conclusio falsa. Ex præmissis necessarijs semper sequitur conclusio necessaria. Ex contingentibus denique, aliquando necessaria, aliquando contingens, vt cō stat in hoc:

Omne album est corpus,
Ioannes est albus,
Ergo Ioannes est corpus.

Vbi cōclusio est necessaria, etiam si sequatur ex præmissis contingentibus. Similiter ex impossibili aliquando sequitur impossibile, & aliquando contingens, & aliquando necessarium, vt intuenti constabit.

CAPVT III.

De fundamentis, in quibus fundatur infallibilitas syllogistica.

1. TOta hęc artificiosa dispositio fundatur in principijs valde notis, primū est, *dici de omni*, quod reddit hūc sensum: quādo quidquid vniuersaliter affirmatur de subiecto, affirmatur de quocūque sub illo contēto, v.g. si de homine affirmatur, quod sit animal, debet affirmari etiam de Petro sub illo contento, quod sit animal.

2. Secundum, *dici de nullo*, quod reddit hūc sensum, quidquid vniuersaliter negatur de subiecto, negatur de quocumque sub illo contento, v. g. si de homine negatur, quòd sit lapis, etiā de Petro debet negari.

3. Tertium, *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, quod facit hunc sensum, quando extremitates identificantur cum tertio; idest, cum medio, opus est, quod inter se identificentur: quod principium tantum syllogismis deseruit affirmatiuis.

4. Quartum, *quæ sunt eadem inter se, si vnum eorum distinguatur ab vno tertio, etiam & aliud distinguetur ab vno tertio*, quod facit hunc sensum, quando extremitates identificantur inter se, si vna distinguitur ab vno tertio, necessarium est, quod alia distinguatur ab illo, scilicet, ab vno tertio, seu à medio: quod syllogismis tantum deseruit negatiuis.

CAPVT IV.

De reductione ostensiua.

1. EX supradictis constat quatuor tantũ esse modos perfectos; & licet verum sit, quod omnes recte inferant consequentiam; tamen quia nõ ita clare apparet in imperfectis bonitas consequentiæ, ideo adinuẽta fuit ars, qua possint ad perfectos reduci: nunc autem solum disputabimus de reductione ostensiua, quæ fit per conuersionem alicuius propositionis.

2. Ad huius reductionis intelligentiam (de qua est sermo) nota, quòd quatuor modi perfecti, sicut omnes imperfecti, incipiunt aliqua ex litteris consonantibus, scilicet, *B. C. D. F.* & sic modus imperfectus, qui incipit per *B*, debet reduci ad *Barbara*: & per *C*, ad *Celarem*: & per *D*, ad *Dary*: & per *F*, ad *Ferio*.

3. Nota secundo, quod in modis imperfectis dantur aliæ litteræ consonantes, quæ specialẽ important significationem: nempe, *S, P, M, C*; littera ergo *S* denotat propositionem designatã per vocalem antecedentem conuertendam esse simpliciter: *P*, conuertendam esse per accidens; *M*, præmissas esse transmutandas; ita vt ex minori fiat maior, & ex maiori minor; *C* denique denotat modum tali littera designatum non posse per ostensionem conuerti. Omnia hæc clarè demonstrantur in hoc syllogismo.

Fap. Omne rationale est sensibile,
Es. Nullus lapis est rationalis;
Mo Ergo aliquod sensibile nõ est lapis.

Iste modus imperfectus debet reduci ad *Ferio*: ad cuius conuersionẽ necessum est, quod maior conuertatur per accidens, quia littera *P*, quæ datur post *A*, hoc denotat. Rursus est necessarium, quod maior conuertatur simpliciter, quia littera *S*, quæ datur post *E*, hoc denotat. Et denique opus est, quod maior cõuertatur in minorem, & è contra: vnde dicendum est:

Fe. Nullum rationale est lapis.
Ri. Aliquod sensibile est rationale;
O. Ergo aliquod sensibile nõ est lapis.

Simili modo debet fieri reductio ostensiua in alijs modis, vt intuẽti

ti constabit; & ideo hoc exemplum vobis sufficiat.

CAPVT V.

De reductione per impossibile.

1. REductio hæc tunc datur, quando ex contradictorio cõsequentis modi imperfecti cum præmissa cõcessa modi etiam imperfecti infertur contradictoria alterius præmissę in modo imperfecto concessæ. Vt ergo cognoscas, ad quem modum perfectũ pertineat quilibet modus imperfectus, inuentæ sunt quatuor dictiones, quæ hoc carmine continentur.

2. *Nesciebatis, odiebam, Letare, Romanis.* Litteræ vocales in his dictionibus repertæ specialem habent significationem, nam littera *A* denotat, quod modus designatus per illam debet reduci ad *Barbara*. Littera *E*, quod debet reduci ad *Celarem*. Littera *I*, quod debet reduci ad *Darij*. Et denique littera *O*, quod debet reduci ad *Ferio*.

3. Vt autem scias modum, quo præfatæ litteræ vocales debent applicari modis imperfectis, nota, quod *Nesciebatis* habet quinque vocales, quæ denotant quinque modos imperfectos primę figuræ. *Ly Odiebam* habet quatuor vocales, quæ designant quatuor modos imperfectos secundæ figuræ. Denique *Letare Romanis* habent sex litteras vocales, quę significant sex modos imperfectos tertiæ figuræ.

4. Denique pro modis imperfectis cuiuscumque figuræ ponitur specialis regula. Prima, vt modi imperfecti primæ figuræ reducantur per impossibile, opus est, quod ponatur pro maiori cõtradictoria consequentię negatę, & quod maior syllogismi imperfecti ponatur pro minori, & quod postea inferatur cõsequentia; quę erit contradictoria minoris concessæ. Quæ omnia vt percipiantur, fit exemplum in *Debitis*, qui iuxta regulas traditas debet reduci ad *Celarem*; est etenim tertius modus imperfectus primæ figuræ; & correspondet tertiæ litterę vocali repertæ in ly *Nesciebatis*.

Da. Omne rationale est homo.
Bi. Aliquod risibile est rationale;
Tis. Ergo aliquis homo est risibilis.

Si hæc consequentia negatur à sustentante, debes inferre cõtradictoriam illius consequentiæ; scilicet,

Nullus homo est risibilis.

Quæ debet poni pro maiori, & pro minori maior syllogismi antecedentis; & sic concludere in *Celarem*.

Ce. Nullus homo est risibilis,
La. Omne rationale est homo;
Rẽ. Ergo nullũ rationale est risibile.

Quæ consequencia contradictorie opponitur maiori concessæ in modo imperfecto: & hac de causa hæc reductio dicitur per impossibile, quia tenetur cõcedere

duas contradictorias, vel duas contrarias: quod est impossibile, vt constat ex dictis in lib. 2. cap. 7. de oppositione nu. 4. & [illegible]. Excipitur ab hac regula *Celates*, qui reducitur ad *Darij*, in quo cõtradictoria consequentiæ debet poni pro minori, & minor concessa pro maiori, & denique debet inferri contradictoria maioris concessæ.

5. Secunda regula, in secunda figura contradictoria consequẽtię debet poni pro minori, & cum maiori syllogismi infertur cõtradictoria maioris concessæ. Sit exemplum in *Cesare*, qui pertinet ad secundam figuram.

Ce Nullus lapis est animal,
Sa Omnis homo est animal;
Re Ergo nullus homo est lapis.

Si negatur consequentia admissa maiori, & minori, infertur cõtradictoria, scilicet,

Aliquis homo est lapis.

Quæ pro minori debet poni, & maior syllogismi pro maiori: & sic reduces illũ ad *Ferio*; est etenim primum exemplum secundæ figuræ, quod correspõdet primæ litteræ vocali repertæ in ly *Odiebam.*

Fe Nullus lapis est animal,
Ri Aliquis homo est lapis;
O Ergo aliquis homo nõ est animal.

6. Tertia regula, in tertia figura contradictoria consequentiæ debet poni pro maiori, & cũ minori syllogismi antecedentis debes inferre contradictoriam maioris concessæ. Sit exemplum in *Ferison*, qui ad tertiam pertinet figuram.

Fe Nullum rationale est lapis,
Ri Aliquod rationale est homo;
Son Ergo aliquis homo nõ est lapis.

Si hanc negas consequentiã; accipi debet contradictoria consequentiæ; scilicet,

Omnis homo est lapis.

Quæ debet poni pro maiori, & cum minori syllogismi imperfecti debet reduci ad *Darij*; est enim vltimus modus tertiæ figuræ, qui correspondet vltimæ litteræ vocali repertę in ly *Romanis*; quæ est *I.*

Da Omnis homo est lapis;
Ri Aliquod rationale est homo:
I Ergo aliquod rationale est lapis.

Quæ consequentia contradictorie opponitur maiori in syllogismo imperfecto concessæ. Sed vt faciliter has regulas memoriæ tradas, hos obserua versus.

Loco minoris seruat & primam maiorem:
Seruat maiorem, variatque secunda minorem:
Tertia maiorem variat, seruatque minorem.

CAPVT VI.

De arte inueniendi medium.

1. HIC lato calamo disputant Sũmulistę, de arte inueniẽdi mediũ: sed quia extensio materiæ non patitur artem, sed experientiam, ideo maiori breuitate proponam, quæ sufficiane-

ad

ad intelligentiam huius capitis.

2. *Medium ergo*, vt constat ex dictis cap. 1. num. 8. *Est quod bis ponitur in præmissis*: vnde ad probandam conclusionem affirmatiuam in syllogismo perfecto est quærendum medium, de quo prædicatur maior extremitas vniuersaliter, & quod prædicetur de minori extremitate; vt si aliquis vult probare hanc propositionē: *aliquis homo est risibilis*, debet accipere medium, quod prædicatur de homine, & de quo valeat prædicari vniuersaliter *risibile*, formando sic syllogismum.

Omne rationale est risibile
Aliquis homo est rationalis;
Ergo aliquis homo est risibilis.

3. Ad probandam conclusionem negatiuā in syllogismo etiā perfecto est quærendum medium, quod vniuersaliter negatiue coniungatur cum maiori extremitate, & quod contungi valeat cum minori extremitate affirmatiuè; vt si aliquis velit probare hanc propositionem, *nullus homo est lapis*, debet accipere medium, quod prædicetur de homine affirmatiuè, & de quo negetur lapis, conficiendo sic syllogismum:

Nullus viuens est lapis,
Omnis homo est viuens;
Ergo nullus homo est lapis.

4. Et regulariter loquēdo omnis terminus, qui cōiungitur cum vna extremitate, & alteri repugnat, est medium aptum ad cōclusionem negatiuam. Et è conuerso, omnis terminus, qui valet duci de vtraque extremitate affirmatiuè, est optimum medium ad conclusionem affirmatiuā, dummodo seruetur dispositio syllogistica.

5. Ad inferendam passionem ex aliquo subiecto erit cōgruens medium essentia, à qua dimanat passio; vt si quis vult probare risibilitatem de homine, erit medium *rationale*. Sed quia hæc omnia labore perpetuo, & vigilātia summa consequuntur, ideo ingenium, & experientiam pro vnico medio expostulant, vt sine arte ars inueniatur ab experientia artis magistra.

CAPVT VII.

De syllogismo expositorio.

1. *Syllogismus expositorius est, cuius medium est terminus singularis*; vt si dicas: *Ioannes ambulat, Ioannes disputat; ergo disputans ambulat.* Hic syllogismus differt ab absoluto in hoc, quod in absoluto medium est terminus cōmunis, & in expositorio medium est terminus singularis.

2. Hic syllogismus commodius fit in tertia figura, in qua mediū subijcitur in vtraque præmissa; vtique, quia proprium singularis est subijci. Quando verò fit in secunda figura, extremitates non possunt esse termini communes; ni velis inferre cōsequens falsum ex antecedenti vero, vt constat in hoc syllogismo: *aliquis homo nō*

est Paulus, Doctor Centum est Paulus; ergo Doctor Centum non est homo: vbi datur antecedens verum, & consequens falsum.

3. Alius autem est syllogismus, qui constat ex obliquis, in quo medium, aut aliqua ex extremitatibus est casus obliquus, vt si dicas: *contrariorum eadem est ratio, sed virtus, & vitium sunt contraria; ergo virtutis, & vitij eadem est ratio.*

4. Hic syllogismus recte infert consequentiam, conuertēdo terminos obliquos in æquipollētem de termino rato; vt si dicas: *contrariorum eadem est ratio*, respondens in mente sua ad cognoscendam fallaciā debet efficere æquipollentem de termino rato dicendo: contraria eandem habēt rationem; & sic cognoscet veritatē, seu falsitatē consequentiæ.

5. Alius denique est syllogismus, qui appellatur modalis, quia constat ex propositionibus modalibus; & fit commodius in propositionibus de modo aduerbiali, quàm in propositionibus de modo nominali, vt si dicas: *omnis homo necessario est corpus, aliquod album possibiliter est homo; ergo aliquod album possibiliter est corpus.* Hic syllogismus modalis fit in omni modo, & figura iuxta regulas appositas pro syllogismo absoluto supra cap. 3. per totum.

6. Sed est aduertendum, quod in syllogismo modali, sicut in absoluto, conclusio semper sequitur debiliorem partem, quantum ad modum; vnde quādo in præmissis datur modus particularis, conclusio debet esse de modo particulari; & quando modus in præmissis est negatiuus, conclusio debet esse de modo negatiuo, secundum quod dictum est supra cap. 2. nu. 5. Et hæc sufficiant pro totius Dialectic[illegible] cōpendio.

COM-

COMMENTARIA IN MAGNAM ARISTOTELIS LOGICAM.

PRIMA PARS.

PROOEMIVM.

NOT tantisquè encomijs nostra ab antiquis Philosophis celebratur Dialectica, vt supra alias omnes scientias ipsius nobilitatem extollant: nobilitas enim ex nominis claritate, tanquam ex sua primordiali dimanat origine. Nostra ergo Dialectica rationalis, & sermocinalis condecoratur nomine, vt ipsius acquisitio intellectui rationem, & linguæ concedat sermonem: equidem & si dignitate, obiectique excellentia à pluribus alijs superetur scientijs, extensione tamen præcipua, & vtilitate maxima ab omnibus iudicatur. etenim Dialectica teste Clemente Alexandrino, lib. 1. stromatum est *Prudentia prædita vt diuidendi, aut facultas, quæ versatur in rerum generibus dividendis descendens vsque ad ea, quæ sunt maxime specialia, præbens vnumquodque eorum, quæ sunt intuendum, quale sit: quo circa ea sola velut manuducit ad veram sapientiam, & reddit id, quod est optimum, ac præstantissimum, vt recte cognoscamus hominemque, Deumque.*

Plus diuersitatis, quam societatis inter Philosophos in assignando primo nostræ Dialecticæ adinuentore reperies, nam aliqui So-

cratem primum definitionis commemorant inuentorem: Academici omnes Platonem artem definiendi, diuidendi, & argumentandi primum inueniſſe gloriantur: verumtamen Peripatetici ſolum Ariſtotelem Dialecticæ principem venerantur. Sed omnium iſtorum error, & falſitas abſque dubio diuerſitate ipſa deprehenditur, nam Dialecticam defuiſſe in mundi exordio, totque ſæculis vniuerſum tanta, ac tali caruiſſe perfectione minime credendum eſt. Certe primum parentem noſtræ infœlicitatis proprium Dialecticæ habitū in primo ſuæ creationis articulo à Deo per infuſionē accepiſſe vniuerſa Thomiſtarū aſtruit ſchola, ipsūq; habitū ad poſteros multis erroribus, & ſophiſmatibus iniuria temporū ſcaturiētē deriuatū fuiſſe vſq; ad ingeniosā Ariſtotelis induſtriā, qui ſui ingenij acumine Dialecticā reſtauraui t, ipſam iam iā pene labentē fulciens, muniens, & quaſi reędificans. Nulla ergo rationali naturæ ſcientia tam propria, quam quæ rationem, & ſermonem reddit, & præſtat, nulla tam vtilis, & neceſſaria, quam quę ab omnibus alijs (vt rationaliter procedant) expoſcitur ſcientijs. De hac igitur ſcientia labor noſter improbus, & indefeſſus incipit.

DISPV.

DISPVTATIO PRIMA
DE PROOEMIALIBVS Logicæ.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum ratio formalis quæ *Logicæ sit realis vel rationis?*

SVppoſita quæſtione an ſit Logica, quæ inutiliter ſolet ab aliquib' agitari doctoribus, incipimus ab illius obiecto, à quo vnitatem, & diſtinctionem accipit. Alij præcipue ex noſtris ordine inuerſo, (ſed non neceſſario commutato) incipiunt ab illius neceſſitate in ordine ad alias ſcientias: quæ inceptio vt inordinata debet omitti. Quomodo enim Logicæ neceſſitas poteſt cognoſci, ſi quid ſit, quod neceſſarium iudicamus, ignoramus? prius enim debet cognoſci cum eſſe, quam cum ordine ad aliarum ſcientiarum perfectionem. Vt ergo noſtra cognitio naturæ paſſus inſequi videatur magiſtros (quę priad eſſe proprium, quàm ad aliarum ordinatur vtilitatem) ideo præſens aggredimur certamen.

Obiectum in communi elucidatur.

§. I.

2. OBiectum eſt, quod potẽtiæ obijcitur, vel ad quod potẽtia, vel habitus tẽdit; ſicut coloratum dicitur obiectum potẽtiæ viſiuæ, quia ei obijcitur, & quia ad illud tendit. Et licet ab aliquibus realiter diſtinguantur rationes obiecti, ſubiecti, & materiæ circa quam, ego tamen ſolam diſtinctionem rationis, vel muneris eiuſdem omnino rei, vel formalitatis concipio.

3. Obiectum dicitur in quantum potentiæ obijcitur. Subiectum in quantum de illo potẽtia demonſtrat paſsiones, vel quaſi paſsiones, nam aliquando obiectum propter ſuam ſimplicẽ puritatem non habet paſsiones veras, & rigoroſas; vt videre licet in Deo, & in ente; tunc enim ſufficit concipere vnam formalitatem,

tem, vt rationem à priori alterius, vel vnam expressionem eiusdem formalitatis, vt rationem à priori alterius, vt scientia possit versari circa suum obiectum, tã quam circa suum subiectum. Materia circa quam appellatur, in qua tum potentia versatur circa illam: vnde eadem entitas sub diuersis formalitatibus, vel expressionibus hoc triplici condecoratur nomine, obiecti, subiecti, & materiæ circa quam.

4. Obiectum ergo aliquando diuiditur in formale, & materiale: *formale est ratio illa, quæ per se cognoscitur per actus scientiæ, materiale vero est subiectum, quod in se habet talem rationem.* Vnde dimanat, quod obiectum formale attingatur à scientia ratione sui, & materiale ratione formalis: constat hoc in obiecto visus, obiectum enim formale potentiæ visiuæ est color, qui per se, & ratione sui percipitur à visu; materiale verò est corpus, quod sustentat colorem, & quod percipitur à visu ratione coloris. Consulto dixi, *aliquando*, quia quãdo obiectum formale scientiæ est ens, vel aliqua ratio à subiecto independens, nõ recte valet diuidi tale obiectum in formale, & materiale.

5. Rursus subtilitas Caietani 1-p. q. 5. art. 3. in obiecto formali duplicem inuestigauit rationem formalem, *quæ*, seu *in esse rei*; & *sub qua*, seu *in esse obiecti*, ratio formalis *quæ*, seu in *esse rei* est, quæ attingitur à potentia media ratione formali *sub quæ*: ratio formalis *sub qua*, seu in *esse obiecti* est, quæ specificat habitum, illumque ab omnibus alijs distinguit; vt in obiecto potentiæ visiuę, color est ratio formalis *quæ*, & visibilitas est ratio formalis *sub qua*.

6. Quæ duplex ratio necessario est in obiecto distinguenda, vt scientiæ inter se distinguantur, nam ratio formalis *quæ* multoties à pluribus inspicitur scientijs; & ideo ratio formalis *sub qua*, quæ solum à propria cõsideratur scientia, est necessaria ad scientiarum distinctionem.

7. Hæc ratio formalis *quæ*, à pluribus appellatur obiectum materiale, sed immerito, si absolute loquantur, nam licet ratio *quæ* possit dupliciter accipi, & in ordine ad rationem formalem *sub qua* (in qua acceptione valet dici ratio materialis, seu obiectum materiale) & in ordine ad obiectum materiale (in qua acceptione debet dici ratio formalis, seu obiectum formale) vt constat in colore, qui, si accipiatur in ordine ad quantitatem, vel substantiam, dicitur obiectum formale potentiæ visiuæ; & si in ordine ad visibilitatem, appellatur obiectum materiale, vt docet Sanctus Thom. 2. 2. q. 1. art. 1. tamen absolute loquendo ratio formalis *quæ* semper est de linea obiecti formalis, cum istæ duę rationes *quæ*, & *sub qua* sint partes obiecti formalis à materiali obiecto condistinctæ.

8. Ex his autẽ rationibus formali-

malibus *quæ*, & *sub qua*, & ex obiecto materiali, & formali non resultat duplex obiectum, vel duplex specificatiuum potentię, sed vnum, à quo scientia propriam sumit speciem. Attamen hęc versatur differentia inter obiectum materiale, & formale, & inter rationem *qua*, & *sub qua*, quod hæc duplex ratio formalis specificat potẽtiam; at vero obiectum materiale adhuc sub obiecto formali non specificat, sed tota specificatio obiecto tribuitur formali. Ratio est, nam sicut in esse physico, & materiali species sumitur à forma, & non à materia; sic in esse intelligibili species sumitur ab obiecto formali, vel à rationibus formalibus, *quæ*, & *sub qua*, & non ab obiecto materiali.

9. Rursus aduerte, quod in scientijs præter istam rationem formalem *sub qua*, solet alia assignari, quæ ab aliquibus extrinseca nominatur, ab alijs verò ratio formalis *sub qua* mouens, seu impellens potẽtiam ad obiecti perceptionem; vt in colore visibilitas, quæ est specialis sensibilitas, ratione cuius obiectum pertinet ad potentiam visiuam, & nõ ad aliã, dicitur ratio formalis *sub qua* intrinseca; lux verò dicitur ratio formalis *sub qua* extrinseca mouens, seu impellens potentiam visiuam ad obiecti attinctionem.

10. Deinde obiectum diuiditur in obiectum *quod*, & *quo*, obiectum *quod* est id, in quo vltimate quiescit potentia, obiectũ *quo* est via, seu cõsecutio obiecti *quod*; vt coloratum est obiectum *quod* potentiæ visiuæ, visio verò, quæ tendit ad colorati consecutionẽ, est obiectum *quo* eiusdem potentiæ.

11. Vlterius obiectum diuiditur in adæquatum, & inadæquatum: adęquatũ est vltra quod potentia non potest extendi, & est id, in quo attinguntur omnia, quæ continentur à scientia; inadæquatum verò est pars obiecti adæquati: vt omne visibile, scilicet, omne coloratum est obiectũ adæquatum potentiæ visiuæ, & aliquod visibile, scilicet, album, est obiectum inadæquatum eiusdem potentiæ visiuę.

12. Vltimo aduerte, quod obiectum sciẽtiæ tres præcipuas exposcit conditiones. Prima, quod sit vnum in specie infima, & atoma: quæ conditio constat ex eo, quod obiectum tribuit (licet extrinsece) vnitatem scientiæ. Cæterum hæc vnitas non accipitur ab obiecto in esse rei, sed ab illo in esse intelligibili, seu in esse obiecti considerato; vt patet in obiecto potentiæ visiuę, quod in esse rei solum est vnum vnitate generica insufficiẽti ad scientię specificationem; & tamen in esse obiecti est vnum vnitate infima, & atoma sufficienti ad vnitatẽ specificam scientiæ. Secunda conditio est, quod obiectum habeat proprietates, aut quasi proprietates: hæc conditio probatur ex fine scientiæ, nam omnis scientia in-

intendit demonitrare passiones de suo obiecto. Dixi etiam *quasi passiones* propter rationem dictã supra in hac quæst. §. 1. num. 3. Tertia conditio est, quod contineat obiectum omnia, quæ tractantur in scientia; taliter vt obiectum non excedat scientiam, neque excedatur ab illa: quæ proprietas conuenit obiecto, quia est forma, & mensura extrinseca scientiæ: de ratione autem mẽsuræ est, quod adæquetur rei mensuratæ; ita vt neque excedat illam, neque excedatur ab illa: quæ cõtinentia intelligenda est in recto, vel in obliquo, continet enim obiectũ in recto ea, quæ per se tractantur in scientia, de quibus in recto vt ratio communis, & superior prædicatur, & continet in obliquo ea, quæ ordinantur ad cognitionem perfectam obiecti, de quibus non prædicatur in recto vt ratio communis, & superior: quæ conditio est intelligenda de obiecto adæquato, non vero de inadæquato; vt ex se constat.

§. II.

Proponuntur aliqua ad intelligentiam quæstionis.

SEd vt veritas ex latebris confusionis eluceat, aduerte primò, quod ens creatum prima sui diuisione diuiditur in reale, & rationis. reale est, quod à parte rei habet propriũ esse à Deo cau-

satum, tanquam à causa prima, & vniuersali; & à creatura tanquam à causa secunda, & particulari; vt homo: ens verò rationis est, quod solũ habet esse obiectiuum in intellectu, quod à solo intellectu creato causatur; vt mons aureus; vel cæcitas, quæ à parte rei nihil est, ficte tamen concipitur ab intellectu ac si esset.

14. Hoc ens rationis subdiuiditur in ens rationis absque fundamento in re factum, & in ens rationis cum fundamento in re factum; primum vocatur *chimæra, seu ens rationis ratiocinantis*, de quo non disputat Logicus: secundum vocatur ens rationis ratiocinatæ, de quo agit Logicus; & dicitur cum fundamento in re, quia fit ex occasione ab ipsis rebus concessa; sicut ratiocinantis est absque fundamento, quia res à parte rei existens nullam tribuit occasionem ad illius fictionem.

15. Aduerte secundo, quod ens rationis habens fundamentum in re diuiditur in priuatiuum, negatiuum, & relatiuum. Dialecticus vero non agit de priuatiuo, & negatiuo; sed solũ de relatiuo, quod consistit in mutuo respectu vnius extremi ad aliud; & adhuc de relatiuo non in tota sua latitudine, nam Dialecticus non agit de relatione, quæ datur in creatura ad creatorem; nec de illa, quæ est in dextro, & sinistro; nec de relatione rationis, quæ est de non congruo, & perpolito sermone; sed

solum

solum de relatione rationis, quæ reperitur in modo sciendi latè sumpto.

15. Aduerte tertio omnes Doctores in vno conuenire, videlicet, quod obiectum nostræ Dialecticæ sint instrumenta logicalia, quibus intellectus vtitur in scientijs acquirendis; dissident verò in assignanda forma illorum constitutiua; an scilicet constituantur aliquo reali, vel rationis, nam si forma constitutiua realis est, obiectum reale erit: si vero rationis sit, obiectum rationis erit.

16. Et ante quam placita disputantium referantur, aduerte vltimo huiusmodi instrumenta bifarie accipi: definitio enim v. g. est duplex formalis vna, & obiectiua alia: formalis consistit in actibus intellectus artificiosè dispositis, seu in conceptibus inter se dispositis; obiectiua vero in obiectis, seu in rebus obiectiue dispositis consistit: & idem est de diuisione, & de alijs instrumẽtis.

§. III.

Referuntur sententiæ.

17. IN hoc præclaro certamine ipius diuersitatis, quã vnitatis inuenies inter Dialecticos, nã licet prima sentẽtia asserat obiectum formale logicę per modum rationis formalis *quæ* esse aliquid reale indepẽdẽs ad sui existentiã ab intellectus fictione; & pro illa ex antiquis Dialecticis sibi vẽdicẽt moderni D. Augustin. lib. 2. de doctrina christiana. Diuum Isidorum libr. æthymologiarum. Platonem dialogo de iusto. Bernardum Mirandulanum in sua logica. Ægidium 2. posteriorum. Boëtium in topica Ciceronis. Mercadam q. 1. in Porphyrium. Et ex modernis Caietanum, & Fonsecam 2. metaphysicæ cap. 3. q. 1. sect. 5. Patrem Suarez disput. 1. sect. 4. & disp. 14. in principio. Conimbricenses in præsenti. Canum. lib. 9. de locis. Arriagam q. 2. sect. 3. & pro coronide Sanctum Doctorem; tamen in ipsa societate maxima apprehenditur diuersitas, nam alij asserunt obiectum formale, vel rationem formalem *quæ* Logicæ, quam dicunt realem, esse proximam capacitatem ad directionem logicæ, seu aptitudinem ad talem directionem in actibus, & in rebus repertam. Alij vero esse denominationem extrinsecam in rebus, seu in cõceptibus obiectiuis passiue inuentam, & ab actibus artificiosè dispositis actiuè causatã. Alij autem esse denominationem extrinsecam passiue exercitam in conceptibus formalibus. Alij denique esse artificiosam, & formalem dispositionẽ in ipsis actibus intrinsecè inhærentem.

18. Secunda sententia affirmat rationem formalem *quæ* Logicæ non esse realem, nec rationis determinare, sed abstrahere ab artificio reali, quod est in actibus, & ab

& ab artificio rationis, quod est in rebus; consequenterque asserunt Logicam per se primo considerare artificiũ, quod est in actibus Logicis: sic Louanienses. Rodulphus. Agricola lib. 2. de inuẽtione cap. 2. & nonnulli Thomistæ nostræ familiæ in manuscriptis.

19. Tertia sententia primæ ex diametro opposita docet obiectum formale, seu rationem formalem *quæ* Logicæ esse ens rationis non in tota sua latitudine; sed ens rationis artificiosum in forma modi sciendi: sic Caietan. in anteprædicamentis q. 5. Sotus. Nauarrete. Arauxo. Collegium Complutense. Ioannes à Sancto Thoma in præsenti, & fere omnes Thomistæ cũ Angelico Magistro 4. metap. lect. 4.

20. Inter quos etiam non est lene dissidium, nam alij asserunt hoc ens rationis, quod pro obiecto formali constituunt, esse denominationem extrinsecam ab actibus actiuè desumptam, & in rebus passiue repertam. Alij verò esse denominationem intrinsecam, seu formã rationis intrinsecam causatam ab actu Logico virtualiter reflexo in rebus cognitis, seu extrinsece denominatis; ita vt denominatio extrinseca sit proximum fundamentum formæ rationis intrinsecæ.

21. Pro intelligentia tamen tanti dissidij notandum est in actibus intellectus in forma modi sciẽdi dispositis multiplices posse considerari formalitates: primo namque in illis reperitur dirigibilitas in actu primo; idest, proxima capacitas, vt disponantur, & ordinentur in modum definitionis, diuisionis, &c. Secundo actualis directio actiua, vt se tenet ex parte ipsorum actuũ formaliter; similiter & in rebus duplex reperitur formalitas; videlicet, directio extrinseca, & passiua, vt fundamentum, & respectus quidam rationis, qui denominatur secunda intentio, qua res, seu conceptus obiectini mutuo se respiciunt.

§. IV.

Primus modus primæ sententiæ refellitur.

22 PRimus mod' pro prima sentẽtia relatus, qui defendit rationem formalem *quæ* Logicæ consistere in proxima capacitate ad directionem, seu in proxima dirigibilitate in conceptibus obiectiuis, & formalibus reperta, his temporibus non habet hominem; & ideo euanescit primo hac impugnatione, nam proxima capacitas, quæ est in conceptibus formalibus, & obiectiuis, vt à Logica dirigantur, solum se habet vt fundamentum proximum directionis, sed nulla scientia per se primo agit de fundamento proximo formæ, cum sit obiectũ materiale, quod attingitur à scientia ratione obiecti formalis; ergo pro-

proxima capacitas, quæ est in rebus, vel in actibus, vt à Logica dirigantur, non est ratio formalis *qua* Logicę: minor, & consequentia sunt certæ, maior probatur: proxima capacitas ad directionē est in ordine ad ipsam directionem; ergo solum attingitur, vt acquirat passiuam directionem, quæ est forma artificiosa in hac tali materia reperta.

23. Impugnatur secundo, idēmet obiectum formale respicit Logica vt scientia, quatenus illius proprietates demonstrat, ac vt ars, provt tradit regulas ad illius constructionem, sed Logica vt ars non habet pro obiecto formali, seu pro ratione formali *qua* conceptus formales, & obiectiuos, vt dirigibiles, vel vt stant sub proxima dirigibilitate; ergo nec vt scientia. Discursus legitimus: maior admissa ab omnibus: minor probatur: Logica vt ars respicit per modum rationis formalis *qua* conceptus formales, & obiectiuos, vt stāt sub forma eos dirigente; vel illos respicit, vt in illis introducat dispositionē, seu formam artificiosam; non aliter ac ars domifactoria, aut fabrilis respicit ligna, & alia domus materialia, vt stant sub forma artis; scilicet, vt in illis introducat, vel causet formam artis, sed dirigibilitas proxima conceptuum nec causatur, nec introducitur in illis à Logica, sed eis conuenit à natura; cum nihil aliud sit hæc proxima capacitas ad introductionem, quām obedientialis capacitas, vt dirigantur à Logica, quæ illis conuenit ex se, & ab intrinseco; ergo conceptus formales, & obiectiui, vt stāt sub proxima capacitate ad dirigibilitatem, non specificant Logican per modum rationis formalis *qua*, seu per modum obiecti formalis.

24. Impugnatur tertio hic modus dicendi: cōceptus formales, & obiectiui existentes in secunda intellectus operatione non spectant ad Logicam, provt intellectus tertiam dirigit operationē; quāuis in tertia sint proxime dirigibiles sub forma demōstrationis; ergo absolutè loquēdo conceptus, vt stant sub proxima dirigibilitate, non spectant ad Logicam per modum rationis formalis *qua*.

25. Dices: Logicam esse artem directiuam, & habere pro ratione formali *qua* materiam dirigibilem, non aliter ac ars actiua habet pro ratione formali *qua* aliquod factibile, sed materia dirigibilis à Logica sunt conceptus formales, & obiectiui, vt stāt sub proxima dirigibilitate; ergo hi sub tali dirigibilitate cōstituunt obiectum Logicæ per modū rationis formalis *qua*. Respondetur negando maiorem quoad secundam partem, & illam distinguo quoad primam: Logica est ars directiua, & factiua simul, concedo maiorem: directiua tantum, nego maiorem: & minorem, nam Logica nedum quia factiua, sed

etiam

etiam quia directiua habet pro ratione formali *quæ* non materiã vt dirigibilem, sed ipsam, vt stat sub forma dirigente; non aliter ac ars factiua domus habet pro ratione formali *quæ* non materiã, vt stat sub capacitate ad formam domus recipiendam; sed ipsam, vt stat sub forma domus; taliter vt forma domus, & non potentia ad formam domus recipiendam sit ratio formalis specificans.

26. Quarto reijcitur prædictus modus, scientia, quę versatur circa essentiam alicuius rei tanquam circa obiectum formale, versatur circa proprietates ab ipsa dimanantes; cum scientia ad distinctionem habitus primorum principiorum inferat ex essentia proprietates; sed in cõceptibus proxima capacitas ad directionem, vel non est ab ipsis distincta, vel sequitur illorum essentias tanquã propria passio; ergo non Logica, sed tantum Physica scientia, quę versatur circa essentiam cõceptuum, tanquam circa obiectum formale, versabitur etiam circa hanc proximam capacitatem.

27. Dices: obiectum formale scientiæ subalternæ distinguitur ab obiecto formali scientiæ subalternantis, & tamen illius obiectum est proprietas illius; ergo quamuis dirigibilitas proxima sit proprietas conceptuum poterit spectare ad diuersam scientiam. Respondeo concedendo maiorẽ, & distinguendo minorem: est proprietas illius in esse rei, concedo minorẽ; in esse obiecti, nego minorem, & consequentiam, nam dirigibilitas proxima cõceptuũ, & illorum essentiæ sunt sub eadẽ abstractione à materia: & sic ab eadem scientia debent attingi: præterquamquod est plusquam falsum, & à nullo admissum, quod Logica subalternetur philosophiæ.

28. Secundus modus opinandi huius sententiæ est reijciendus in primo tertiæ sententiæ.

§. V.

Secunda impugnatur sententia.

29. Secunda sententia, quæ asserit rationem formalem *quæ* Logicæ nec esse realem, nec rationis, sed abstrahere à reali, & rationis, consequenterque præscindere per se ab artificio, quod est in modo sciendi formali & obiectiuo, falso nititur fundamẽto, nam modus sciendi formalis non inspicitur à Logica vt pars subiectiua (vt aduersarij intendunt) sed solum vt *quo*, & vialiter; ergo ex modo sciendi formali & obiectiuo nõ valet abstrahi ratio aliqua, quæ per se specificet Logicam: vtique quia ex via vt tali, & ex termino viæ in nulla scientia valet abstrahi ratio formalis specificans.

30. Probatur secũdo, & roboratur ratio prima: nam actus intellectus artificiosè dispositi, seu

seu modus sciendi formalis, vt talis attingitur ratione modi sciendi obiectiui; ergo non inspicitur à Logica per se primo, vt pars subiectiua rationis formalis specificantis. Consequentia est certa, nam non alia ratione medium vt medium non intenditur à voluntate per se primo, nisi quia eligitur ratione finis intenti, sed modus sciendi formalis inspicitur à Logica ratione modi sciendi obiectiui; ergo non inspicitur ab illa per se primò, & vt pars subiectiua rationis formalis specificantis. Antecedens probatur, nã actus intellc & is vt artificiosè dispositi attingũtur ratione modi sciendi obiectiui; vtique, quia via, vt via semper se habet respectu termini, sicut medium, vt medium respectu finis.

31. Dices: modum sciendi formalem non ordinari ad obiectiuum, quia modus sciendi est; sed quia modus sciendi formalis est; vtique, quia aliàs modus sciendi obiectiuus, vt modus sciendi est, ordinaretur ad aliud; ergo modus sciendi formalis sub expressione modi sciendi dicit independentiam, & perfectatem sufficientem, vt attingatur à Logica per se vt pars subiectiua illius; ergo ex modo sciendi formali, & obiectiuo valet abstrahi formalitas modi sciendi per se specificantis Logicam; vtique quia modus sciendi formalis nõ ordinatur ad modũm sciendi obiectiuum, quia modus sciẽdi est, sed quia modus sciendi formalis est. Ingeniosè satis, sed absque veritatis fundamine: quare respondetur negando antecedens, nam modus sciẽdi formalis, non solum quia formalis, sed quia modus sciendi est, dependet ab obiectiuo, cum solum in esse repræsentatiuo, & secundum quid participet rationẽ modi sciendi, seu rationem dispositionis artificiosæ; vt constabit ex dicendis infra, q. 2. §. 3. num. 10.

32. Ex his manet impugnatus vltimus modus opinandi primæ sententiæ.

§. VI.

Primus modus tertiæ simul cum secundo, & tertio primæ reijcitur.

33. Hic modus opinandi, qui dicit rationem formalẽ *quæ* Logicę esse denominationem extrinsecã rationis in rebus exercitam, speciali reijcitur impugnatione. Nam Logica per se primo agit de modo sciendi, scilicet, de genere, specie, diuisione, & argumentatione, sed prædicta instrumenta logicalia non coalescunt formaliter ex denominatione extrinseca rationis; ergo denominatio extrinseca rationis non est ratio formalis *quæ* logicę: maior ab aduersarijs admittitur, consequentia est euidens: minor, in qua est difficultas, probatur, nam genus de formali dicit relationẽ rationis quasi prædicamentalem,

qua natura generica ornatur ad species (vt constabit ex dicendis infra q. 1. per totam) sed denominatio extrinseca rationis de formali non dicit prædictum ordinem; vtique quia denominatio extrinseca in omnium opinione solum consistit in tendentia actus in obiectum, vel in tendentia cõceptus formalis in obiectuum, non vero in tendentia vnius obiecti ad aliud obiectum, vel vnius conceptus obiectiui ad aliud obiectiuum; ergo instrumenta Logicalia formaliter non coalescũt ex denominatione extrinseca rationis.

34. Secundo impugnatur ad hominem contra Patrem Suarez, nam in tanti Doctoris opinione denominatio extrinseca est actus tendens in obiectum, sed actus tendens in obiectum necessario est distinctus ab ipso obiecto, cum ab illo specificetur; ergo denominatio extrinseca non est ratio formalis quæ Logicę.

35. Respondet Pater Suarez obiectum formale Logicæ nõ esse tendentiam actus in obiectum, sed denominationem extrinsecã in rebus resultantem ex actus tẽdentia; vt patet in actione potẽtiæ visiuæ, quæ extrinsecè denominat parietem visum: vbi aliud est visionem ordinari ad parietẽ, & aliud parietem esse visum.

36. Sed contra est, quia in sententia huius Auctoris actus tendens in obiectum, & obiectũ extrinsece denominatum ab actu nullo modo distinguitur, nisi grãmaticaliter, sed actus tendens in obiectum non est obiectum formale Logicæ; ergo nec denominatio extrinseca ex tali tendẽtia resultans.

37. Sed contra istam solutionẽ specialiter insurges, multoties scientia versatur circa proprium actum, tanquam circa obiectum formale per se primo attactum; ergo ex eo quod denominatio extrinseca sit actus tendens in obiectum non sequitur, quod non possit se habere vt obiectum formale Logicę. Cõsequẽtia est certa: antecedens probatur, philosophia moralis versatur circa actus voluntatis tãquam circa obiectum formale; & metaphysica circa proprios actus tãquam circa obiectum formale; cum in illis detur ratio entis, quæ per se primo attingitur à metaphysica; ergo similiter Logica poterit versari circa proprium actum, tanquam circa obiectum formale. Si dicas philosophiam moralem, & metaphysicam versari circa actus voluntatis, & intellectus in actu signato, non vero in actu exercito.

38. Cõtra est; ergo haud aliter Logica poterit versari circa proprios actus in actu signato. Respondetur concedendo consequẽtiam, nam actus Logici habent proprias essentias, in quibus possunt fundari intentiones obiectiuæ generis, speciei, & differentiæ, vt circa illas Logica possit ver-

versari tanquam circa proprium obiectum formale: actus enim Logicæ possunt dupliciter accipi; primo, vt sunt via ad obiectum, in qua acceptione habēt rationem exercitam actus à Logica per se secundo attingibilem: secundo, vt sunt terminus alterius actus, in qua acceptione ratio viæ (quæ propria est actus exerciti) se habet specificatiue, & solum actus reduplicant rationem obiecti, nam tunc formaliter solum exercent munus rei, & obiecti *quod*; non vero munus actus, & obiecti *quo*, & vt sic per se primo possunt à Logica considerari.

39. Nota igitur discrimē, quod versatur inter actus Logicæ, & metaphysicæ, quod in actibus Logicæ non datur, nec specificatiuè ratio formalis *quæ* Logicæ; & sic debet per alium actum fingi, vt possit attingi in actu signato, vt obiectum formale *quod*: at vero in actibus metaphysicæ specificatiue datur ratio entis, quę est ratio formalis *quæ* metaphysicæ.

40. Dices: in actibus Logicæ datur artificium definitionis, diuisionis, &c. ergo in illis sicut in actu metaphysicæ datur ratio formalis *quæ* Logicæ. Respondetur distinguendo antecedens: datur in actibus Logicæ ratio definitionis, diuisionis, &c. vt *quo*, & per modum viæ, concedo antecedēs, vt *quod*, & per modum obiecti vltimi, nego antecedens; & consequentiam, nam in actibus metaphysicæ ratio entis, quę intrinsecè, & proprie est in illis, solum specificatiuè est vialis; at vero in actibus Logicis ratio artificiosa est formaliter vialis, tam quia solum dicitur talis, quia causat artificium obiectiuum; tum quia solum in esse repræsentatiuo habet artificium: vnde opus est, quod per alium actum fingatur verum artificium, vt possit Logicus versari circa proprios act⁹, tanquam circa rationem formalem per se primo attactam.

41. Inquires: an philosophia moralis distinguatur à Logica, & metaphysica in modo versandi circa proprios actus? Respondeo distingui in hoc, quod philosophia moralis semper ordinatur ad actus voluntatis absque aliqua reflexione tanquam circa obiectum *quod*; at vero Logica, & metaphysica solum medijs actibus reflexis terminatur ad suos actus tanquam circa obiectum *quod*.

42. Ex his manent reiecti alij modi opinandi pro prima sententia relati, qui defendunt rationē formalem *quæ* Logicæ consistere in denominatione extrinseca reali: & amplius impugnatur ad hominem contra ipsos aduersarios, nam ipsi asserunt hanc denominationem extrinsecam realem in conceptibus formalibus passiuè repertam esse obiectum formale, seu rationem formalem *quæ* Logicæ, quia entitas rationis in modum

dum demonstrationis v.g. nó valet causare assensum scientificũ, quem causant conceptus formales Logicæ, sed denominatio extrinseca hunc assensum non valet causare; ergo inconsequenter asserunt denominationem extrinsecam in conceptibus formalibus repertam esse obiectum formale, vel rationem formalem *qua* Logicæ. Discursus euidens: maior probatur, causa realiter effectiuè causans effectum realem debet ipsum intrinsece præcontinere, sed conceptus formales sub tali extrinseca denominatione illum non præcontinent, cum anteuertenter ad istam denominationem non præcontineant intrinsece assensum scientificum conclusionis logicæ; & ratione extrinsecæ denominationis non acquirant intrinsecam continentiam; ergo conceptus formales per extrinsecam denominationem non valẽt causare scientificum assensum; ni dicas mutari intrinsece per aliquid extrinsecum.

43. Amplius ostenditur eorum falsitas: denominatio extrinseca actiue considerata (vt ipsi aduersarij fatentur) non spectat ad Logicum, sed ad physicum; ergo nec passiue sumpta: tum quia eadem scientia, quæ actionem aliquam habet pro obiecto formali, & passionem intime identificatam cum illa respicit: tum quia actio passiue considerata non habet sufficientem rationem, vt distinctam specificet scientiam.

44. Si dicas actionem passiuè acceptã habere proprietates distinctas de illa demonstrabiles; & sic diuersam posse scientiam specificare. Contra est: nam diuersitas passionum non sufficit ad diuersam scientiam, quando essentia, à qua dimanant, est in eadẽ abstractione cum alio ab alia scientia attacto; aliàs quælibet pars subiectiua scientię diuersam specie scientiam specificaret, sed denominatio hæc extrinseca cõsiderata sub expressione actionis est sub eadem abstractione cum ipsa considerata sub expressione passionis; ergo sub hac expressione non valet Logicã specie distinctam à physica specificare.

§. VII.

Prima conclusio.

45 ARtificiũ, quod est in actibus, vel in modo sciẽdi formali, est reale. Pro hac sunt quã plurimi Thomistæ: & probatur primo, Logica est scientia realis, sed hęc causatur ab actibus intellectus artificiosè dispositis in forma demonstrationis: ergo artificium, quod est in actibus, est reale. Consequentia probatur, effectus realis petit causari à causa reali, & non rationis iuxta illud; *nemo dat, quod non habet*; ergo artificium, quod est in actibus, est reale.

46 Di-

46. Dices cum auctoribus oppositæ sententiæ: Logicam causari & ab actib⁹ materialiter acceptis, & ab artificio rationis; aliter tamen, & aliter, nam ab act b⁹ materialiter acceptis causatur, vt à virtute effectiua; & ab artificio rationis, vt à conditione sine qua non; vtique quia virtus effectiua solet suum effectum producere dependenter à conditione: sicut in diuinis intellectio in Filio non generat, quia non connotat paternitatem per modum connotati, seu conditionis. Quod autem conditio rationis aliquando requiratur ad effectus reales probatur à simili, nam instrumentaria virtus gratiæ, quę est in Sacramentis nouæ legis, nó causaret illam, si deficeret significatio, quæ est rationis, vt cõstat ex parua summa; ergo conditio rationis aliquando requiritur in causa reali, vt causet effectus reales; ergo ex eo quod artificium, quod est in actibus Logicæ, sit rationis, non sequitur, quod non possit causare causam realem Logicæ per modum conditionis.

Sed cõtra est: & admisso quod conditio rationis aliquando præsupponatur in causa reali ad effectus reales, sic argumentor, nam artificium, quod est in actibus, nõ solum se habet vt mera conditio, sed etiam vt virtus effectiua; vtique quia hoc viale artificium ponit aliquid in effectu, vel in Logica, videlicet inclinationem ad actus artificiosos; quod conditioni non competit; sed sicut virtuti effectiuæ; ergo artificium formale, quod est in actibus, non se habet vt mera conditio, sed vt virtus Logicæ productiua.

47. Contra est secundo: nam Logica causatur à suis actibus, vt formaliter ad illam spectantibus, non aliter ac philosophia, & aliæ scientiæ; sed hi solum vt artificiosè dispositi spectant ad Logicã formaliter; vtique quia anteuertenter ad artificiosam directionem non considerantur à Logica, sed à physica; ergo vt sic debent illam causare formaliter, & in recto.

48. Contra tertio, Logica in recto, & de formali est qualitas artificiosa; vtique quia in ea non valet dari rectum, & obliquum: ni dicas non esse simplicem, sed compositam qualitatem; ergo actus ipsius Logicæ in recto, & de formali dicunt artificium.

49. Quarto, quód ex parte obiecti est in recto, & de formali per modum termini, est etiã ex parte actus in recto, & de formali per modum viæ, sed obiectum Logicæ in recto, & de formali, & non per modum conditionis, dicit artificium; ergo actus in recto, & de formali, & non per modum conditionis importat dispositionem artificiosam.

50. Dices: ex eo artificium, quod est in actibus, est reale, quia effectus realis (scilicet Logica) causatur ab illis, vt artificiosè dispositis, sed Logica etiam causatur

fatur ab artificio, quod est in rebus, seu in conceptibus obiectiuis; ergo artefactum, vel artificium, quod est in rebus est reale, vel quod est in actibus, seu in cõceptibus formalibus non est reale propter hanc rationem.

Sed contra est: nam non ex eo præcisè quod effectus realis (scilicet Logica) causetur ab artificio, quod est in actibus, artificiũ est reale, sed quia ab illis causatur in genere causæ effectiuę effectum essentialiter præcontinentis; at vero ab artificiò, quod est in rebus, solum causatur Logica in genere causæ formalis extrinsecæ, seu in genere obiecti, ad cuius extrinsecam causalitatem realitas obiecti non est necessaria, cum Logica non dimanet effectiuè ex obiecto, sed ex actibus ad illud ordinatis. Probatur hoc à simili in grammatica, & rhetorica, quæ formaliter, & extrinsece causantur ab ente rationis, scilicet, à congruo, & perpolito sermone, & tamen non possunt causari extrinsece efficienter, nisi ab ente reali; quia scientia, vel ars non dimanat ex obiecto, sed ex actu ad obiectum tendente.

51. Secundo specialiter probatur conclusio; nam ens rationis, quod potest in actibus vialiter acceptis subiectari, non est cum fundamento in re: ergo admisso, & non concesso, quod esset in his actibus ens rationis, nõ esset ens rationis Logicum. Consequentia est certa: antecedens probatur à simili, ex eo ens rationis in rebus repertum est cum fundamento in re, quia res præsupponuntur cognitæ antecedenter ad artificium in illis fundatum, sed actus vt sunt via, & tendentia ad obiectum non præsupponuntur cogniti antecedenter ad directionem Logicam: vtique quia simul cum illa dimanant ab intellectu Logico; ergo ens rationis, quod in actibus potest subiectari, nõn est cum fundamẽto in re. Minor, & consequentia sunt certæ: maior probatur, materia non cognita nullam tribuit intellectui occasionẽ, vt in illa aliquid fundet: ergo cognitionis suppositio necessaria est ad ens rationis cũ fundamento in re formandum.

52. Tertio probatur cõclusio: artificium, quod est in actibus (vt constabit ex statim dicendis conclusione sequenti) nõ est realiter, sed solum connotatiue à realitate actuum distinctum, sed artificium rationis non potest non realiter distingui ab entitate reali actuum; ergo artificium, quod est in actibus, non est rationis, sed reale.

§. VIII.

Secunda conclusio.

53. ARtificiosa dispositio in actibus, vel in modo scié di formali reperta realiter non distinguitur ab entitate reali actuum.

actuum. Contraria vt communis sequitur ab auctoribus nostræ familiæ, sed nostra vt magis his tẽporibus recepta, & magis cõducens ad plures materias Theologicas à nobis est defendenda.

54. Pro cuius intelligentia nota, quod actus intellectus possũt bifarie considerari, primo secundum suum esse naturale, & vt sunt affectiones animæ; secundum quã acceptionem actus formaliter nõ pertinent ad Logicã, sed ad alias scientias: secundo vt sunt dispositi in forma definitionis, diuisionis, &c. Idest, vt sunt regulati per regulas Logicæ; secundum quam acceptionem vialiter, & vt *qua* pertinent ad Logicã. Hæc duplex consideratio etiam datur in modo sciẽdi obiectiuo, vel in rebus ad Logicam spectantibus, nam possunt cõsiderari secũdum esse naturale, & secundum artificium, quod Logica in illis introducit, in prima acceptione formaliter pertinent ad alias scientias, in secunda vero ad Logicam.

55. Hoc supposito probatur primo ratione philosophica, absque necessitate non sunt multiplicandæ realitates, sed in præsenti sufficit noua connotatio ad regulas Logicæ, vel ad modum sciendi obiectiuum, vt actus intellectus, qui sunt in linea entis naturalis transeant ad lineam entis artificialis; vtique quia actus naturalis, qui fit ab intellectu iuxta regulas Logicæ, non est tãtum naturalis; ergo noua superadditio entitatis, vel realitatis modalis non requiritur in actu intellectus, vt sit Logicus, & artificialis.

56. Secundo probatur ratione Theologica: actus naturalis trãsit ad lineam moris per hoc præcise, quod connotet regulas moris, vel per hoc quod cõnotet obiectum conforme, vel difforme legi, ergo similiter poterit transire ad lineã entis artificialis per hoc, quod connotet regulas Logicæ artificialis.

Confirmatur primo, ens reale adæquatè diuiditur in naturale, morale, & artificiale; sed naturale transit ad lineam moris absque superadditione nouæ entitatis; ergo ad lineam entis artificialis absque superadditione nouæ entitatis.

Confirmatur secundo, actus naturalis dicitur necessarius, quia connotat principium necessariũ; & liber, quia cõnotat principium indifferens; moralis, quia connotat principium morale, vel principium subiectum regulis moris; ergo & artificiale, quia connotat principium artificiale, vel principium subiectum regulis artis.

57. Dices: actum regulas Logicæ connotare, esse aliquam rectitudinem positiuam distinctam ab entitate naturali actus; ergo rectitudo artificiosa actus distinguitur ab entitate naturali act⁹. Consequentia est certa: antecedens probatur, carentia rectitudinis artificialis positiue priuat

actum aliqua forma positiua, sed non entitate naturali, vel rectitudine naturali; ergo rectitudine artificiali; ergo rectitudo artificiosa est realiter distincta ab entitate naturali actus, cum hæc absque illa possit inueniri.

Respondetur negando antecedens: ad probationem nego suppositum, scilicet, quod positiue pinet: carentia enim non positiue, sed tantum negatiue priuat: & concedo minorem, quę potest, vt antecedens, vel maior alterius syllogismi poni; & nego consequētiam quoad primam partem, nam carentia rectitudinis artificialis solum aufert ab actu cōnotationem ad regulas logicę, quā antea habebant.

5°. Hæc solutio constat à simili in vnione à partibus physicis indistincta, nam in illis, vt separatis datur carentia vnionis, non quoad entitatem positiuam, sed quoad expressum vniendi.

59. Replicabis: carentia rectitudinis positiuæ est negatio conformitatis positiuæ; ergo actus naturalis, qui caret conformitate, caret forma, vel rectitudine positiua. Respondeo distinguendo antecedens, carentia rectitudinis est negatio conformitatis positiuæ; ideſt, est negatio conformitatis in entitate positiua, concedo antecedens: est negatio entitatis positiuæ, in qua est rectitudo, vel conformitas, nego antecedēs: vel iterum distinguo antecedens, est negatio conformitatis positiuæ, quoad expressum conformitatis, concedo antecēs: quoad positiuum rectitudinis, vel conformitatis, nego antecedens, & consequentiam, nam actui non deficit aliquid positiuum, quia ei deficiat rectitudinis artificiosæ expressum: licet enim positiuo actui deficiat expressio, vel connotatio ad regulas logicæ; non tamen deficit positiuum expressionis, vel entitas positiua, in qua est expressio ad regulas logicæ. De quo late in lib. 2. physic. disp. 3. q. 2. de distinct. vnionis à partibus.

§. IX.

Tertia conclusio.

60. RAtio formalis *quę* logicę est forma relatiua rationis in conceptibus obiectiuis, vel in rebus cognitis, & abstractis recepta: est in fauorem tertiæ sententiæ iuxta secundum modū dicendi.

61. Primò fulcitur auctoritate D. Tho. 4. metaphysicæ, lect. 4. vbi ait. *Ens rationis proprie dicitur de illis intentionibus, quas ratio adinuenit in rebus consideratis, sicut intentio generis, & speciei: quæ quidem non inueniuntur in rerum natura, sed consideratione rationis consequuntur; & huiusmodi ens rationis est proprium subiectum Logicæ.* Hucvsque Doctor Aquinas: in quibus verbis nostram, & suam expressit mentem. Confirmatur ex eodem

D. Tho-

Diuo Thoma opusc. 56. vbi ait: *Logicam considerare ens rationis per se, & ens reale per accidens*; ergo iuxta mentem Diui Thomæ sola secunda intentio rationis in rebus formata est ratio formalis *quæ* Logicæ; alias ens reale non per accidens, & ratione entis rationis, (quod idem est) sed per se, & ratione sui consideraretur à Logica.

62. Obijcies, secundum Diuum Thomam obiectum Logicæ est forma relatiua in rebus cognitis existens; ergo antequam tenter ad actum, qui ad formam relatiuam terminatur, datur actus ad ipsos conceptus obiectiuos terminatus, atqui iste actus est Logicus, & primarius; ergo obiectum tali actu cognitum est obiectum formale, & primarium Logicæ: sed obiectum antecedens formã rationis est reale; ergo obiectum per se, & primarium Logicæ est reale.

Respondeo concedo antecedens: & distinguo cõsequens, antecedenter ad formam relatiuam datur actus ad ipsos conceptus obiectiuos terminatus, in executione, concedo consequentiam: in intentione, nego consequẽtiã: & distinguo minorem sub-sumptam quoad primam partem, talis actus est Logicus fundamentaliter, & inchoatiue, concedo minorem, formaliter, & complete, nego minorẽ; & etiam quoad secundam partem, nam talis actus, licet sit Logicus, est secũdus ad dispositionem fundamenti terminatus: nõ aliter ac actus, qui respicit dispositionẽ lapidum, est secundarius, etiam si in executione sit primus, quia non fit ab arte domifactoria ratione sui, sed ratione primarij.

63. Deinde probatur conclusio prima ratione, Logica agit per se primò de genere, specie, diuisione, definitione, &c. tanquã de obiecto formali, sed forma cõstitutiua generis v. g. non datur à parte rei; ergo per fictionem intellectus, cum inter ens reale, & rationis non detur medium. Cõsequentia est certa: maior nõ potest negari: minor probatur, ratio formalis constitutiua generis est respectus qui si prædicamentalis, quo natura animalis v. g. ordinatur ad species, sed iste respectus v.g. non datur à parte rei; ergo forma constitutiua generis non datur à parte rei. Minor probatur, respectus realis est realiter ad terminum realiter distinctum, cum idem ad se ipsum non possit ordinari, sed ordo generis v. g. animalis ad species, scilicet, ad hominem, & ad equum non est realiter distinctus, cum animal non distinguatur realiter ab homine, & equo; ergo ordo generis ad species non est à parte rei; ergo est rationis.

64. Probatur secunda ratione, res seu conceptus obiectiui sub ea ratione spectant per se primo, & per modum rationis formalis *quæ* ad Logicam, sub qua primo cõsti-

tituuntur directi, sed per formam rationis cõstituuntur directi; ergo per illam terminant formaliter Logicam: probo minorẽ, per formã rationis constituuntur res, seu conceptus obiectiui in ratione generis, prædicati, & subiecti, & in nullo alio consistit illorum directio; ergo per formam rationis constituuntur directi, cum rationes generis, prædicati, & subiecti à parte rei nõ inueniãtur, vt satis efficaciter ratio facta conuincit.

65. Nec valet dicere: cõceptus obiectiuos esse directos anteuertenter ad secundam intentionem rationis per denominationem extrinsecam secundam intẽtionem rationis præcedentem. Non (inquam) valet, nam licet per denominationem extrinsecam sint directi fundamentaliter, & inchoatiue, tamen formaliter, & cõplete solum sunt directi per secundã intentionem rationis.

§. X.

Aliqua obiectiones contradicta.

66. SEd contra nostram cõclusionem sic insurges primo, ens rationis, seu secunda intentio obiectiua inspicitur à Logica in ordine ad ens reale; ergo secunda intentio obiectiua non attingitur per se primo à Logica. Cõsequentia est legitima, nam ex eo Logica non respicit per se primo modum sciẽdi formalem, quia est in ordine ad obiectiuum: antecedens probatur, ens rationis ut ad similitudinem entis realis; ergo inspicitur à Logica in ordine ad ens reale.

Respondetur distinguẽdo antecedens, cognoscitur per ordinem ad ens reale, in esse entis, cõcedo antecedens, in esse obiecti, vel in esse formæ artificiosæ, nego antecedens: ad probationẽ distinguo antecedẽs eodem modo, & nego consequentiam, nam ens rationis potest accipi, vel in ordine ad ens reale, ad cuius similitudinem fit; vel in ordine ad suas proprietates, primo modo attingitur sub expressione entis rationis; secundo modo sub expressione obiecti, vel formæ artificiosę, in qua acceptione specificat sciẽtiam de illo proprietates demõstrantem. Haud aliter in accidenti, quod potest à Metaphysica considerari vt accidens est; ideſt, quatenus ordinatur ad substantiam, cuius est ens; in qua acceptione nõ attingitur per se primo à Metaphysica; & quatenus intrinsece participat rationem entis realis; in qua acceptione attingitur per se primo, quia vt sic non ordinatur ad substantiã; non enim respicit illam, quia ens, sed quia accidens est.

67. Replicabis: Logica est productiua sui obiecti; sed ens rationis producitur in ordine ad ens reale; ergo Logica non solum in esse entis, sed in esse obiecti producit

ducit suum obiectum in ordine ad ens reale. Respondetur distinguendo maiorem, est productiua sui obiecti secundum expressionē obiecti, nego maiorem, secūdum expressionem entis, vel effectus, concedo maiorem; & eodem modo distinguo minorem; & nego consequentiam, nam licet Logica causet suum obiectum, nō tamen illud causat sub formalitate obiecti, nam obiectum vt causatum à Logica non exprimit obiecti, sed effectus perfectionē: in quo sensu non specificat Logicā, nec habet rationem obiecti: obiectum enim sub formalitate obiecti causat scientiam, non vero causatur à scientia; licet sub alia formalitate, scilicet entis, vel effectus possit ab illa causari.

68. Sed adhuc non quiesces, secunda intentio rationis, vt exprimit rationem artificiosam, nō est per se primo cognoscibilis; vtiq; quia vt sic est vmbra artificij realis, ad cuius similitudinem fit; ergo reduplicatiuè vt obiectū formale Logicæ est in ordine ad ens reale. Respondetur negando antecedens: ad probationem distinguo antecedens: est vmbra artificij realis, in esse entis, concedo antecedens, in esse obiecti, nego antecedens, & cōsequentiā, nā illa formalitas obiectiua à Logica per se primo attracta potest accipi, vel vt effectus Logicæ; & sic fateor causari à Logica, vt ad reale artificium ordinatur; vel vt obiectum ipsius, in qua acceptione formaliter non se habet in ordine ad artificium reale, sed in ordine ad proprietates, vt radix illarum. Explicatur hoc in entitate naturali, quæ vt ordinatur ad actum essendi, dicitur essētia; & vt ordinatur ad actum operandi, dicitur natura: hoc idem artificium rationis, vt respicit artificium reale nequit per se primo attingi à Logica, licet ab illa per se primo inspiciatur vt radix proprietatum.

69. Insurges secundo, obiectum est habitus mensura, ad quod habitus essentialiter ordinatur, sed ens rationis non potest esse mensura habitus realis: tum quia secundum Philosophum, & Diuum Thomam plurib⁹ in locis mensura, & mensurabile debet esse eiusdem rationis; tum quia scientia realis ad ens rationis non potest essentialiter ordinari, cum perfectum ad imperfectum non possit ordinari; ergo secunda intentio relatiua rationis non potest esse Logicę formale obiectū. Respondetur distinguendo antecedens quoad primam partem, obiectum est habitus mensura, extrinseca, concedo antecedens, intrinseca, nego antecedens: ad primam probationem dico Philosophum, & Diuum Thomā loqui de mēsura intrinseca habitus; aliàs potentia accidentalis non posset ad substantiam terminari, tanquam ad mensuram extrinsecam, cum non sit eiusdem rationis cum substantia: ad secundam

pro-

probationem huc habitum esse ut aliter ordinari ad obiectum rationis, non vt rationis; sed vt habet formæ artificiosæ rationem: in quo sensu formaliter, licet non in esse entis est habitu perfectior, cum sit vt hic mensura habitus.

70. Replicabis: *nemo dat, quod non habet*: ergo ens rationis non potest Logicæ tribuere speciem realem, quia intrinsece non habet. Respondetur iuxta dicta concedendo antecedens: & distinguendo consequens, ens rationis non potest tribuere Logicæ speciem realem, per modum obiecti motiui efficienter concurrentis cum potentia ad realitatem habitus, concedo consequentiam, per modum obiecti terminatiui terminantis realitatem habitus, nego consequentiam, nam licet ens rationis non valeat efficienter dare realitatem Logicæ, cum in se intrinsece talem realitatem non contineat; tamen sub formalitate formæ artificiosæ potest talem realitatem terminare; vt videre est in omnibus scientijs ab ente rationis specificatis.

71. Insurges tertio: ens rationis adhuc sub expressione formæ artificiosæ non valet primario cõsiderari à Logica; vtique quia etiã sub hac expressione est cognitum per speciem entis realis; ergo solum ens reale est, quod primario inspicitur à Logica. Omnes respondent negando antecedens, nã licet verum sit, quod ens rationis sub expressione formæ artificiosæ sit cognitum à Logica per speciem entis realis; tamen obiectum formale per se attacti ab illa non est ens reale, sed rationis: non aliter, ac licet metaphysica cognoscat Deum, & Angelos per speciem entis materialis; tamen obiectum formale, & per se metaphysicæ non est ens materiale tantum; sed Deus, & Angeli per alienam speciem cogniti.

72. Sed hæc solutio non placet, si aliter non explicetur, nam cognosci per speciem alterius ex imperfectione obiecti obstat ad attingionem per se; vt constat in omni obiecto, quod ex necessitate ipsius exigit cognosci per speciem alterius: vnde si Deus, & Angeli cogniti per speciem entis materialis valent per se attingi à metaphysica, hoc ideo est, quia non ex se, & ex dependentia ipsorum, sed ex imperfectione nostri intellectus non valêt per propriã cognosci speciem: at vero ens rationis nõ valet per se attingi, quia ex se, & ex dependentia, quam essentialiter importat, exigit cognosci per speciem entis realis.

73. Ex quo colliges, quod cognosci per speciem alterius potest ex duplici oriri principio, primo ex imperfectione potentiæ non valentis alio modo rem cognoscere, secundo ex imperfectione obiecti ex se importantis essentialem dependentiam; cum ergo cognosci per speciem alterius dimanat ex primo capite, tunc obiectum per se est scibile, quia ex

se

se non dicit dependentiam; cum verò dimanat ex secundo capite, tunc obiectum solum per accidēs est cognoscibile, quia ex se dicit ordinem ad aliud.

Veruntamen licet verum sit, quod ens rationis, vt rationis, nō valeat per se cognosci, quia vt tale ordinatur ex se ad ens reale, ad cuius similitudinem, & per cuius speciē essentialiter cognoscitur; tamen ens rationis sub expressione formæ artificiosæ non dicit ex se talem dependentiam; & ideo quamuis cognoscatur per speciē alienam, valet sub tali expressione per se attingi, non aliter, ac Deus, & Angeli; cum hoc tamen discrimine, quod Deus, & Angeli cognoscuntur per speciem alienam ex imperfectione potentiæ non potentis in via illos alio modo cognoscere; at vero ens rationis sub expressione formæ artificiosæ non cognoscitur per speciem alienam ex imperfectione potentiæ, sed ex imperfectione formalitatis, vel entitatis rationis formalis dependentis, in qua est expressio formæ artificiosæ dependentiam non exprimentis.

Quòd verò ens rationis sub expressione formæ attificiosæ non exprimat dependentiam constat in his causalibus veris: *Forma artificiosa rationis, quia rationis dependet: ens rationis, quia forma artificiosa non dependet.* Et quod non exprimere dependentiam sufficiat ad attinctionem per se constat in accidenti respectu Metaphysicę; quod attingitur per se à Metaphysica, etiam si essentialiter vt accidens est, seu vt entis ens est, dicat essentialem dependentiam, quia vt ens est, nō exprimit talem dependentiam, nā accidens non dependet, quia ens est, sed quia entis ens est.

74. Si autem inquiras: quare possit dari in intellectu habitus, qui per se primo respiciat ens rationis, & non species impressa, quæ per se primo determinet intellectum ad cognoscendum ens rationis? Respondeo id prouenire, quia intellectus accipit species intelligibiles ab entitatibus medio ministerio sensuum, qui cum non valeāt immutari, nisi per ens materiale affectum qualitatibus sensibilibus, ideo non potest accipere species entis rationis: at verò cū habitus acquiratur medijs actibus, & sint actus, qui per se terminantur ad ens rationis, valet dari in intellectu habitus ab his actibus genitus.

§. XI.

Argumenta contra primam conclusionem.

75. COntra primam conclusionem argues primo, artificiosa dispositio, quæ est in actibus, potest variari innariata actus realitate; ergo hæc forma artificiosa est rationis. Cōsequentia supponitur à cōtrarijs vt certa: antecedens probatur, termi-

terminus formalis, qui in vna propositione habet rationem subiecti, in alia habet rationem prædicati; & propositio mentalis, quæ in vno syllogismo habet rationē maioris, in alio habet rationem minoris; vt quando syllogismus imperfectus reducitur ad perfectum; ergo inuariato actu forma variatur artificialis.

76. Hoc argumentum nullam habet efficaciam, nam in primis artificiosa dispositio, quæ est in actibus, non potest variari absq; reali actus variatione, nam idem numero terminus, qui in vna propositione est subiectum, in alia non potest esse prædicatum: nec propositio materialiter accepta, quę in syllogismo imperfecto habet rationem maioris, in perfecto potest habere rationem minoris: ratio huius est, nam idem numero actus duplicem non potest habere durationem. Sed antecedenti admisso, & non cōcesso respondetur negando consequētiam, nam ex variatione formæ quoad exercitium formæ, & ex variatione entitatis positiuę non sequitur noua formæ superadditio, nec quod forma sit rationis, nam variatio formæ realis in formis ab aliquo connotato dependentibus potest dari præcise per hoc, quod cōnotet obiectum dissonum legi, quod ante non cōnotabat: & actus necessarius dicitur liber præcise per hoc, quod connotet creaturas, vt dicitur à Theologis in materia de voluntate Dei.

77. Argues secundo, syllogismus formalis non est vnus vnitate reali; vtique quia vnum vnitate reali, vel est vnum per se, vel vnum per accidens, neutrum potest dici de syllogismo; ergo est vnus vnitate rationis. Confirmatur: forma artificiosa syllogismi formalis, vel est in prima propositione: vel in omnibus; primū non potest dici, cum non sit maior ratio, quare sit in prima, quā in alijs; secundum est falsum, quia vna forma realis non potest plura, & distincta informare subiecta. Ad argumentum respondetur negando antecedens: ad probationem dico syllogismum non esse vnum vnitate per se propria, & rigorosa, qua homo compositus ex materia, & actu primo dicitur vnus: nec vnum vnitate per accidēs, qua album compositum ex accidenti, & subiecto dicitur vnum: sed vnum vnitate media inter vnitatem per se, & per accidens, quæ vnitas ordinis appellatur.

78. Quod vt percipias, nota compositionem, siue vnitatē ad illam subsecutam esse in quadruplici differentia: aliam perfectissimam, quæ resultat ex materia, & forma substantiali; aliam imperfectissimam, quæ fit per aggregationem, vt aceruus lapidū; aliam aliquomodo perfectā, quæ resultat ex accidenti, & subiecto; & denique aliam perfectam absolutè, quæ dicitur ordinis: hæc quæ-

quarta compositio reperitur in syllogismo; & sic eius vnitas non est rationis, sed realis consistens in hoc, quod omnes partes, vel omnes propositiones ordinentur ad vnum syllogismum obiectiuũ; vel in hoc, quod omnes ordinentur regulis traditis à Logica ad vnius syllogismi constitutionem.

79. Ad confirmationem respõdetur formam artificiosam syllogismi esse in omnibus propositionibus, quia omnes adæquant regulas traditas ad syllogismi compositionem: non aliter ac pulchritudo, quæ omnes partes corporis informat, quia ex omnibus integratur. Vnde in forma respõdetur concedendo antecedẽs quoad primam partem: ad probationem distinguendo antecedẽs, eadem forma realis non potest diuersa subiecta informare, si indiuisibilis sit, sicut anima rationalis, vel albedo, concedo antecedens: si diuisibilis sit, sicut pulchritudo, vel sanitas, nego antecedens, & consequentiam.

80. Ex quo colliges propositionem in modo sciendi formali repertam dici realiter vnã; nõ quia formaliter constet ex vnico actu virtualiter multiplici (vt aliqui volunt) sed quia illi duo actus realiter distincti ordinãtur ad vnam propositionẽ obiectiuã, vel quia ordinantur ad regulas vnius propositionis; sicut pulchritudo realiter dicitur vna, etiam si plures partes corporis informet, quia omnes partes cum debita proportione, & suaui colore ordinantur ad Pauli speciem: sic duo actus propositionis formalis habẽt realem vnitatem, quia ordinantur ad vnam propositionem obiectiuam iuxta regulas Logicæ.

§. XII.

Argumenta contra secundam conclusionem.

81 CONtra secundã cõclusionem insurges primo, ens adæquatè diuiditur in naturale, morale, & artificiale, sed quodlibet ex illis est adæquatè extra genus alterius; ergo artificiosa dispositio, quæ est in actibus Logicę, realiter distinguitur à realitate naturali ipsorum actuum.

Respondetur cõcedendo maiorem, & distinguẽdo minorẽ, quod libet ex illis est adæquate extra genus alterius, formaliter, & per rationẽ, cõcedo minorẽ, realiter, & entitatiue, nego minorẽ, & cõsequentiam, nã (vt constat ex cõclusione secunda) ens artificiale solum formaliter est extra genus entis naturalis. Hęc doctrina potest instari in bono vt sic, quod adæquate diuiditur in honestum, vtile, & delectabile, etiã si vnum extremum diuisionis sit solum formaliter, & per rationem extra aliud.

82. Insurges secundò, Logica ponit in modo sciendi formali aliquam realitatem, nõ naturalem; ergo artificialem. Maior supponitur: consequentia est certa: mi-

nor

nor probatur, realitas naturalis pertinet ad philosophiam; ergo realitas posita à Logica in modo sciendi formali est distincta à realitate naturali ipsorum actuum. Respondetur distinguendo maiorem, ponit aliquam realitatẽ, entitatiue, nego maiorem: connotatiuè, concedo maiorem, & minorem, & distinguo cõsequens, ponit realitatem distinctam à naturali, connotatiuè, concedo consequentiam, entitatiue, nego consequentiam: ad probationem concedo antecedens, & distinguo consequens eodem modo, nam actus Logicus potest dupliciter considerari; vel vt dimanat à principio naturali; vel vt dimanat à principio regulis artis subiecto, primo modo pertinet ad philosophiam, secundo modo ad Logicam: haud aliter actus voluntatis diuinæ, qui in ordine ad essentiam diuinam est necessarius, & in ordine ad creaturas est liber.

§. XIII.

Argumenta contra tertiam conclusionem.

83. COntra tertiam conclusionem in fauorem secundæ sententiæ argues primo, scientia respicit obiectũ formale, nedum transcendentali, sed prædicamentali respectu, sed ens rationis nõ potest respectum prædicamentalem terminare (vt constabit ex dicendis infra in prædicamento relationis Disp. 6. q. 3. §. 4. num. 14. ergo Logica non terminatur ad ens rationis tanquam ad obiectum formale.

84. Respondetur distinguẽdo maiorem, scientia respicit obiectum formale respectu prædicamentali, quãdo entitatiuè est rationis, nego maiorem: quando est reale, concedo maiorem, & minorem; & nego consequentiam, nã nullũ datur inconueniens in hoc, quod scientia realis inueniatur absque respectu prædicamentali, cum de ratione essentiali scientiæ nõ sit obiectũ respicere relatione prædicamentali, sed tantũ transcendentali: tum quia scientia nõ specificatur ab obiecto, dũ illud respicit respectu prædicamentali, cum potius respiciat illud sub expressione puri termini, quam sub expressione obiecti specificatiui: tum quia ordo prędicamẽtalis resultans in potentia præsupponit essentiam potentiæ adęquate cõstitutam, cum potentia sit formaliter in secunda specie qualitatis; non aliter ac ordo rationis, qui datur ex parte obiecti, præsupponit illud in sua essentia adæquatè constitutum.

84. Argues secundo, ens rationis Logicũ nullas habet proprietates ex suo obiecto demonstrabiles; ergo ens rationis non est obiectum Logicæ. Consequentia est certa: antecedens probatur, proprietates ab essentia rationis dimanãtes debẽt esse rationis, sed

vt

vt sic sunt obiectum; ergo ens rationis Logicũ nullas habet proprietates à Logica demonstrabiles. Confirmatur, scibilitas est passio entis, sed ens rationis non habet esse per se, sed per accidens, cum ad ens reale per se ordinetur; ergo nec est scibile per se, sed vt est in ordine ad ens reale.

85. Respondetur negando antecedens: ad probationem dico secundam intentionem obiectiuam habere proprietates scibiles à Logica, nam definitionem esse clariorem suo definito, relationem esse simul natura, & cognitione cum suo correlatiuo sunt proprietates, quæ demonstrãtur à Logica de secunda intentione obiectiua, quę est Logicę formale obiectum.

86. Nec contra hanc solutionem valet opponi, quod ens rationis vt sic transcendentaliter prædicetur de proprietatibus secundæ intentionis, sicut de secunda intẽtione, nam etiam ens reale vt sic prædicatur trãscendentaliter de obiecto Philosophiæ v.g. de ente mobili radicali, & proximo (quod se habet vt proprietas) & tamen Philosophia vtrumque respicit, vt constabit ex dicẽdis in Phis. li. 1. disp. 1. q. 1. late; non aliter nostra Logica se habet respectu entis rationis vt sic.

87. Dices: Logicam per se non specificari à partibus subiectiuis secundæ intentionis artificiosæ, videlicet à definitione, diuisione, &c. (ni dicas Logicam non esse vnam in specie) sed à secunda intentione vt sic, quæ abstrahit ab his partibus obiectiuis; sed secunda intentio obiectiua vt sic non habet proprietates à Logica demonstrabiles; ergo secunda intentio obiectiua vt sic non valet assignari vt obiectum formale Logicæ. Respondetur cõcedendo maiorem, & negando minorem, nam secunda intentio vt sic etiam habet passionem à Logica demonstrabilem, videlicet esse directiuã operationum intellectus.

88. Ad confirmationẽ respondetur scibilitatem fundari in ente, & in expressionibus entis, nam non solum ens est scibile, sed etiam expressiones entis sunt scibiles. Vnde in forma respondetur distinguendo maiorem: scibilitas est passio entis solum, nego maiorem, entis, & expressionum entis, concedo maiorem: vel iterum distinguo maiorem, scibilitas est passio entis, scibilitas entis vt sic, est passio entis vt sic, concedo maiorem, scibilitas entis contracti per secundam intentionem, est passio entis vt sic, nego maiorem, & distinguo minorem, ens rationis est scibile per se, vt ens rationis est, concedo minorem, vt est intentio artificiosa, nego minorem, & distinguo consequens eodem modo propter rationes supra dictas §. 10. per totum.

89. Hæc solutio potest instari à simili in ente rationis; quod vt

ens potest per se primo attingi à Metaphysica; etiam si vt rationis non attingatur nisi per se secundo: ratio primi est; quia vt ens est, non dependet ab ente reali: ratio verò secundi est; quia vt rationis ab illo dependet.

90. Pro intelligentia solutionis nota ex sapientissimo Magistro Curiel controuersia. 1. art. 2. quod in obiecto non considerantur illa, quæ materialiter se habet ad habitum; siue sint partes, siue proprietates obiecti secundum se; sed solum ea, quæ formaliter se habent ad habitum; scilicet rationes formales in obiecto repertæ; vt videre est in statuario, qui licet habeat pro obiecto statuam auream, vel argenteam, substantiam, vel accidens; non tamen considerat formaliter has rationes, quæ de materiali se habent; sed figuram imaginis, quæ de formali se habet in ordine ad statuarium. Non dissimiliter nostra dialectica considerat ens rationis, non vt explicat expressionem rationis, sed vt dicit rationem formæ artificiosæ: ecce qualiter entitas rationis vt talis de materiali se habet ad Logicam, quæ de formali solum considerat rectitudinem obiectiuam, vt radicem proprietatum: vnde hę definitionis proprietates, videlicet, esse clariorem suo definito, esse medium ad demonstrationem, non dimanant ex definitione, vt ens rationis est, sed ex illa, vt specificat essentiam, vel ex illa, vt explicat essentiam definiti per proprium genus, & veram differentiam.

91. Dices: secunda intentio obiectiua non sub ratione entis rationis, sed sub ratione formæ artificiosæ est obiectum formale Logicæ; ergo obiectum formale Logicæ præscindit ab ente reali, & rationis; vtique quia non exprimit, nec rationes quasi differentiales realis, & rationis. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, nam ad præcisionem adhuc in genere intelligibili non sufficit, quod non exprimat vnum, nec aliud; sed vlterius, quod talis forma sit abstracta ab ente reali, & rationis. Instabis hoc in obiecto Philosophiæ, quod vt tale non exprimit esse reale, nec rationis, sed solum esse principium motus; & tamen non est, qui asserat præscindere ab ente reali, & rationis.

92. Argues tertio, obiectum formale Logicæ est forma artificiosa per modum definitionis, v. g. sed hæc ante fictionem intellectus habet verum esse: ergo ratio formalis constitutiua definitionis non est ens rationis. Minor probatur, definitio ante fictionem intellectus explicat naturam rei, ergo ante fictionem intellectus habet verum esse. Consequentia est certa: antecedens proba-

tur

tur, ens rationis non explicat essentiam realem, vt constat in hominis definitione; vbi formalitates reales animalis, & rationalis explicant essentiam hominis; non vero ens rationis in illis fundatum; ergo ante fictionem intellectus datur formalis ratio definitionis.

Respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem, ante fictionem intellectus definitio habet verum esse, fundamentaliter, concedo minorem, formaliter, nego minorem, & consequentiam: ad probationem distinguo antecedens, ante fictionem intellectus explicat naturam rei, *vt quod*, & fundamentaliter, & cum erroris periculo, concedo antecedens, *vt quo*, & formaliter, & sine erroris periculo, nego antecedens, & consequentiam, nam forma artificiosa definitionis, licet *vt quod* non conducat ad explicationem definiti, conducit tamen *vt quo*, & formaliter; ad modum quo licet relatio similitudinis *vt quod*, & fundamentaliter non faciat albedines similes, facit illas formaliter, & *vt quo* similes: sic dicendum est de forma rationis, nam sine illa intellectus scientifice, & formaliter ignorat definiti essentiam: vtique quia definitio (vt constat ex Aristotele, & Diuo Thoma) coalescit ex genere, & differentia, quæ ante fictionem intellectus non dantur.

93. Argues quarto: Id, quod directe, & primario non cadit sub obiecto primario intellectus, in nulla consideratione potest esse obiectum primarium habitus intellectualis, sed ens rationis non cadit sub obiecto primario intellectus; ergo habitus Logicæ non potest ad illud ordinari tanquam ad obiectum primarium. Consequentia est certa: minor non potest negari, nam solum ens reale est obiectum primarium intellectus. Maior probatur, quia ens creatum non cadit sub obiecto primario intellectus diuini, ideo sub nulla consideratione potest esse obiectum primarium illius, sed ens rationis non cadit sub obiecto primario intellectus; ergo non potest esse obiectum habitus intellectualis.

Aliqui respondent habitum intellectualem posse per se primo terminari ad obiectum secundarium intellectus, dummodo eius cognitio deseruiat intellectui ad perfectiorem obiecti primarij cognitionem: & ideo docent Logicam posse per se primo ad ens rationis ordinari, etiam si intellectus diuinus non possit per se primo ad creaturas ordinari tanquam ad obiectum primarium, quia ex tali cognitione intellectus diuinus non habet clariorem sui obiecti primarij cognitionem: at vero intellectus ex eo, quod Logica cognoscat per se pri-

primo ens rationis, habet sui obiecti perfectiorem cognitionem.

Secundo tamen, & melius respondetur negando minorem, nam obiectum intellectus est ens, quod abstrahit ab ente reali, & rationis: de quo alibi Deo volente.

94. Dices: quando aliqua ratio communis ab aliqua potentia, seu scientia consideratur, illius inferiora ab ipsa considerantur potentia, seu scientia, sed intellectus, seu Metaphysica considerat per se rationem entis vt sic; ergo sub hac ratione communi consideratur secunda intentio obiectiua à Metaphysica: ergo sub nulla ratione inspicitur à Logica; ni dicas idem obiectum posse attingi à duplici scientia.

Respondetur concedendo maiorem, & minorem: & distinguendo consequens, sub ratione entis consideratur secunda intentio obiectiua de materiali, & *vt quod*, concedo consequentiam, de formali, & *vt quo*, nego consequentiam, nam ex eo quod secunda intentio obiectiua attingatur ab intellectu sub ratione entis, non sequitur, quod non valeat attingi per se à Logica sub ratione formæ artificiosæ: constat à simili in ente mobili, quod sub ratione entis attingitur ab intellectu; & tamen sub ratione specifica entis mobilis attingitur à Philosophia.

Argues quinto, obiectum formale Logicæ sunt res directæ in formam definitionis, diuisionis, &c. Sed res directæ constituuntur per aliquid reale; ergo ens reale, & non rationis est Logicæ formale obiectum. Probo minorem, per eandem formam, qua intellectus constituitur formaliter dirigens, constituuntur res obiectiuæ directæ, sicuti ab eadem forma potentia constituitur videns, & obiectum visum; at intellectus dicitur formaliter dirigens per aliquid reale; ergo & res directæ per aliquid reale.

Respondetur concedendo maiorem: & negando minorem: ad probationem distinguo maiorem, per eandem formam, qua intellectus constituitur formaliter dirigens, constituuntur res obiectiuæ directæ, directione extrinseca, & terminatiua, concedo minorem, directione intrinseca, & relatiua, nego maiorem, & minorem loquendo de directione relatiua, nam directio terminatiua extrinseca (vt constat ex auctoritatibus Diui Thomæ, & rationibus tertiæ conclusionis) solum se habet, vt fundamentum ad formam relatiuam rationis, à qua specificatur nostra Dialectica.

96. Argues sexto, ens rationis priuatiuum non pertinet per se primo ad aliquam scientiam, sed solum per se secundo ad illã, quæ dis-

disputat de forma opposita; ergo nec ens rationis relatiuum pertinet per se primo ad aliquam scientiam, nisi solum per se secundo ad illam, quæ agit de ente reali relatiuo.

Respondetur concedendo antecedens, & distinguendo consequens, ens rationis relatiuum non pertinet nisi ad scientiam, quæ agit de ente relatiuo, vt rationis est, concedo consequentiam, vt ens artificiosum est, nego consequentiam, nam secundum talem expressionem formaliter in esse intelligibili est depẽdens.

97. Dices: ergo licet priuatio non possit per se primò attingi à scientia, vt est carentia formæ, & vt dicit ordinem ad formam positiuam; tamen sub alia expressione poterit per se primo ab illa attingi. Respondeo negando cõsequentiam, nam non datur aliqua expressio in priuatione, secundum quam nõ dicat ordinem ad formam positiuam. Et admisso quod esset, adhuc non attingeretur per se primo à scientia, quia ad nihil conduceret; at vero secunda intentio obiectiua habet expressionem in esse intelligibili independentem, & maxime conducentem ad veritatis ostensionem. Pro complemento quæstionis inquires, quæ nam sit ratio formalis sub qua Logicæ?

(.*.)

§. XIV.

Elucidatur quænam sit ratio formalis sub qua *Logicæ.*

98 RAtio formalis *sub qua* Logicæ est minima actualitas secundarum intentionum negatiuè abstrahens ab omni materia. Quoad primam partẽ probatur, nam inter obiecta, quę abstrahunt ab omni materia, Logica minimam obtinet actualitatẽ; ergo ratio formalis sub *qua* Logicæ est minima actualitas secundarum intentionum. Antecedens probatur, obiecta Theologiæ, & Metaphysicę sunt, quę abstrahũt ab omni materia, sed obiectum Theologiæ, quod est Deus, & Metaphysicæ, quod est ens, maiorem habẽt actualitatem, vt ex se cõstat; ergo inter obiecta, quæ abstrahunt ab omni materia, Logica minimam habet actualitatem.

99. Quoad secundam partem probatur, obiectum Logicę sunt secundę intentiones, sed istę abstrahunt ab omni materia singulari sensibili, & intelligibili; & nõ datur alia abstractio (vt constat ex Sancto Doctore opusculo 7. q. 5. art. 1.) ergo obiectum formale Logicæ ab omni abstrahit materia; ergo ratio formalis *sub qua* Logicæ est abstractio ab omni materia. Minor probatur, Logica non agit de singularibus, cum sit scientia, nec de materia à sen-

sensu, vel ab intellectu percepti; ergo agit de secundis intentionibus ab omni materia abstractis.

100. Vocatur autē hæc abstractio negatiua, quia secunda intētio rationis nullam includit materiam, à qua possit abstrahere; non aliter ac materia prima dicitur à Physicis ex se negatiue vna, quia nullam includit vnitatem positiuam; & à Theologis etiam dicitur, quod Deus vt obiectum Theologiæ abstrahit ab omni materia negatiue, quia Deus nullam habet materiam, à qua valeat abstrahere.

101. Dices: vnitas scientiarum sumitur ex abstractione à materia, sed obiectum Logicæ, sicut & Theologiæ, in eadem sunt abstractione à materia; ergo vel eandem habent vnitatem, vel Logica non abstrahit ab omni materia. Respondetur distinguendo maiorem, vnitas scientiæ sumitur ex abstractione à materia, per modum termini ad *quem*, concedo maiorem, per modum termini à *quo*, nego maiorem: & eodem modo distincta minori nego consequentiam, scientia enim sumit suam vnitatem ab obiecto in esse obiecti, in quantum à materia educitur: vnde materia derelicta per modum termini à *quo* non tribuit scientiæ vnitatem, & speciem, sed actualitas, quæ positiuè, vel negatiuè à tali educitur materia; cum ergo actualitates eductæ, sint toto cœlo diuersæ, sic scientiæ specificatę sunt omnino diuersæ.

102. Ex quo colliges Theologiæ, & Logicæ obiecta distingui ab obiecto Metaphysicæ ex abstractione, nedum ex parte termini ad *quem*, sed etiam ex parte termini à *quo* accepta, nam illa abstrahunt ab omni materia negatiuè, istud vero positiuè, quia plura, de quibus disputat Metaphysicus, sunt in materia, quamuis non sint in illa à Metaphisico attacta.

QVAESTIO II.

An forma artificiosa in actibus, vel rebus reperta sit à Logica attacta tanquam obiectum primarium & principale?

§. I.

Duæ tituli.

1. DVbio præcedenti vidimus rationem formalē in rebus repertam esse rationis, & in actibus esse realem, nunc restat examinandum: an forma reperta in actibus, vel in rebus, consideretur à Logica vt obiectū primarium, & principale? quod est idem ac inquirere: an obiectum materiale primarium Logicæ sint res, an vero actus intellectus? Si ergo obiectum formale per se primo intentum est modus sciendi obiectiuus ex for-

ma

ma artificiosa, & ex rebus coalescens, necessario obiectum materiale *quod* primarium, & principale erunt res: si vero est modus sciendi formalis ex forma artificiosa, & ex actibus coalescẽs, absq; dubio actus intellectus erunt obiectum materiale *quod*, & primarium Logicę. Cum enim obiectum formale clarius sit materiali, vtique quia hoc per illud cognoscitur, ideo quæstionis titulus de formali, & non de materiali proponitur.

§. II.

Referuntur sententiæ.

2. PRima sententia asserit artificium repertum in actibus intellectus esse à Logica per se primo consideratum, tanquã obiectum formale, & primarium: & consequenter actus intellectus obiectum materiale *quod*, & principale; artificium vero repertum in rebus esse obiectum denotato, & secundario à Logica attactum, nam hoc artificium consideratur à Logica, vt veniat in perfectam actuum cognitionem. Pro hac sententia stant Fonseca 2. Metaph. cap. 4. Vazquez 1. part. disputat. 4. & est inter Patres Societatis cõmunis.

3. Secunda sententia affirmat formam artificiosam per se primo esse in actibus, & in rebus: ita vt obiectum primarium Logicæ coalescat ex modo sciendi formali, & obiectiuo; vel ex modo sciendi, qui per se abstrahat à formali, & obiectiuo. Ita aliqui moderni doctissimi ex nostra familia in manuscriptis.

4. Tertia sententia docet formam artificiosam in rebus cognitis, & abstractis repertam esse per se primo à Logica attactam, tã quam obiectum formale, principale, & primarium: & sic obiectum *quod* materiale, & primarium esse res abstractas, & cognitas ab actu intellectus; actus vero intellectus res cognoscentes esse obiectum *quo*, viale, & causale. Sic vniuersa Thomistarum schola. Pro qua sit.

§. III.

Prima conclusio.

5. FOrma artificiosa in rebus cognitis, & abstractis recepta est per se primo intenta à Logica tanquam obiectum formale, & principale: res verò abstractæ, & cognitæ sunt à Logica intentæ tanquam obiectum materiale primarium. Est in fauorem tertiæ sententiæ. Pro ea stat Diuus Thomas 4. Metap. lect. 4. vbi ait: *Ens rationis propriè dicitur de illis intentionibus, quas ratio adinuenit in rebus consideratis: sicut intentio generis, & speciei, & similiũ; quæ quidem non inueniuntur in rerum natura, sed considerationem rationis consequuntur: & huiusmodi ens ra-*

tionis propriè est subiectum Logicæ.

6. Sed forsan probabiliter potest ad aduersarijs dissolui dicendo Diuum Thomam loqui de obiecto secundario, & per se secundo attacto, quod est in rebus, tãquam in subiecto proprio. Neque contra hoc stant hæc verba: *Et huiusmodi ens rationis propriè est subiectum Logicæ.* Nam D. Thomas 1. poster. lect. 2. asserit *Logicam versari circa operationes intellectus tanquam circa propriam materiam.* Et huic testimonio respondent Auctores nostræ conclusionis Sanctum Doctorem loqui de obiecto secundario, & viali; non obstante quod dicat *Logicam versari circa actus intellectus tanquã circa propriam materiam*; ergo sicut particula *circa propriam materiam* non reddit nostram explicationem improbabilem; quare particula *est propriè subiectum Logicæ*, cõtrariorum solutionem reddet improbabilem? vel nostram, vt improbabilem reputa; vel contrariam, vt probabilem admitte.

7. Nihilominus maiori fundamento sectatores nostræ conclusionis docent verba Sancti Thomæ ab aduersarijs adducta debere intelligi de obiecto secundario, & viali: & à nobis relata de obiecto per se, & primario.

Ratio primi est, nã statim post illa ait Sanctus Doctor: *Logicam versari circa actus rationis, sicut ars domificatoria versatur circa actus manuum*, sed actus manuum vt dirigibiles ab arte nõ sunt obiectum principale, & vt *quod*, cum hoc sit domus; ergo nec actus rationis, vt dirigibiles à Logica sunt obiectum principale, & vt *quod* Logicæ.

8. Ratio secundi est, quia 4. Metaph. lect. 4. sic prosequitur: *vnde subiectum Logicæ aquiparatur subiecto Philosophiæ, quod est ens naturæ.* Tum sic: Philosophia versatur circa ens mobile tãquam circa obiectum formale, & per se primo attactum; ergo iuxta mẽtem D. Thomæ Logica non versatur circa ens rationis, quod est in rebus, tanquam circa obiectum secundarium, sed tanquam circa obiectum formale, & primarium.

9. Ratione ergo efficaci meam probo cõclusionem quoad vtrãque partem: Logica disputat tãquam de obiecto formali, primario *quod* de genere, specie, &c. Sed hæc instrumenta logicalia formaliter, & propriè solum sunt in rebus cognitis, & abstractis; ergo forma artificiosa recepta in rebus cognitis, & abstractis est per se primo attacta vt obiectum formale; ergo res cognitæ, & abstractæ sunt obiectum materiale primarium. Vltima consequentia constat ex prima: prima ex minori: minor probatur, genus est, quod prædicatur de pluribus differẽtibus specie, sed res sunt, quę de specie differentibus propriè prædicantur: v.g. natura animalis est, quæ proprie prædicatur de homine, & equo, non vero actus intellectus, qui repræsentat naturam

ram animalis; vtique quia actus intellectus, in quo repræsentatur natura animalis, vel qui tendit ad animal, non habet identitatem cum homine, & equo ad prędicationem requisitam; ergo ratio formalis generis solum est proprie in rebus tanquam in subiecto proprio.

10. Si dicas cum aduersarijs, artificium Logicum esse in actibus tanquam in obiecto primario, cum ratio generis sit in actu, qui repræsentat genus, & ratio subiecti in actu, qui repræsentat subiectum. Contra est primò: nā repræsentatio generis est vmbra, & similitudo generis; sicut repræsentatio hominis est tantum vmbra, & similitudo hominis, sed similitudo hominis non est homo absolute, & formaliter, sed solum secundum quid; ergo similitudo generis non est genus formaliter, & propriè, sed solum secundum quid. Contra est secundo, si genus est actus, qui ipsum repræsentat; ergo actus repræsentans animal v.g. erit aptus ad essendum in homine, & Leone, quòd non potest dici; ergo ratio generis non reperitur per se primo in actibus illam causantibus, vel repræsentantibus.

§. IV.

Secunda conclusio.

11. OBiectum primarium, & principale Logicæ non coalescit ex modo sciendi formali, & obiectiuo. Pro intelligentia conclusionis nota, quod actus intellectus dispositi in forma modi sciendi possunt tripliciter considerari: primo vt sunt à Logica eliciti iuxta regulas Logicæ in ordine ad secundas intentiones obiectiuas. Secundo, quatenus Logica per alios actus logicos cōsiderat per modum termini artificiosam, & realē dispositionē, quā antea habebant per modum viæ; in quo sensu secunda sententia asserit intrare ad obiecti primarij constitutionem. Tertio, quatenus Logica in actibus per modum termini consideratis introducit formā rationis artificiosam iuxta fundamentum in illis repertū: in quo sensu q. 1. §. 6. num. 37. 38. 39. & 40. dixi proprie, & per se ad Logicam spectare, quia tunc potius habent rationem modi sciēdi obiectiui, quam formalis.

12. Quod vero in secunda acceptione modus sciendi formalis non possit intrare cum modo sciēdi obiectiuo ad cōstitutionē obiecti primarij probatur. Actus, qui vialiter se habuit in ordine ad genus, v.g. ad animal, in tantum est genus, in quantum genus repræsentat, vel in quantum est factus iuxta regulas Logicæ in ordine ad genus obiectiuum, sed eriā si hoc artificium consideretur per alium actum, nō potest attingi, nisi in ordine ad modum sciendi obiectiuum; ergo hæc forma artificiosa nequit à Logica attingi

tingi vt obiectu primarium. Minor quoad primam partem probatur, genus in esse repræsentatiuo est sicut homo in esse repræsentatiuo, sed homo in esse repræsentatiuo nullatenus potest esse obiectum primarium Philosophiæ, quæ per se primò agit de homine; ergo nec genus in esse repræsentatiuo potest esse obiectum primarium Logicæ per se primo genus considerantis.

Quoad omnes partes probatur minor, obiectum primarium Philosophiæ nõ coalescit ex ente mobili, & ex actione entis mobilis productiua, quia in omni acceptione est via entis mobilis; ergo similiter obiectum primarium Logicę nequit coalescere ex modo sciendi formali, & obiectiuo, cum ille sit via obiectiui: probatur consequentia: actus vt factus iuxta regulas Logicæ, etiam si consideretur in actu signato, est formaliter effectio modi sciendi formalis; vel est formaliter in ordine ad modum sciendi obiectiuum: tum quia ad hoc sunt regulæ Logicæ institutæ; tum quia actus Logicus iuxta regulas Logicę factus est sicut actus pingendi iuxta regulas artis factus; sed iste nec formaliter potest prescindere ab ordine ad imaginem; ergo nec ille ab ordine ad modum sciendi obiectiuum.

13. Dices primo, ideo modus sciendi formalis nõ est obiectum primarium Logicæ, quia est assecutio modi sciendi obiectiui, sed hæc ratio non obstat, vt ex vtroque fiat vnum obiectum adæquatum; vtique quia Sanctus Doctor 1. 2. quæstione artic. 3. ait assecutionem alicuius rei, & ipsam rem non esse duos fines, sed vnum dumtaxat; ergo modus sciẽdi formalis valet intrare cum obiectiuo ad constitutionẽ vnius obiecti primarij.

Respondetur concedendo maiorem, vel illam distinguendo claritatis gratia, modus sciendi formalis non est obiectum primarium, quia est assecutio, & quia in actu signato consideratus ordinatur ad modum sciendi obiectiuum, concedo maiorem, præcise quia est assecutio, nego maiorem, & minorem: ad probationem dico nihil probare, quia multum probat: ex illa enim (vt ab aduersarijs intellecta) sequitur omnem scientiam primario terminari ad proprium actũm, nedum per modum termini, sed per modum viæ, quia ex actu vt via, & ex obiecto vt termino fit vnus finis adæquatus.

Nec Diuus Thomas opponitur conclusioni in verbis relatis, nam non docet assecutionem considerari per se à scientia, sed constituere vnum obiectum cum termino per se attacto; cum quo stat, quòd solum per se secundo inspiciatur à scientia; non aliter ac licet ex obiecto materiali, & formali resultet vnum obiectum; tamen materiale non attingitur

per

per se primo, & ratione sui, sicut formale, sed solum per se secundo, & ratione formalis. Auctoritas autem Diui Thomæ solum docet resultare vnum finem ex assecutione, & ex ipsa re; non tamen ait ex æquo ex illis resultare, ita vt vtraque pars obiecti per se primo inspiciatur à scientia: non aliter ex obiecto materiali, & formali resultat vnum obiectum, absque eo quod per se primo inspiciatur à scientia.

14. Dices secundo: obiectum primarium, & formale spei Theologicæ coalescit ex beatitudine formali, & obiectiua, etiam si finis sit affectio obiectiuæ; ergo etiam obiectum primarium, & formale Logicæ coalescit ex obiecto formali, & materiali. Respondeo cum Cardinali Caietano negando antecedens, nam spes vt virtus Theologica nequit primario terminari ad aliquid creatum, quale est beatitudo formalis.

§. V.

Tertia conclusio.

15. FORMA artificiosa, quę est in operationibus intellectus est per se secundo inspecta à Logica, vt obiectum viale, & *vt quo*. Pro intelligentia conclusionis nota scientiam posse comparari, & in ordine ad operationem, & in ordine ad obiectum ab ipsa attactum, scientia enim non quiescit in operatione, quæ est via ad obiectum, sed in obiecto, quod se habet per modum finis vltimi. Inter quod hoc versatur discrimen, quod scientia respicit operationem propter obiectum, non vero obiectum propter operationem: sicut voluntas respicit media propter finem, non vero finem propter media: sic rationalis Philosophia ex fine proprio, & intrinseco terminatur ad operationem, vt ad viam, & consecutionem secundarum intentionum; & ad secundas intentiones obiectiuas, vt ad obiectum *quod* vltimum, & principale; in quo Logica cum alijs cōuenit scientijs.

16. Ex quo colliges Logicam esse trium operationum intellectus directiuam, quia cum Logica versetur circa secundas intentiones obiectiuas per omnes intellectus operationes diuagantes, ideo in ordine ad has secundas intentiones obiectiuas Logica dirigit actus ad triplicem intellectus operationem spectantes: non aliter ac aliæ scientiæ dirigunt actus intellectus in ordine ad proprij obiecti assecutionem, quæ directio etiam est omnibus scientijs communis.

17. Sed quanuis prædicta actuum directio specialis non sit in Logica; tamen in illa aliquid speciale inuenies, nam aliæ scientiæ

tis solum ordinant actus intellectus in ordine ad propriam obiecti formalis cognitionem, Logica vero non solum habet prædictum respectum; sed viterius dirigit ipsos actus in ordine ad res ab tractas: hoc est, in ordine ad obiectum materiale, vt denominatio ex actibus in rebus resultans sit proximum secundarum intentionum fundamentum. Hæc doctrina constat ex Diuo Thoma loco supra citato, vbi ait: *intentiones obiectiuas fundari in rebus consideratis, seu cognitis.*

18. Quibus suppositis probatur conclusio: qui per se primò attingit aliquod obiectum, per se secundò attingit omnia, quę cõducunt ad obiecti acquisitionẽ; scilicet, qui per se primo intendit finem, per se secundo intẽdit media ad consecutionem finis necessaria, sed operationes intellectus conducunt ad obiecti perceptionem; vtique quia sine illis nec est obiectum, nec potest percipi; ergo Logica, quæ per se primo terminatur ad secundarum intẽtionum cognitionem, per se secundo debet terminari ad operationes intellectus vt ad medium viale, & exercitium *quo* secundarum intentionum.

19. Sed contra nostram conclusionem sic insurges ex Diuo Thoma passim asserente Logicã versari circa actus intellectꝰ, quia illos dirigit ad suum obiectum; aliàs eodem modo poterit dici metaphysicam versari circa actus intellectus tanquam circa proprium obiectum; cum etiam dirigat actus intellectus in ordine ad suum obiectum. Ad hoc argumentum respondent sectatores nostræ conclusionis cum doctrina in notabilibus huius conclusionis tradita. Veruntamen meo videri non respondent argumento, nam siue actus ordinentur ad obiectum formale, siue ad formale, & materiale simul, semper tamẽ dicuntur directi in ordine ad proprium obiectum, cum tã obiectum materiale, quam formale pertineat ad constitutionem obiecti proprij; ergo alia specialis directio debet in Logica assignari, vt hæc ab alijs scientijs distinguatur, & sic verba D. Thomæ toties repetita speciali gaudeant fundamine. Quare vt argumento respondeamus: sit,

§. VI.

Quarta conclusio.

20. LOgica cum obiecto formali *quod* extrinseco, & remoto ordinatur ad triplicẽ intellectus operationem, tanquam circa obiectum *quod* extrinsecũ. Pro intelligentia cõclusionis nota duplicem esse scientiarum finẽ, vnum intrinsecum, seu operis, alium extrinsecum, seu operãtis. Finis intrinsecus, seu operis est, qui essentialiter reperitur in ipsa scientia, vel ad quem essentiali propẽsione dirigitur; finis extrinsecus,

fecus, seu operantis est ille, qui essentialiter non datur in scientia, sed accidentaliter aduenit scientiæ ex industria inuentoris; non tamen conceditur scientiæ pro libito, sed ex fundamento in obiecto scientiæ reperto. Quæ doctrina explicatur in arte equestri, & frenifactoria, ars enim frænifactoria ex se, & ex fine intrinseco, seu operis solum ordinatur ad perfectam fræni constitutionem, ex fine vero extrinseco, seu operantis ordinatur cum suo obiecto ad equi gubernationẽ; non aliter in nostra dialectica, quæ ex fine intrinseco solum versatur circa intentiones obiectiuas, tanquam circa finem proprium, & intrinsecum; ex fine vero remoto, & extrinseco versatur circa operationes intellectus tanquam circa obiectum *quod* remotum, & extrinsecum.

21. Quo supposito probatur cõclusio: ars frænifactoria ex fine extrinseco, & remoto ordinatur ad rectam equi gubernationem tanquam ad obiectum *quod* extrinsecum, quia obiectum artis frænifactoriæ maxime conducit ad equi gubernationem, sed secunda intentio obiectiua, quæ est in rebus maxime conducit, vt intellectus sine errore procedat in suis operationibus; ergo ex fine extrinseco, & ex necessitate aliarum scientiarum ordinatur ad operationes intellectus tanquã ad obiectum *quod* extrinsecum. Discursus legitimus: maior vera: minor probatur, secunda intentio obiectiua maxime conducit ad rectam cognitionem rei, nã omnis res, vel est essentia, vel partes essentiæ, vel proprietates ab essentia dimanãtes, sed secunda intentio obiectiua tradit modum, vt intellectus, vel scientię sine errore procedant in cognitione essentiæ, partium, & proprietatum; vtique quia agit de definitione, diuisione, & argumentatione; ergo secunda intentio maxime cõducit ad hoc, vt intellectus, vel aliæ scientiæ sine periculo procedant in operationibus.

22. Ex qua doctrina nostra cõclusio manet roborata, & argumentum factum solutum, nam diuerso modo Logica dirigit operationes intellectus, ac aliæ scientiæ, nam illæ solum solunt dirigũt actus intellectus vialiter, & *vt quo* in ordine ad proprium obiectum; Logica verò non solum dirigit actus intellectus vialiter, & *vt quo* in ordine ad proprium obiectum, sed etiam directione virtuali, remota, & extrinseca dirigit operationes intellectus: in quo sensu loquitur Doctor Angelicus fere in omnibus locis, quamuis in alijs loquatur de obiecto secundario; vt dixi supra concl. 1. §. 3. nu. 7.

§. VII.

Referuntur, & refelluntur argumenta.

IN fauorem primæ sententiæ plurima sunt argumenta; difficiliora

ciliora proponam. Primum desumitur ex Diuo Thoma in proœmio ethicor. vbi ait: *quod sicut Philosophia moralis versatur circa operationes voluntatis, sic Logica circa operationes intellectus*, sed Philosophia versatur circa operationes voluntatis tãquam circa obiectũ primarium ex fine intrinseco, & operis; ergo etiã Logica versatur circa operationes intellectus tãquã circa obiectum primariũ ex fine intrinseco, & operis. Ex qua auctoritate sic insurges: ex eo Philosophia moralis ex fine intrinseco versatur circa operationes voluntatis, quia in illis datur specialis difficultas, sed etiã in operationib⁹ intellect⁹ datur specialis difficultas; ergo ad illã vincendã est Philosophia rationalis assignanda. Consequentia probatur, sicut volũtas potest deficere in suis actib⁹, ita intellectus; ergo sicut ad actus voluntatis dirigẽdos datur Philosophia moralis, sic ad actus intellectus dirigẽdos debet assignari Philosophia rationalis.

Ad auctoritatem respondetur distinguendo ly *sicut* dicente omnimodam proportionem, nego maiorem: *sicut* dicente aliqualem proportionem, concedo maiorem, verum enim est, quod Philosophia versatur circa actus voluntatis, & quod Logica versatur circa act⁹ intellectus; aliter tamen, & aliter, nã Philosophia versatur circa actus voluntatis ex fine intrinseco, Logica vero solum ex fine extrinseco versatur circa actus intellectus, tanquam circã obiectum *quod* extrinsecum.

Ad rationem ex auctoritate desumptam respondetur concedendo maiorem: & distinguendo minorem, in operationibus intellect⁹ datur specialis difficultas antecedenter ad hoc, vt Logica illas ordinet ad suum obiectum peculiare, cõcedo minorẽ, præsuppositata tali ordinatione, nego minorem, & consequentiam, nam licet intellectus possit deficere in suis operationibus antecedenter ad rectam Logicę directionem in ordine ad suum obiectum peculiare, non verò post prædictam directionem; in voluntate vero non datur habitus, vel virtus, quæ tantã habeat perfectionẽ in ordine ad suum obiectũ speciale, vt ex tali ordine maneat volũtas directa in suis operationib⁹ in ordine ad propriũ obiectum; videlicet in ordine ad bonũ vt sic. Ex hoc autẽ non licet inferre Logicã per se primo, & ex fine intrinseco ordinari ad rectã veri vt sic cognitionẽ, nã (vt dixi ad verba D. Thomæ) ex eo quod Logica dirigat suos act⁹ in ordine ad modũ sciẽdi obiectiuũ, solũ sequitur, quod maneat intellect⁹ direct⁹ extrinsece, & remote, nedũ ad verum particulare; sed etiã ad verum vt sic. 24. Secundum. Omnia, de quibus disputat Logicus, ordinãtur ad triplicẽ intellectus operationem, & ad aliarum scientiarum operationẽ: v.g. vtique quia Logica est ad alias scientias necessaria;

ria; ergo obiectum *quod* Logicæ sunt operationes intellectus.

Respondetur distinguendo antecedens, omnia ordinātur ad triplicē operationē intellectᵘˢ, & ad acquisitionē aliarū sciētiarum, ex necessitate operationū, & aliarū sciētiarum, cōcedo antecedēs, ex necessitate Logicę, nego antecedens, & consequentiam iuxta dicta in discursu quæstionis.

25. Tertium. Illud est obiectum formale *quod* scientiæ, de quo sciētia demonstrat passiones, sed Logica demōstrat passiones de modo sciendi formali, quia significare verum, vel falsum per se primò conuenit illi, ergo modus sciendi formalis est obiectum formale *quod* Logicæ.

Respondetur distinguendo maiorem, illud est obiectum formale *quod* scientię, de quo scientia demonstrat passiones *vt quod*, & per se primo, concedo maiorē, *vt quo*, & per se secundo, nego maiorem: & distinguo minorē eodē modo: ad probationem distinguo antecedens, significare verum, vel falsum cōuenit modo sciendi formali vialiter, & *vt quo*, concedo antecedens, vltimatè, & *vt quod*, nego antecedens: & consequentiam, nam ad rationē obiecti primarij non sufficit habere passiones; sed quod per se primo, & non ratione alteriᵘˢ, vel in ordine ad aliud demonstrentur à scientia. Et quod veritas, & falsitas non solum detur in actibᵘˢ, sed etiā in rebus expresse habetur in Parente Anselmo dialogo de veritate c. 10. vbi sic fatur: *In rerum quoq; existentia est similiter vera, vel falsa significatio, quia meo ipso quod est, aliter se habere esse*; ergo ex mente tanti Doctoris in rebᵘˢ datur vltimate, & *vt quod* veritas, vel falsitas rerū. Cō sequētia cōstat: nā actus ex se ordinatur ad res; ergo si in rebᵘˢ secūdū Anselmū datur veritas actuū debet esse ad veritatē rerum ordinata; vtique quia actus non secundum se, sed vt verus est via ad rerum veritatem.

26. Quartum. Logica per se primo agit de definitione, diuisione, & argumentatione &c. Sed definitio v. g. primo per se est in actibus, & nō in rebus; ergo obiectum formale Logicę sunt operationes intellectus. Probo minorē, definitio de formali explicat essentiā rei, sed hoc, quod est explicare essentiam rei, propriè cōuenit actibus, & non rebus; ergo definitio de formali est in actibᵘˢ. Probo minorem, definitio explicat naturā rei, sed res nō sunt explicantes, sed explicatę per actᵘˢ; ergo essentiam rei explicare proprie actibus conuenit, nō rebus.

Respondetur cōcedēdo maiorem, & negando minorē: ad probationem concedo maiorem: & distinguo minorem, hoc, quod est explicare, propriè cōuenit actibus, & non rebus vialiter, & *vt quo*, cōcedo minorem, obiectiuè, & *vt quod*, nego minorem. Ad secundam probationem distinguo minorem eodem modo: & nego con-

consequentiam, nam hæc definitio: *homo est animal rationale* reperta in rebus proprie explicat essentiam hominis *vt quod*; quod non reperitur in modo sciẽdi formali, vel in actibus naturas animalis, & rationalis tepræsentantibus, qui solum *vt quo*, & effectiuè explicãt essentiam: potest hoc inuari in actione, qua fit frænum, quæ non est frænum *vt quod*, sed solum *vt quo*, & effectiuè.

27. Quintum desumitur ab aduersarijs ex Diuo Thoma, 1.p. q. 87. art. 3. & 1. contra Gentes, cap. 100. vbi inter alia discrimina, quæ assignat inter actiones, & effectiones vnum est *quod actio potentiæ actiuæ* v.g. intellectio *est finis intellectus; at vera factio potentiæ factiuæ* v.g. depictio *nõ est finis artis*. Ex quibus verbis sic insurgunt. Actus Logicæ sunt actiones, & non effectiones; vtique quia non transeunt ad externam materiã, sed manent in ipso intellectu; ergo ad illos tanquam ad obiectum formale *quod* ordinatur Logica, alias nulla esset diuersitatis ratio.

Doctores nostræ familiæ (à quibus valde extollitur argumentũ) respondent Doctorem Sanctum loqui de fine viali, & non de vltimato. Sed hi non considerãt nullum assignari discrimen inter effectiones, & actiones, cum effectio etiam sit finis vialis artis.

Quare hac solutione relicta in primis respondeo hoc argumentum multum probare, nam iuxta ipsorum doctrinam nulla datur scientia in intellectu, nec virtus in voluntate, nec potentia vitalis, quæ non debeat ordinari ad actũ, tanquam ad obiectum formale *quod*, siquidem in omnibus propriæ causalitates non sunt effectiones, sed actiones. Vnde respõdetur Angelicum Magistrum locis allegatis contrarium affirmare, nam expresse 1.p.q.87. art.3. ad 1. dicit: *Vnde intellectus suum actum potest intelligere, sed non primo*. Et in corpore. *Id, quod primario cognoscitur ab intellectu, est obiectum, & secundario ipse actus*. Et 1. contra Gentes solum ait operationes immanẽtes intellectus nõ posse esse vltimatas, quod libẽter concedo iuxta modum ab ipso Sancto Doctore traditum in loco 1.p. supra citato, scilicet intellectum posse reflexe per alium actum actum directum intelligere tanquam obiectum formale *quod* iuxta doctrinam supra traditam §.6.n.41.1.q.& §.4.num.111.huius q.& iuxta illud Augustini cap. 10. de Trinitate: *Intelligo me intelligere*.

QVAESTIO III.

Vtrum forma rationis artificiosa per se primo sit in rebus ad tres intellectus operationes spectantibus?

§. I.

Prælibantur aliqua.

1. PRO intelligentia quæstionis nota, quod inter obiecta,

ctæ, quæ pertinēt ad aliquā scientiā, sunt alia, quę per se primo attinguntur ab illa, & sunt, quę in esse obiecti, nō ordinātur ad aliud; vt in Philosophia, ens mobile totale v.g. homo, Leo, & alia huiusmodi. Alia vero sunt, quę per se secundo attinguntur à scientia, & sūt, quę in esse obiecti ordinantur ad aliud, vt in Philosophia, ens mobile partiale v.g. formæ hominis, Leonis, & alia huiusmodi. Quæ doctrina potest instari in obiecto potētię appetitiuę, nā aliqua sūt, quæ in se habent sufficientē bonitatem, vt per se primo appetātur à voluntate; vt bonitas diuina; alia vero, quæ non habent sufficientem bonitatē, vt appetantur per se primo, & ratione sui à volūtate, sed solum in ordine ad aliud, vt potio amara, quæ in se nō habet bonitatē, vt appetatur à voluntate, & sic solū desideratur in ordine ad sanitatē: haud aliter in omni obiecto scientię intellectiuę.

§. II.

Prima Nominalium sententia refertur, & refellitur.

2. PRima sentētia est asserentiū formā artificiosā per se primo esse in vocibus ad tres intellectū operationes pertinētibus; ita vt obiectū formale, & adęquatū Logicę sint tātum voces. Sic Villalpād. q. 5. in præābulo ad Logicā, qui citat pro se Quintilianum, Senecam, & Ciceronem. Sed hæc sententia ridicula est, & merito vt talis reijcitur ab scholis. Primo, quia sola consideratio vocis potius ad Grammaticum, quam ad Logicum spectat. Secundo, quia (vt sæpe sæpius dixi in præcedentibus) Logicus disputat de genere, specie, &c. sed hęc instrumenta Logica non sunt in vocibus tanquam in subiecto principaliori, sed solum tāquam in signo; vtique quia vox *animal* non prædicatur de voce *homine*; sed natura animalis est, quæ propriè de homine prædicatur; ergo voces per se primo non pertinent ad Logicum; sed solum ex consequenti, in quantum Logicus ordinat voces, vt signa rerum, & conceptuum.

3. Dices primo in gratiam Nominalium: scientia sumit speciem ab eo, à quo sumit denominationem, sed Logica à vocibus, seu sermonibus sumit denominationē; vtique quia sermocinalis appellatur scientia; ergo ab illis sumit suam speciē. Respōdetur negando maiorem: nam denominatio multoties sumitur ab obiecto secundario, à quo scientia nō sumit speciem: vt cōstat in tractatu de generatione, qui sumit denominationem ab actione generādi, à qua non sumit speciem. Secundo responderi potest Logicā dici sermocinalem à sermone interno, & nō ab externo in vocib⁹ reperto.

4. Dices secundo. Voces habēt proprias essētias; ergo in illis possunt fundari secundæ intentiones

obiectiuę per se à Logica spectãtes. Respondetur concedendo totum, in quo nullum datur incõueniens, nam tunc non exercẽt munus proprium vocis, quod est significare; sed munus tei, quod est tribuere fundamentum, vt in illis secundę intẽtiones obiectiuę fingantur. Quę doctrina constat ex dictis in parua sum. l. 1. c. 1. n. 21.

§. III.

Aliæ proponuntur sententiæ.

5. SEcunda sentẽtia affert formã artificiosam solũ reperiri per se in syllogismo tanquam in obiecto adæquato. Ita Scotus q. 3. Ad hãc sentẽtiam potest reduci sententia Alberti Magni c. 1. prædicabilium asserentis formam artificiosam esse per se in sola argumentatione tanquam in obiecto adæquato: & etiam sententia Alexandri, Ammonij, Simplicij, Patris Hurtado, & aliorum asserentium secundam intentionem Logicalem in sola demonstratione esse per se tanquam in obiecto adæquato.

6. Tertia sententia affirmat formã artificiosam reperiri per se primo in modo sciendi strictè sũpto: videlicet in definitione, diuisione, & argumẽtatione; & per se secundo in rebus ad primã intellectus operationẽ spectãtibus; scilicet in genere, & specie. Ita Pater Suarez disp. 1. Metap. sect. 4. & 5. Fonsec. 2. Metap. cap. 3. disp. 1. & alij quam plurimi.

7. Quarta sententia docet formam artificiosam rationis per se primo esse in rebus ad tres intellectus operationes spectantibus; ita vt obiectum adæquatum Logicæ coalescat ex definitione, diuisione, & argumentatione, nec non ex propositione, & denique ex intẽtionibus generis, speciei, differentiæ, subiecti, prędicati, maioris, & minoris. Ita Diuus Thomas 4. Metap. lect. 4. Caietanus cap. 2. de genere. Iabellus 8. Metap. quæst. 7. Flandria 8. Metap. quæst. 5. Scotus in presenti. Sanchez in sua Logica quæst. 17. conclusione 8. Arauxo 3. Metap. q. 7. art. 1. dub. 1. concluſ. 3. estque apud domesticos valde recepta.

§. IV.

Prima conclusio.

8. FOrma rationis artificiosa per se primo est in definitione, diuisione, & argumẽtatione, & etiam in propositione, nec non in intentionibus generis, & speciei ad primam intellectus operationem pertinentibus. Hæc nostra conclusio in tres solet diuidi partes; sed quia ab vnico fũdamento dependent, ideo vnica amplectũtur resolutione. Vltima pars, in qua est maior difficultas, probatur primo ex Diuo Thoma 4. Metap. lect. 4. vbi loquens de obiecto proprio Logicæ ponit exem-

exemplum in intētionibus generis, & speciei; ergo secundum D. Tho. intētiones spectātes ad primā operationē pertinēt per se ad Logicam: aliàs propriè Logicus has nō cōsideraret intentiones.

9. Probatur secūdo ratione, vt aliqua scientia per se versetur circa aliquod obiectum, opus est, vt per se participet rationē formalē *quæ* scientię; tum sic, ideo Logica (in opinione contrariorum) per se versatur circa instrumenta secundæ, & tertiæ operationū, quia error, & falsitas potest in illis reperiri, sed etiam potest in prima reperiri: tum quia ita potest decipi apprehēdendo hominem irrationalē, vel apprehendendo vnū obiectum, dum aliud intēdit apprehendere; tum quia post peccatum Adami eodem modo fuit prima læsa, ac secunda, & tertia; ergo Logica ita per se ordinatur ad primæ, ac ad secundæ, & tertiæ directionem.

10. Ex quo colliges primā operationem posse habere deformitatem cum obiecto intēto, quādo vnum obiectum apprehēdit, dum aliud intendit apprehendere, & cum obiecto repręsentato, dū apprehendit hominem irrationalē. Ratio huius est adducta à nostro Anselmo dialogo de veritate c. 12. his verbis. *Idem igitur est propositiō nē & rectā, & verā esse, & significare esse quod est?* Discipulus. *Vere idem.* Magister. *Ergo nū est illi aliud veritas, quā rectitudo;* sed iuxta sentētiā Ansel. in prima operatione nō solum potest dari rectitudo, seu cōformitas veritatis constitutiua; sed etiam deformitas; ergo & error, cum error coincidat essentialiter cum rectitudinis carentia.

11. Tertio probatur quoad omnes suas partes. Tunc ratio formalis *quæ* scientię est per se primo in aliquo obiecto partiali, quādo ex sua natura in esse obiecti non ordinatur ad aliud, sed omnia instrumenta Logica in conclusione posita non ordinantur ad aliud ex sua natura, & in esse obiecti; ergo secunda intentio rationis artificiosa per se primo est in illis. Discursus legitimus: consequentia certa: maior ab omnibus admittitur: minor probatur, definitio ex se, & in esse obiecti solum est explicatiua rei; propositio solum est enuntiatiua vnius de alio; genus solum est vnum aptum ad essendum in pluribus specie differentibus; sed hæc omnia sub his expressionibus non dicunt ordinem ad aliud; vtique quia definitio, vt explicat naturam rei, non dependet à demonstratione; nec propositio vt enunciatiua, à syllogismo; nec genus vt aptum ad essendum in pluribus, à definitione; ergo hæc instrumenta Logica in esse obiecti non ordinantur ad aliud.

Cōfirmatur, ex eo albedo, & nigredo v.g. per se participāt rationem formalem *quæ* potentię visiuæ, quia per se sunt partes subiectiuæ coloris, sed omnia instru-

menta Logica in conclusione assignata per se sunt partes subiectiuæ secundæ intentionis, quæ est ratio formalis *quæ* Logicæ; ergo omnia hæc instrumenta per se participant formam rationis artificiosam. Minor probatur, secunda intentio, quæ est in instrumentis primæ operationis, non est ex se cum ordine ad instrumenta secundæ (idemque dicendum est de secunda respectu tertiæ) quia in definitione horum instrumentorum non exprimitur ordo (vt intuenti constabit) sed species subiectiua participans rationem formalem scientiæ sine ordine ad aliam speciem subiectiuam est per se primo pars subiectiua rationis genericæ; ergo omnia hæc instrumenta, quæ sine ordine ad aliud participant secundam intentionem obiectiuam, seu rationem formalem *quæ* logicæ, per se spectãt ad Logicã.

12. Quarto probatur cõtra auctores tertiæ sentẽtiæ, ex eo in opinione ipsorũ forma, quę est in instrumentis primæ operationis, nõ est per se in illis, quia hæc instrumenta sunt partes instrumẽtorũ, quæ sunt in secunda, sed etiã instrumẽta, quę sunt in secunda, sũt partes instrumentorum, quę sunt in tertia; & tamẽ in ipsorum sententia instrumẽta secundæ operationis per se participãt formã artificiosam; ergo inconsequenter propter istam rationẽ asserũt formam artificiosam per se non esse in instrumẽtis primę operationis.

§. V.

Obijciuntur aliqua.

13 OBijcies primo, genus vt vniuersale consideratur à Logica, sed vt sic explicat munᵃ partis; vtiq; quia vt sic ordinatur ad speciẽ sicut perfectibile ad perfectũ; ergo genus nõ valet à Logica per se primo cõsiderari. Primo respondetur cõcedendo maiorẽ; & negãdo minorẽ, nã ex eo, quod genus sit perfectibile per species, non sequitur esse partẽ, nã tunc se habet vt totũ potẽtiale, quod distinguitur ab actuali in hoc, quod istud petit esse perfectũ, quia actu petit cõponi ex partibus, ex quibᵃ actu cõstat; illud vero solũ petit esse perfectibile per partes subiectiuas inferiores, quas in potẽtia cõtinet: vnde ad munus totiᵃ potẽtialis nõ est opus, quod actu cõstet ex partibus; sicut actuale, sed quod illas in potẽtia habeat.

Secundo, & melius respõdetur, concedo maiorem, & nego minorẽ: ad probationẽ inclusam distinguo antecedẽs, genus ordinatur ad speciẽ sicut perfectibile ad perfectũ, materialiter, seu ex parte materiæ, concedo antecedens, formaliter, seu ex parte formę, nego antecedens, & cõsequentiã, nã in genere id, quod est perfectibile, solum est natura; nõ vero secunda intentio genereitatis, quæ solum respicit speciem per modum puri termini, non perficientis, sed ter-

terminantis genereitatis respectum.

14. Objicies secundo: Logica disputat de definitione, vt est pars demonstrationis; ergo non disputat de illa, vt habet rationē totius. Consequentia probatur, scientia semper agit de suo obiecto sub eadem ratione; ergo Logica semper agit de definitione, vt est pars demonstrationis. Respondetur distinguendo antecedens, disputat de definitione, vt est pars demonstrationis, per se, nego antecedens, per accidens, concedo antecedens; & nego cōsequentiam: ad probationē distinguo antecedens, scientia agit semper de suo obiecto sub eadem ratione, diuerso modo, concedo antecedens, eodem modo considerata, nego antecedens, & consequentiam, nam scientia potest idem obiectum sub diuersis cognoscere expressionibus; vt cōstat in geometria, quæ disputat per se de linea, vt est species completa, & per accidens, vt est pars superficiei: & in arithmetica, quæ agit de numero binario per se, vt est species completa, & etiam de illo per accidens, vt est pars ternarij: haud aliter in nostra dialectica.

15. Objicies tertio, Logica nō quiescit in simplici apprehēsione, sed transit ad iudicium, & ad discursum; ergo apprehensio per se ordinatur ad iudicium, & iudicium ad discursum. Respondetur distinguendo antecedens, non quiescit in apprehensione, quia ei deficiat aliqua essentialis perfectio per iudicium aduenies, nego antecedens, non quiescit in apprehensione ex vi capacitatis intellectus naturaliter appetētis amplius scire, cōcedo antecedēs; & nego consequentiam, nā etiam si non esset iudicium, simplex apprehensio esset perfecta in sua linea, cum vna intellectus operatio non egeat alia ad sui perfectionem completam. Quod autem non quiescat intellectus in simplici apprehensione ex vi suæ capacitatis, non est sufficiens ratio ad hoc, vt simplex apprehensio per se ordinetur ad iudicium; vt cōstat in omni intellectu, qui non quiescit in Metaphysica ex vi suę capacitatis naturalis, sed transit ad Theologiam; & tamen nō sequitur Metaphysicam ad Theologiam essēntialiter ordinatā esse: haud aliter in præsenti.

§. VI.

Secunda conclusio.

16. FOrma artificiosa, seu intētio secunda Logica per se primo est in termino formaliter accepto, & in partib⁹ syllogismi, vt formaliter exercēt rationem maioris, vel minoris. Pro cōclusionis intelligētia nota Logicā cōficere instrumēta ad secūdā, & tertiā operationē pertinētia ad similitudinem cōpositi naturalis; ita vt sicut in composito naturali dantur partes transcendentaliter ordinatæ ad totum, in

quibus suppositâ vnione resultat relatio prædicamentalis (vt constabit ex infra dicendis in Philosophia lib. 2. disp. 3. q. 2. §. 1. nu. 1.) sic Logica hunc duplicem ordinẽ tribuit partibus propositionis, vel syllogismi, nã vt conficiat propositionem, vel syllogismum, v. g. ordinat partes ordine quasi transcendentali; hoc est, considerat in illis ordinem, quo vna pars propositionis, vel syllogismi; scilicet, subiectum respectu prædicati, vel maior respectu minoris respicit aliam per modum compartis, & postea suppositâ vnione ordinat illas ordine quasi prædicamentali; id est, considerat in illis ordinem, quo vna pars respicit aliam per modum puri termini; in qua secunda acceptione rationes termini, & maioris formaliter acceptæ constituunt.

17. Quo supposito probatur primo conclusio, tunc aliqua forma est per se in aliquo obiecto, quando in esse obiecti non ordinatur ad aliud tanquam ad compartem, sed forma relatiua, quæ resultat in partibus propositionis, & syllogismi vnitis per se non ordinatur ad aliud tanquam ad compartem; ergo per se primo est in maiori, & in termino: ergo vt sic per se primo considerantur à Logica. Secunda cõsequẽtia cõstat ex prima: prima ex maiori: minor probatur, forma relatiua, quæ resultat in partibus Physicis vnitis, non ordinatur ad aliud tãquam ad compartem, sed tanquã ad purum terminum; ergo forma relatiua termini, vel maioris non ordinatur ad aliud tanquam ad compartem, sed tanquam ad purum terminum.

Confirmatur, relatio prædicamentalis, quæ resultat in partibus vnitis, consideratur à Metaphysico per se, etiam si fundetur in parte Physica ad Philosophũ per accidens spectante, ergo relatio rationis, quasi prædicamẽtalis, quæ resultat in partibus propositionis vnitis, potest à Logico per se considerari, etiã si fundetur in relatione quasi trãscendentali per accidens ad Logicum spectante.

18. Probatur secundo, Logica per modum obiecti non respicit relationem transcendẽtalem, sed quasi prædicamentalem: vtique quia omnes vno ore fatentur secundam intentionem Logicam esse respectum prædicamẽtalem, sed terminus (in omnium opinione) cadit sub obiecto Logicæ; ergo agit de illo, vt respicit aliũ propositionis terminum per modum puri termini, & non per modum compartis: aliàs non ageret de illo, vt induit munus relationis quasi prædicamentalis, cum hæc distinguatur à transcendentali in termino per modum puri termini inspecto.

19. Dices: subiectum respiciẽs prædicatum per modum puri termini non habet rationem totius; ergo non valet vt sic per se considerari à Logica. Respondetur, distin-

distinguendo antecedens, subiectum respiciens prædicatum per modum puri termini non habet rationem totius, de materiali, cõcedo antecedens, de formali, nego antecedens, & consequentiam, nam vt sic de formali non explicat dependentiam, quæ obstet ad attinctionem per se; vt constat in paternitate, quæ per se attingitur à Metaphysica, etiam si respiciat filium per modum puri termini.

20. Quòd vero terminus formaliter acceptus consistat in hac relatione quasi prædicamentali constat ex dictis in parua summa lib. 1. cap. 2. fere per totum, specialiter tamen num. 12. Et probatur, tum quia terminus formaliter acceptus sicut ad primum spectat librum, sic ad primã spectat operationem; quod non potest de termino ad eum per modũ compartis respiciente verificari; si vera est opinio, quæ docet vocem extra propositionẽ non habere rationem termini: tum quia secundum hanc acceptionem nõ consideratur ab alio, quam à Logico: tum denique quia hæc est vltima termini consideratio; ergo in illa ratio formalis specifica termini debet consistere.

21. Dices primo: subiectum vt tale est formaliter terminus, cum terminus vt sic sit genus ad subiectũ, & prædicatum, sed vt subiectum formaliter respicit prædicatum per modum cõpartis; vtique quia vt sic essentialiter ordinatur ad propositionẽ; ergo terminus vt formaliter talis respicit alium propositionis terminũ per modum compartis. Respondetur negando maiorem: ad probationem dico diuisionem termini in subiectum, & prædicatum nõ esse generis in species, sed accidentis in diuersa subiecta: vnde genus ad subiectum, & prædicatum non est hæc termini relatio per se attacta à Logica; sed quædam relatio transcendentalis ab vtroque participata.

22. Dices secundo: vnum totum non dependet ab alio ad sui existentiam, sed terminus vt formaliter talis dependet à propositione; vtique quia extra illã non potest reperiri; ergo terminus vt formaliter talis est entitas incõpleta. Respondetur distinguẽdo maiorem, vnum totum, si relatiuum est, non dependet ab alio, tanquam à ratione formali, concedo maiorem, tanquam à fundamento, vel ratione fundandi, nego maiorem: & distinguo minorem eodem modo: negoq; cõsequentiam, nam forma talis relatiua semper dependet ab alio toto tanquam à fundamento, vel ratione fundandi: vt constat in relatione paternitatis, quę dependet à natura generante tanquam à fundamento.

23. Replicabis: ergo ratio termini formaliter accepta dependet à propositione tanquam à fundamento: ergo prima intellectus operatio à secunda dependet.

Respondetur concedendo primam consequentiam: & distinguendo consequens, dependet à secunda ad hanc relationem quasi prædicamentalé, concedo consequentiam, absolutè quoad omnes alios actus, nego consequentiam, nam nullum est inconueniens in hoc, quod istæ operationes ad inuicem sint dependentes: si enim non datur in hoc, quod secunda, quæ prima est perfectior, dependeat à prima; quare dabitur in hoc, quod prima, quæ imperfectior est, dependeat à secunda, quantum ad istam relationem prædicamentalem? quare sicut relatio prædicamentalis in partibus Physicis fundata dependet à compositione, & vnione partium; sic hæc relatio prædicamétalis primæ operationis depédet à compositione secundę operationis.

§. VII.

Tertia conclusio.

24. DEmonstratio inter Logicæ obiecta est principalitatis obiectum. Hæc cõclusio constabit ex argumentis contrariorum: & probatur ratione speciali, illud est obiectum adæquatum, & specificatiuum, quòd per se primo continet omnia, de quibus scientia disputat, sed ad obiectum principalitatis minus requiritur, quam ad obiectum adęquatum, & specificatiuum; ergo ad illud sufficiet, quod omnia sub illo, & in illo contineantur per se secundo. Tum sic: in demonstratione per se secundo sunt omnia, de quibus agit Logica; vtique quia ad illam per accidens ordinantur; ergo demonstratio inter Logicæ obiecta inadæquata per se primò attacta est obiectum principalitatis.

25. Probatur secundo, illud est obiectum principalitatis, quod est nobilius inter inadæquata: vt patet in Metaphysica, quæ Deũ, vt obiectum principalitatis, respicit, sed inter formas artificiosas nobilior est demonstratio; ergo demonstratio est obiectum principalitatis.

26. Obijcies primo, deficiente demonstratione deficit Logica; ergo demonstratio est obiectum non solum principale, sed adæquatum. Respondetur distinguẽdo antecedens, deficiente demõstratione, deficit Logica, defectu causæ efficientis, concedo antecedens, defectu obiecti, nego antecedens, & consequentiam, nam tunc Logica non deficeret defectu obiecti, vel causæ extrinsecæ quasi formalis; sed defectu causæ extrinsecæ efficientis: vnde si demonstratio sola deficeret, vt obiectum, & non vt causa efficiens, esset Logica, quæ de definitione, diuisione, & argumentatione, & de alijs instrumentis disputaret: quod patet à simili in Metaphysica, quæ deficeret defectu demonstrationis; non quia

ipsa

ipsa sit Metaphysicæ obiectum; sed quia scientiarum omnium est causa efficiens: quare in tali casu (vt pluribus placet) deficeret scientia per locum extrinsecum, non vero per intrinsecum.

27. Obijcies secundo in hac hypothesi, habitus, qui disputaret de definitione, diuisione, & alijs intentionibus logicis, non esset Logicus; ergo deficiēte demonstratione per modum obiecti deficit Logica. Respondetur negando antecedens, nam habitus, qui disputat de modo sciendi, est Logicus; sed tunc essent species modi sciendi, scilicet definitio, & diuisio, ad quas Logica esset per se ordinata; ergo esset Logica de illis disputans. Ex hoc non sequitur talem habitum Logicum esse essentialiter distinctum ab habitu, qui nunc est, quia variatio solū esset ex parte obiecti extensiui, & non ex parte intensiui, à quo sumit speciem: constat hoc in potentia visiua, quæ non deficeret quoad essentialia, etiam si albedo deficeret, quia ex tali defectu nō infertur variatio obiecti intensiui, sed solum extensiui.

§. VIII.

Argumenta secundæ sententiæ.

28. IN gratiam secundæ sentētiæ argues primo: quidquid est in Logica, ordinatur ad demonstrationem; ergo in sola demonstratione est per se forma artificiosa. Antecedēs probatur, definitio, & diuisio sunt partes demonstrationis, sed omnis pars essentialiter ordinatur ad totum; ergo quidquid est in Logica, ordinatur ad demonstrationem.

Respondetur distinguendo antecedēs, quidquid est in Logica, ordinatur ad demonstrationem, per accidens ex necessitate demonstrationis per secundam intentionem partialem ei accidentaliter aduenientem, concedo antecedēs, per se ex necessitate definitionis, & per secundam intentionem totalem, quam ex se habet, nego antecedens, & consequentiam: ad probationem distinguo maiorem eodem modo; & minorem claritatis gratia, omnis pars essentialiter ordinatur ad totum, vt exprimit imperfectionem partis, concedo minorem, vt exprimit perfectionem totius, nego minorem, & consequentiam, nam hæc instrumenta possunt dupliciter accipi; vel vt exprimunt proprias essentias, vel vt ex necessitate demonstrationis ordinantur ad illam ex fine extrinseco per aliam secundam intentionem eis accidēntaliter aduenientem; in prima acceptione non sunt partes, & vt sic non ordinātur, sed à Logica per se considerantur; in secunda verò sunt partes, & per se ordinantur: quæ doctrina constat in linea, quæ vt species completa habet essentiam independentem à Geometria per se considerabilē; at vero vt pars superficiei exprimit

primit imperfectionem partis dependentis, & vt sic ad superficiē per se ordinatur tanquam ad totum.

29. Argues secundo cum Patre Hurtado, demonstratio tam ex parte actus, quā ex parte obiecti est finis vltimus potentię intellectiuæ, in quo quiescit; vtique quia ex parte obiecti includit omnia instrumenta Logica, & ex parte actus omnes apprehensiones, & iudicia; ergo in sola illa est forma artificiosa per se tanquam in obiecto adęquato. Confirmatur, proprta hominis differentia, & perfectio est cognoscere per discursum, sed hæc perfectio reducitur ad actum per demonstrationem; ergo sola illa participat per se rationem formalem *quæ* scientiæ.

Ad argumentum respondetur distinguendo antecedens, demōstratio est finis vltimus, perfectior, & inadæquatus, cōcedo antecedens, adæquatus, & totalis, nego antecedens: vel iterum distinguo antecedens, est finis vltimus, attenta capacitate naturali intellectus, concedo antecedēs, attentis essentijs in actibus, vel in rebus primæ, & secundæ operationum repertis, nego antecedens, & consequentiam, nam licet attenta capacitate innata intellectus non quiescat in illis operationibus, nec in rebus ad illas spectantibus; tamen attenta independentia operationum in eis debet sistere. Ad confirmationē distinguo maiorem, propria hominis perfectio est cognoscere per discursum; id est, adæquata, & totalis perfectio, quæ datur in homine, est discursiua cognitio, nego maiorem, inadæquata, & perfectior cognitio, est discursiuā, concedo maiorem, & minorem; & nego consequentiam.

30. Replicabis primo, sola demonstratio sufficit ad terminandum actum Logicum; ergo & ad perficiendum habitum Logicū; vtique quia actus, & habitus secundum Philosophum ab eodem specificantur obiecto. Respōdeo concedendo antecedens: & negando consequentiam, nam licet demonstratio sufficiat ad actum Logicum terminandum, in sensu quo definitio, & diuisio; non tamen ad illum specificandum. Ratio est, quia actus, & habitus non specificantur ab obiectis partialibus inadæquatis, etiam si per se sint attacta; sed à ratione formali, quæ abstrahit ab omnibus obiectis inadæquatis per se attactis.

31. Replicabis secundo, omnia instrumenta Logica continentur in demonstratione; ergo omnia ordinantur ad demonstrationem. Respondeo distinguendo antecedens, omnia continentur in demonstratione, per modum partis, concedo antecedens, per modum totius, nego antecedens: & eodē modo distinguo consequens, nam Logica non solum fingit intentionem partialem, quæ instrumenta

menta Logica sunt partes demõstrationis; sed etiam secundã intentionem totalẽ, qua vnum instrumentum Logicum est totum per se independens.

32. Argues tertio, definitio ex sua natura est pars demonstrationis; ergo definitio non potest per se, & in recto considerari à Logica. Antecedens probatur, in tantum definitio est pars demonstrationis, in quantum est medium ad passiones demonstrandas, sed definitio est medium ad passiones demonstrandas secundum suam essentiam; ergo secundum suam essentiam est pars demonstrationis. Confirmatur: si definitio nõ esset essentiæ explicatiua, non esset demonstrationis pars; ergo ex eo est pars demonstrationis, quia est essentiæ explicatiua.

Ad argumentum respondetur negando antecedens: ad probationem concedo maiorem: & distinguo minorem, est medium secundum suam essentiam, specificatiuè sumpta, concedo minorẽ, reduplicatiuè sumpta, nego minorem, & consequentiam, nam definitio vt pars demõstrationis non habet formalitatem definitionis, sed maioris, vel minoris; vt intuenti constabit, sub his ergo expressionibus formaliter acceptis, & non sub expressione definitionis est pars demonstrationis à Logica per accidẽs attacta. Ad confirmationẽ distinguo antecedens, si definitio non esset essentiæ explicatiua non esset demonstrationis pars, si nõ esset explicatiua fundamentaliter, & *vt quod*, concedo antecedens, si non esset explicatiua formaliter, & *vt quo*, nego antecedens & consequẽtiam, nam arguitur à ratione materiali ad rationem formalem; & sic non tenet consequentia. Verum enim est, quod si definitio nõ esset explicatiua essentiæ fundamentaliter, & *vt quod* non constitueret demonstrationem; nõ aliter ac si linea non esset longa, non componeret superficiem; tamen ex hoc non sequitur, quod definitio vt formaliter explicatiua essentiæ sit pars demonstrationis; sed quod illa materialiter accepta, vt induens secundam intẽtionem partialem maioris, vel minoris sit pars demonstrationis: non aliter ac linea vt reduplicatiue longa nõ est pars superficiei; licet longitudo vt ordinatur versus latitudinem, & exercet munus puncti, sit aliquid ad superficiem ordinatum: hoc etiam constat in numero binario, qui non constitueret ternarium, si non esset binarius; & tamen formaliter vt binarius non constituit ternarium.

§. IX.

Argumenta tertiæ sententiæ.

33. IN fauorem tertiæ sententiæ argues primo argumẽto efficaci, Logica ex fine remoto respicit perfectam rerum cognitionem, & ex proximo instrumenta,

menta, quæ deseruiunt ad hanc rerum cognitionem, sed totum hoc cognoscitur per definitionē, diuisionem, & argumentationē, cum definitio explicet essentiam, diuisio partes, & argumentatio proprietates; ergo finis adæquatus Logicæ consequitur per definitionem, diuisionem, & argumētationē, cum in cognitione cuiuscunque rei nihil sit cognoscibile præter essentiam, partes, & proprietates. Confirmatur, illa sunt media superflua, quæ non sunt ad finis consecutionem necessaria, sed præter ista tria instrumēta cętera non sunt necessaria ad cōsecutionem finis adęquati Logicę; ergo vt superflua non debent admitti inter Logicæ obiecta.

Respōdetur concedendo maiorem, si sub his terminis proponatur; nō vero si sub alijs, quibus solet à differentibus proponi, dicēdo: Logicam terminari tāquam ad finem proprium ad exactā rerum cognitionem: quæ propositio est falsa, si intelligatur de fine proximo, nam aliud est Logicam terminari ad instrumēta, quæ deseruiunt ad exactam rerum cognitionem, & aliud terminari ad exactam rerum cognitionē: primum est verum, secundum falsum. Quo supposito, vt cōsequēter loquamur, distinguo minorē, totum hoc consequitur per definitionem, diuisionem, & argumentationem, perfectiori modo, concedo minorem, omnibus modis, nego minorem, & consequētiam: ad probationem dico rem cognosci per definitionem, diuisionem, & argumentationē tanquam per instrumenta perfectiora; non vero tanquam per adæquata, nam Logica tradit instrumenta, quæ deseruiunt ad cognitionem totalem, & adæquatam, quo modo non cognoscitur per tres species modi sciendi. Ratio huius est, nam ad cognitionem comprehensiuam, & adæquatam opus est, quod res cognoscatur omnibus modis, quibus potest cognosci, sed per definitionem, diuisionem, & argumentationem nō cognoscitur omnibus modis, quibus potest cognosci, cum possit cognosci per secundas intentiones generis, & speciei; ergo cognitio adæquata intenta à Logica non habetur per modum sciēdi strictè sumptum. Per quod patet ad cōfirmationem, nam licet superfluant intentiones generis, & speciei ad perfectiorem rei cognitionem, & ad hoc, vt tota essentia cognoscatur; non vero ad adæquatam, & totalem.

34. Argues secundo, modus sciendi est obiectum adæquatum Logicæ, sed propositio non est species modi sciendi, cum non sit explicatiua rei; ergo propositio non intrat per se ad obiecti adæquati constitutionem. Hoc idem argumentum potest fieri de genere, & de alijs intētionibus primæ operationis. Respondetur distinguendo maiorem, obiectū Logicæ est modus sciendi, late sump-

sumptus, concedo maiorem, stricte sumptus, nego maiorem, & minorem: ad probationem dico propositionem esse aliquomodo ignoti manifestatiuam, in quantum conducit ad hoc, vt intellectus cognoscat prædicata, quæ subiecto conueniunt, & etiã quæ illi repugnant: idemque dicẽdum est de intentionibus primæ operationis, quæ aliquo modo, scilicet, partialiter ignotum manifestant.

QAÆSTIO IV.

An Logica habitus sit adæquatè scientificus,

§. I.

Præhibantur aliqua.

1. PRo exacta quæstionis explicatione nota primo ex Philosopho 6. Ethic. & ex Sãcto Thoma 1. p. q. 57. art. 2. & 3. habitus intellectuales, quibus intellectus illustratur ad facilẽ veri cognitionem, esse quinque: v. g. intelligentiam, seu intellectum, sapientiam, prudentiam, scientiam, & artem. *Intelligentia* (quæ est ab intellectu indistincta, vel cum ipso cõcreata) *est habitus primorum principiorum: sapientia est cognitio rei per altissimas causas: prudentia est recta ratio eligibilium: ars est recta ratio operis faciendi, vel est habitus cum ratione factiuus: scientia denique est habitus certus, verus, & euidens per demonstrationem acquisitus*: ly *habitus* ponitur loco generis, in quo conuenit cum superioribus: *certus* nominatur, vt distinguatur ab opinione, quæ cum formidine, & incertitudine assentitur conclusioni: *verus*, vt distinguatur ab errore: *euidens*, vt distinguatur à fide, quæ nititur testimonio diuino obscuro, & inuidenti: *per demonstrationem acquisitus*, vt distinguatur ab intelligentia, quæ non est per demõstrationem acquisita, sed à natura indita.

2. Nota secundo ex Philosopho cap. 2. artem diuidi in artem effectionis, seu actionis, alio nomine mechanicam: & in artem cognitionis, alio nomine liberalem: *ars mechanica, seu effectionis*, quæ propriè dicitur ars, *est recta ratio operum externorum: ars cognitionis, seu liberalis est recta ratio operum intelligibilium.* Ex quo cõstat discrimẽ, quod versatur inter huiusmodi artes, nam ars mechanica ordinatur ad vtilitatem corporis; liberalis vero ad animæ delectationem.

3. Nota tertio ex Diuo Thoma 4. Met. lect. 4. Logicam diuidi in docentem, & vtentẽ: docens dicitur in quantum demõstrat passiones, & proprietates de suo obiecto, & in quãtum tradit regulas, & præcepta ad artificiosam modi sciendi compositionẽ. Vtens dicitur in quantum mandat executioni id, quod ordinatum est à Logica docente. Hæc expli-

explicatio Logicæ docentis potest reijci quantum ad primam partem, vt non vulgaris: veruntamen illam accepi ex Doctore Angelico 2.2.q.181.a.3. in corpore vbi ait: *Quod doctrina non solum sumitur, prout pertinet ad vitam actiuam, sed etiam prout pertinet ad vitam contemplatiuam*; ergo iuxta mentem Doctoris Sancti in Logica docente simul datur constructio, & contemplatio modi sciendi.

Ratione etiam constat, nam Logica sicut omnis scientia demonstrat passiones ex suo obiecto; ergo debent ab illa demõstrari sub expressione docentis, & vtentis, cum diuisio Logicę in docentem, & vtentem sit adequata, sed vt vtens illas scientifice non demonstrat (vt intuenti constabit) ergo vt docens.

4. Nota quarto multiplicitatem conclusionum oriri ex diuersitate principiorum, principium enim diuiditur in necessarium, opinatiuum, & apparens: ex primo deducitur conclusio necessaria; ex secundo opinatiua: ex tertio apparens: ex quo sequitur, quod Logicæ habitus distinguatur realiter in scientificum, opinatiuum, & erroneum. Dicitur autem scientificus à principaliori parte, sicut & cæteri habitus. Sed cum hac doctrina compatitur, quod habitus Logicus vt reduplicatiue scientificus respiciat partem topicam, & sophisticam. Logica enim dupliciter potest versari circa principia topica, & sophistica; vel ita vt propter illam assentiatur conclusioni; vel ita vt cognitis illis vt topicis, vel apparentibus per modum obiecti scientifice iudicet illatum non esse necessarium, sed topicum, vel sophisticum. Primus modus non est sufficiens, vt Logica sit scientia; & ideo difficultas solum procedit in secundo modo, & inquirit: an in hac secunda acceptione Logica sit scientia nedum quoad partem analyticam, sed etiam quoad topicam, & sophisticam? & simul an sit scientia, vel ars sub expressionibus docentis, & vtentis?

§. II.

Referuntur sententiæ.

5. PRIMA sententia absolute negat Logicam esse scientiam. Pro hac citant Philosophum 2. Met. circa finem, stantque pro ea Ægidius, Ammonius, Simplicius, Villalpandus, & Ægidius Romanus, Petrus Niger relatus à Magistro Sanchez in sua Logica lib. 1. q. 7. & etiam Albertus Magnus, Boëtius, Zabarella citato à Vallio in prologo Logicæ p. 2. q. 4. cap. 9.

6. Secunda sententia affirmat Logicam solum secundum partem analyticam esse scientiam. Ita aliqui tam ex antiquis, quam ex modernis.

7. Tertia docet Logicam docentem

centē esse quoad omnes tres partes in sensu formali scientiam; vtentem vero solum in sensu materiali: vnde in sensu formali Logica docens habet rationem scientiæ, quatenus demonstrat passiones ex suo obiecto, & rationem artis liberalis, quatenus tradit regulas, & præcepta ad constructionem Logici artificij; Logica vero vtens in sensu formali, nec habet rationem scientiæ, nec artis liberalis; sed solū perfectionē vltimam, seu vltimum cōplementum artis liberalis. Hæc vt verior amplectitur à peritioribus; & in illius obsequium sit.

§. III.

Prima conclusio.

8. LOgica docēs, vt infert passiones ex suo obiecto, formaliter, & proprie est scientia nedum quoad partem analyticam; sed quoad topicam, & sophisticam. Est communis inter Doctores, & expresse defenditur à Magistro Arauxo, & à Ioanne à Sancto Thoma. Quoad primam partem probatur, ex eo Philosophia formaliter, & propriè habet rationē scientiæ, quia media demonstratione infert passiones ex suo obiecto, scilicet, ex ente mobili, sed Logica docens media demonstratione infert passiones ex suo obiecto, scilicet, ex Logico rationis artificio, vt constat in hoc syllogismo: *omne vniuersale est prædicabile, genus est vniuersale; ergo genus est prædicabile*; ergo Logica docens quoad partem analyticam est formaliter scientia.

9. Quoad alias partes probatur, ex eo Logica docens quoad partem analyticam est formaliter scientia, quia euidenter docet, quod ex principijs necessarijs generatur scientia, sed etiam euidenter docet, quod ex probabilibus generatur opinio, & quod ex apparentibus error; ergo nedum quoad analyticam, sed quoad alias partes est formaliter scientia.

10. Obijcies, Logica in parte topica inclinat in syllogismum opinatiuum; ergo quoad hanc partem non est scientia. Confirmatur, Logica quoad hanc partem differit probabiliter; ergo quoad hanc non est scientia. Ad obiectionem respondetur distinguendo antecedens, inclinat in syllogismum probabilem, per modum obiecti, concedo antecedens, per modum actus, nego antecedens, & consequentiā, nam ex syllogismo probabili per modum obiecti considerato potest aliquid euidenter demonstrari, vt in ratione conclusionis dictum est, cum aliud est Logicam terminari ad actum opinionis, vt secundum illum percipiat conclusionem probabilem; & aliud ex ipso actu opinabili per modum obiecti considerato inferre euidenter conclusio-

clusionem esse probabilem: in primo sensu omnes fatentur non esse scientiam, sed opinionem; secus vero in secundo, in quo euidenter infert conclusionem, vt constat ex nostra ratione. Ad confirmationem respondetur negando antecedens, nam Logica non solum opinatiuè differit secundum partem topicam, sed etiã euidenter, & demonstratiue, vt constat ex solutione obiectionis, & ex notabili quarto: vnde constat Logicam opinatiue, seu cum formidine differentem non habere perfectionem scientiæ; sed esse habitum opinatiuum realiter à Logico scientifico distinctum; non aliter ac in alijs scientijs.

11. Replicabis; ergo Logica in parte topica respicit actũ scientificum, & obiectum opinabile; sed hoc implicat in terminis; ergo. Probo minorem, implicat in terminis, quod actus vnius scientiæ attingat obiectum alterius; ergo & quod actus scientificus obiectũ attingat opinionis; vtique quia magis distat actus scientificus ab obiecto opinionis, quã actus vnius scientiæ ab obiecto alterius scientiæ. Respondeo distinguendo consequens quoad secundam partem; respicit obiectum opinabile, vt scibile, concedo consequentiam, vt opinabile, nego consequẽtiam, & minorem subillatam: ad probationem dico magis distare actum scientificum ab obiecto opinionis, quam actum vnius scientiæ ab obiecto alterius, si actus scientiæ attingeret obiectum opinionis, vt opinionis; secus verò si attingeret illud, vt indutum scibilitate, seu ratione formali scientiæ, nam in hac acceptione non habet distãtiam, sed proportionem: non aliter ac si actus vnius scientiæ attingeret obiectum alterius, non vt alterius; sed vt affectum ratione formali scientiæ attingentis.

12. Ex quo colligo diuisionem Logicæ in has tres partes non esse formalem, sed materialem. Ratio est, nam hæc diuisio non versatur circa obiectum Logicę formale, sed circa materiale ipsius Logicæ.

§. IV.

Secunda conclusio.

13. LOgica docens formaliter doctrinalis habet rationem artis liberalis. Est communis inter Thomistas. Et probatur breui, & efficaci ratione. Logica docens vt formaliter doctrinalis tradit regulas ad operis intellectualis constructionem; ergo vt talis formaliter obtinet perfectionem artis liberalis. Consequentia constat ex notabilibus, nam ars liberalis est recta ratio operis intellectualis, seu interni: antecedens probatur, Logica docens vt formaliter doctrinalis tradit regulas, & præcepta ad definitionis v. g. constructionem, sed opus definitio-

nitionis est interitus; ergo Logica docens vt formaliter doctrinalis tradit regulas ad operis interni constructionem.

14. Dices: inter scientiam, & artem datur oppositio contraria, sed Logica docens est scientia, vt ex prima constat cõclusione; ergo vt docens non est ars. Maior constat, nam Philosophus scientiam, vt arti oppositam numerauit. Respondetur distinguendo maiorem, datur oppositio contraria inter scientiam, & artẽ mechanicam, concedo maiorẽ, inter scientiam, & artem liberalẽ, nego maiorẽ: & concessa minori nego consequentiã, nã solum ars mechanica est, quæ dicit oppositionẽ positiuam cum scientia; liberalis vero solum negatiuã consistentem in hoc, quod vna ex formis nec inferat aliam, nec alteri repugnet. Ad Philosophi auctoritatẽ dico Philosophum solum numerare artem mechanicam vt scientiæ oppositam, non vero liberalem scientificam, nam multoties Mathematicam scientiam, & artem appellat.

15. Si vero dicas artem abstrahentem à mechanica, & liberali fuisse à Philosopho numeratã vt scientię cõtrariã, dico scientiam, & artem non distingui ab Aristotele tanquam duo contraria respectu vnius subiecti, nec tãquam duas species oppositas aliquod genus diuidentes; sed tanquam duas rationes disparatas, quarum vna nec aliam infert, nec alteri repugnat; & quod rationes hoc modo differentes possint in eadem entitate reali idẽtice adunari, constat in scientia, & sapiẽtia, quæ hoc modo differunt; & tamen teste Aristotele 1. Met. c. 1. & 6. Met. cap. 6. sunt in Metaphysica adunatæ: & etiam in bono, quod multoties aduuat per viam identitatis rationes honestatis, & vtilitatis.

16. Replicabis, formalitates scientiæ, & artis liberalis nullo modo possunt reperiri in vna, eadẽque entitate, sed Logica vt docẽs est scientia; ergo vt docẽs nõ est ars. Maior probatur, scientia ex se procedit modo resolutorio, ars ex se modo compositorio, sed hi modi sũt inter se realiter oppositi; ergo formalitates scientiæ, & artis liberalis nullomodo possũt reperiri in vna, eademq; entitate. Respondetur negando maiorem: ad probationẽ distinguo maiorem, ars liberalis scientifica procedit modo cõpositorio, compositione propria, & rigorosa, nego maiorẽ, impropria, & metaphorica, cõcedo maiorẽ: & distinguo minorẽ, isti modi sunt oppositi, quãdo vt simpliciter tales nõ sunt subordinati, cõcedo minorẽ, quãdo vnus est metaphoricus, & alteri vt simpliciter tali subordinatur, nego minorẽ, & consequentiam, nã Logica eo modo, quo est ars, procedit modo cõpositorio, & cum solum secũdum quid, & secundario sit ars, ideo solũ secundum quid, & secundario procedit modo cõ-

positorio. Hanc solutionem accepi ex D. Tho. 1. 2. q. 57. art. 3. ad 1. Secundo, & forsan melius respondetur cum Patre Hortiz tract. 1. conferet. 3. n. 272. quod de ratione artis vt sic non est procedere modo compositorio, sed tantum tradere regulas ad aliquid operandum; siue sistendo in opere, seu compositione, vt ars mechanica; siue non sistendo in illo; sed dirigendo illud ad contẽplationem, vt ars liberalis scientifica; cuius ordinis est nostra Dialectica.

17. Non quiescès, scientia verfatur circa vniuersalia, & perpetua, quæ à nobis non sunt facta; ars vero circa singularia, & contingentia, quę à nobis fiunt; ergo idẽ habitus Logicę docentis non valet simul adunare quidditates scientię, & artis liberalis. Respõdetur concedẽdo maiorẽ, & negando minorẽ, si loquãtur aduersarij de actu primario artis, nam Logica docens etiã vt ars tradit regulas de definitione vt sic, vel de demonstratione vt sic, & in cõmuni, à qua Logica vt ars venatur speciẽ; licet secundario respiciat singularia, & cõtingentia: quod cõmune est omnibus scientijs, & potentijs, nam licèt Metaphysica per se primo respiciat ens vt sic; tamẽ per se secundo, & in executione respicit ens in particulari, non quia tale, sed quia ens; sic Logica vt ars tradit secũdario regulas ad demonstrationẽ in particulari, v. g. non quia particularis sit, sed quia hæc particularis demonstratio est. Ex hoc non sequitur, quod obiectum Logicæ in actu signato (in qua ratione specificat Logicam) fiat à nobis, nã licet in actu exercito, & in particulari fiat definitio; v. g. tamen non fit, quod definitio explicet essentiam rei, nec quod demonstratio in *Barbara* v. g. directe concludat; quod erat necessarium, vt instrumẽta in actu signato essent facta.

§. V.

Tertia conclusio.

18 LOgica vtens in sensu identico, & materiali habet rationem scientiæ, & artis. Est cõmunis, & breui probatur ratione. Quidquid formaliter dicitur de expressione, vel formalitate vnius entitatis debet dici identice, seu materialiter de formalitate, vel expressione eiusdem entitatis, sed de Logica docente formaliter verificãtur rationes scięntiæ, & artis; ergo materialiter saltim per viam identitatis debent verificari de vtente indistincta. Maior constat à simili in actione, & passione, nam quia de actione formaliter verificatur, quod sit ab agente, ideo de passione materialiter, seu per viam identitatis etiam verificatur quod sit ab agente.

(.˙.)

§. VI.

§. VI.
Quarta conclusio.

19. LOgica vtẽs reduplicatiue vt talis formaliter nõ est scientia, nec ars; sed vltimum complementum, vel vltima perfectio artis, quæ nõ spectat ad rationem specificam, & essentialem artis. Hæc conclusio tres habet partes, & quoad primã est cõmunis; & probatur, scientia vt formaliter talis demonstrat passiones de suo obiecto, cognoscit rẽ per suam causam, & denique primario per demonstrationem acquiritur, sed Logica vtens vt talis solum mandat executioni præcepta docentis; non vero demõstrat passiones, nec cognoscit illas per suam causam, nec primario per demonstrationem acquiritur; ergo Logica vtens reduplicatiue vt talis non est scientia formaliter.

20. Secunda pars, quæ à Thomistis nõ admittitur, efficaci probatur ratione. *Ars* (vt constat ex Philosopho 1. Ethi.) *est recta ratio operis faciendi*; idest, est norma, & regula, quæ docet qualiter opus sit faciẽdum, sed antecedẽter ad vsum Logicæ, seu ad Logicam vtentem (quod idem est) datur in docente norma, & regula operis faciendi; ergo Logica vtens, quę vt talis non est norma, nec regula operis, nõ est formaliter ars. Confirmatur, recta ratio operis faciendi consistit in hoc, quod sciat, quare artificium hoc, vel illo modo, & nõ alio debeat fieri, sed hęc recta ratio non reperitur in Logica vtẽte, quę ex se solum vtitur regulis præceptis à docente; non vero scit rationẽ, quare debeat fieri artificiũ hoc, & non alio modo; ergo Logica vtens vt talis non est ars. Minor probatur, Logica vtens (in omniũ opinione) comparatur ad docentẽ, sicut discipulus ad Magistrũ, sed discipulus in fide Magistri, & non in euidenti causę cognitione assẽtitur cõclusionib⁹, cũ causas conclusionũ ignoret; ergo similiter Logica vtens vt talis ignorat rationẽ, seu causam, quare hoc modo, & non alio debeat fieri Logicum artificium.

21. Tertia pars probatur. Logicalis doctrina cõparatur ad vsũ Logicæ vtentis, sicut potentia comparatur ad proprium actum, sed actus est extra essentiã potẽtię; licet sit potẽtię perfectio; ergo vsus Logicæ est extra essentiã artis; licet sit artis intrinseca perfectio. Confirmatur, ita se habet vsus externus artis mechanicę in ordine ad artem mechanicam; ac vsus internus Logicæ in ordine ad artẽ liberalẽ Logicæ, sed vsus externus artis mechanicæ solum est perfectio artis extra essentialem conceptum artis se habens, cum multoties opus externũ executioni mãdetur per manus pueri incipientis, in quo ars non est; ergo similiter vsus internus Logicæ solum est perfectio artis extra

essentialem artis conceptum.

22. Dices (cum quodam moderno nostræ familiæ, qui acriter nostram impugnat conclusionē) Logicam vtētem formaliter esse artē quoad munus secundarium artis, nam ad hoc nō est opus, quod sit norma, & regula operis faciendi; sed quod mandet executioni id, quod est à norma, & regula præceptum, sed talis executio reperitur formaliter in Logica vtēte; ergo Logica vtens formaliter vt talis est ars. Sed hæc impugnatio solo impugnationis nomine pollet, nā actus secundus nec habet essentiam actus primi, nec valet nomine actus primi appellari; vt cernere licet in actibus secundis animæ, potentiæ intellectiuę, visiuæ, &c. ergo nec actus secundus artis est ars, nec absolute valet ars appellari, vt ab isto nominatur auctore.

23. Obijcies, scientia secūdum Philosophum est habitus per demonstrationem acquisitus, sed Logica vtens vt talis acquiritur per demonstrationem; ergo vt talis est scientia. Minor probatur, habitus Logicæ vtentis non distinguitur ab habitu docentis, sed Logica docēs acquiritur per demonstrationem; ergo & vtens: aliàs eadem res esset, & non esset producta, quod implicat, vt ex se constat. Respondetur distinguēdo maiorem, scientia est habitus acquisitus per demonstrationem, formaliter, & primario, concedo maiorem, materialiter, & secundario, nego maiorem; & distinguo minorem, vtens acquiritur per demonstrationem, secundario, concedo minorem, primario, nego minorem, & consequētiam, nam Logica vtens, vt distincta per intellectum à docēte, est quasi docentis proprietas, secundario ratione connexionis, seu ratione identitatis per demonstrationem cōparata: eo modo, quo proprietates essentiæ ratione cōnexionis secundario generantur; vel modo, quo formalitas passionis ratione identitatis est ab agēte. Ex quo non sequitur, quod Logica vtens vt habitus per intellectum distinctus à docente, sit scientia, quia ad rationē sciētiæ est necessarium, quod primario per demonstrationē acquiratur; non aliter, ac licet augmentatio sit motus per se ad quantitatem ordinatus; tamen non sequitur, quod æqualitatis relatio per augmentationis motum secundario producta sit quantitas; haud aliter in præsenti.

§. VII.

Argumenta contraria.

24. IN fauorem primæ sententiæ arguitur primo auctoritate Philosophi 2. Met. cap. 3. dicentis: *Absurdum esse simul quærere scientiam, & modum sciendi*, sed Logica est formaliter modus sciendi; ergo non est scientia. Rursus 1. rhetoricorum capit. 2. & 6. Metaph. ait *Logicam*

eam non esse scientiam; ergo iuxta mentem Philosophi Logica non est scientia.

Ad primam auctoritatem in primis respondetur negando Logicam formaliter esse modū sciēdi, nam aliud est esse scientiam ad modum sciendi ordinatam, & aliud esse formaliter modum sciēdi, cum obiectū semper sit à sciētia distinctum. Sed hoc admisso dico Philosophum fuisse locutum de scientia, quæ non est cum modo sciendi identificata; non vero de scientia, quæ cum illo identificatur; sicut accidit in Logica. Ratio autem, quare est absurdum simul quærere modum sciendi, & scientiam distinctam, est, quia intellectus ratione suæ limitationis, & finitatis non valet simul plura acquirere iuxta illud. *Pluribus intentus minor fit ad singula sensus.* Ad secundam auctoritatē dico Philosophum fuisse locutum formaliter de Logica docēte, vt tradit regulas ad modi sciendi constructionem; nō vero de illa, vt demonstrat passiones ex tali modo sciendi dimanantes.

25. Arguitur secundo. Omnis scientia inclinat in demonstrationē tanquam in actum, sed Logica inclinat in illam, tanquam in obiectum actus; ergo Logica nō est scientia. Omnes huic argumento respondent concedendo maiorē, & minorem, & negando consequentiam: & dicunt Logicam inclinare in demonstrationem tanquam in actum, & etiam tāquam in obiectum actus, in quo nullum inueniunt inconueniens, nam affirmant demonstrationem obiectiue in actu signato consideratā posse attingi per demonstrationem formalem in actu exercito; etiam si demonstratio exercita formalis sit in signata obiectiua specificatiuè per modum obiecti partialis: quod instant in Metaphysica, quæ attingit proprium actum, vt obiectum partiale, quia specificatiue est cōtentum sub ratione entis vt sic; sic asserunt demonstrationem formalem exercitam esse actus Logicę; & ipsam prout specificatiue contentam in demonstratione obiectiua vt sic esse obiectum partiale Logicæ.

26. Sed hæc vulgaris solutio hoc explicata modo non valet defendi à Doctoribus asserentibus formam artificiosam vialem in actibus, seu in cōceptibus formalibus repertam non posse nec specificatiuè per se à Logica considerari, sicut ratio entis in actu Metaphysico reperta valet à Metaphysica per se percipi. Vide, quæ dicta sunt à nobis q. 1. §. 6. n. 39. & 40.

27. Quare hac relicta solutione, vt ad propriam accedam, noto primo alias scientias esse formaliter scientias, etiam si respiciant demōstrationem nedum ex parte actus, sed etiam ex parte obiecti, nam in eo sensu, in quo demonstratio formalis spectat ad alias scientias ex parte actus, attinet

tinet etiam ad illas demonstratio obiectiua ex parte obiecti; aliàs actus non corresponderet obiecto sub eadē forma Logica: quod implicat.

28. Noto secundo demonstrationem signatam actualem, seu formalem esse à demonstratione obiectiua signata omnino distinctam, nam (vt dixi q. 2. §. 4. per totum) artificium formale, vt tale solum secundum quid, seu in esse repræsētatiuo participat rationem formalē obiectiuam Logicæ.

29. Ex quo sequitur demonstrationem formalem exercitam non contineri sub demonstratione vt sic obiectiua, vt falsò intendit solutio, tū quia id, quod secūdum quid est tale, non potest esse sub re simpliciter tali: tum quia demonstratio formalis exercita continetur sub formali signata. Ex quo etiam sequitur Logicam posse terminari ad vtramque demonstrationem formalem, scilicet, & obiectiuam; ad formalem, tanquam ad obiectum secundarium; ad obiectiuam vero, tanquam ab obiectum primarium. Nec obstat, quod formalis sit via obiecti, seu actus tendens in obiectum, nam via in actu signato considerata potest per viā exercitam, seu per actum exercitum attingi; non aliter ac actus Metaphysicæ in actu signato consideratus potest considerari à Metaphysico per alium actum exercitum.

30. Quibus suppositis respondetur ad argumentum distinguēdo maiorem, omnis scientia inclinat tanquam in actum in demonstrationem, formalem, cōcedo maiorem, obiectiuam, nego maiorem; & distinguo minorem, Logica inclinat tanquam in obiectum in demonstrationem, obiectiuam, concedo minorem, formalem, nego minorem, & consequentiam, nam Logica versatur circa demonstrationem formalē, tanquam circa actum, & viam; & circa obiectiuam, tanquam circa obiectum, & terminum; non aliter ac aliæ scientiæ versantur circa demonstrationem formalem, tanquā circa instrumētum scientificum viale, & circa obiectiuā, tanquam circa instrumētum scientificum vltimum.

QVÆSTIO V.

Vtrum Logica sit simplex, vel composita qualitas?

§. I.

Certa ab incertis separantur.

1. VT certum suppono quæstionem non procedere de vnitate materiali, & numerica Logicæ, nam hæc (vt constabit ex dicendis infra in lib. de Generat. disp. 1. quæst. 4. §. 16. per totum) accipitur ab vnitate subiecti: nec etiam de vnitate formali, & specifica, nam optime compatitur,

titur, quod Logica sit vna in specie infima, & atoma, & quod sit composita ex pluribus entitatibus partialibus; vt videre est in homine, qui compositus est ex materia, & forma, & subsistétia; etiam si sit vnus in specie infima, & atoma; sed solum de simplicitate, vel compositione illius.

2. Quod verò sit Logica vna in specie, in quantum se extendit ad omnes conclusiones cóstat à posteriori ex eo, quod omnes conclusiones Logicæ cadunt sub eadem ratione formali specifica in esse scibilis, seu in esse obiecti: & à priori ex eo, quod omnes conclusiones sunt sub eadem abstractione à materia, sed vnitas specifica scientiæ accipitur ab vnitate specifica obiecti in esse scibilis, vel ab eadem abstractione à materia; ergo Logica, adhuc quatenus se extendit ad omnes cóclusiones, est vna in specie infima, & atoma.

3. Et vt efficaciam rationis intelligas, nota tunc obiectum esse vnum in esse scibili, quando omnes conclusiones cadunt sub eadem ratione formali *sub qua*; seu quando idem medium inducit ad cognoscendas vniuersas passiones eiusdem obiecti. Quæ doctrina colligitur ex Sancto Doctore 1. 2. q. 54. art. 2. ad vltimum: vbi docet, quod eodem modo se habet principium demonstrationis in scientia, sicut se habet finis in moralibus, sed in moralibus ea, quæ sunt ad finem aliquem determinatum, quamuis in esse rei sint plura & diuersa; tamē si in esse moris sunt vnum, constituunt vnum voluntatis specificatiuum; vtiq; quia secundum Philosophum, *vbi plura sunt propter vnum, ibi est vnum tantum*; ergo in scientijs ea, quæ dimanant ab eadem ratione formali *sub qua* infima, & atoma, seu ab eodem principio demonstrationis, licet in esse rei sint diuersa, valent in esse obiecti cōstituere vnum intellectus specificatiuum. Ratio est, quia sicut media non inspiciuntur ab intendente finem, nisi in quantum conducunt ad certum & determinatum finem, & ideo iudicantur, & sunt in esse moris eiusdem rationis; sic illa, quæ in esse entis sunt diuersa, non respiciuntur à scientia, nisi in quantum cadunt sub eadem ratione formali *sub qua*, seu sub eodem principio demonstrationis, & cognoscuntur per certum & determinatū medium; & ideo in esse scibilis sunt eiusdem rationis infimæ, & atomæ.

4. Hæc doctrina diuersis valet declarari exemplis, nam omnia, quæ à fide diuina creduntur, licet in esse rei sint diuersa, in esse tamen credibilis, seu in ordine ad fidem sunt vnum; non alia ratione, nisi quia stant sub eadem ratione formali *sub qua* infima, & atoma, scilicet, sub diuina reuelatione: & similiter plura obiecta potentiæ visiuæ in esse rei distincta, sunt vnum in ordine ad potentiam visiuam, quia in esse obiecti,

iecti, seu in ordine ad illam stant sub eadē ratione formali *sub qua* specifica; ergo plura instrumēta Logica in esse rei diuersa possunt adunari ad vnitatem specificam Logicæ, si in esse scibili sunt vna in specie infima, & atoma.

5. Nec valet dicere, quod in nostra Dialectica sint plures assensus scientifici, & plures opinatiui. Non (inquam) valet, nā hic non loquimur de habitu Logico opinatiuo absque dubio distincto à scientifico ordinato ad diuersa obiecta in esse scibili; sed solum de scientifico ordinato ad idem obiectum in esse scibili.

§. II.

Notantur aliqua.

6. PRo quæstionis intelligētia noto primo cum communi sententia, quod in formis accidētalibus materialibus absolutis duplex reperitur augmentum in ordine ad subiectum; intensiuum vnum, & extensiuum aliud: intensiuum datur, quando eadem forma acquirit in eadem parte subiecti nouam perfectionem; vt cum albedo existens in eadē parte parietis acquirit nouam perfectionem, ratione cuius paries dicitur magis albus; extensiuum vero datur, quando eadem forma secundum diuersas partes, quæ illi aduenient, extenditur ad informandas diuersas eiusdem subiecti partes: vt cum albedo diuersas eiusdem parietis actuat partes.

7. In formis autem spiritualibus absolutis, licet solum reperiatur penes ordinem ad subiectum intensiuum augmentum; tamen penes ordinem ad obiectum formæ spiritualis respectiuæ, vtrumque possident augmentum: intensiuum, quando eadem forma magis & magis penetrat eiusdem obiecti, seu conclusionis veritatem: extensiuum autem, quando eadem forma per diuersas demōstrationes diuersas cognoscit cōclusiones.

8. Augmentum extensionis diuiditur in formale, & virtuale: formale, quod solum reperitur in formis materialibus, consistit in hoc, quod eadem forma acquirat diuersas partes ad informandas distinctas subiecti partes: virtuale, quod etiam datur in formis spiritualibus, cōsistit in hoc, quod eadem forma absque alicuius entitatis superadditione extendatur ad nouam partē subiecti, vel obiecti adæquati; vt videre est in anima rationali respectu corporis, & in intellectu respectu diuersarum veritatum: dicitur autem hoc augmentum virtuale, quia ratione illius eadem forma, seu eadem simplex qualitas præstat in ordine ad subiectum, vel obiectum quidquid præstaret forma formaliter extensa, quæ plurimas haberet partes. De augmēto intensiuo agitur latè in libris de generatione, vbi propriam se-

sedem habet disp. de intensione qualitatis; & ideo modo solum disputamus de augmento extensiuo habitus; an videlicet, quando habitus Logicæ (idemque de alijs habitibus proportione seruata) per diuersas demonstrationes ad nouas transit conclusiones acquirat augmentum formale, seu solum virtuale? vel quod idem est, an acquirat partiales entitates, ex quibus vnus Logicæ habitus componatur? vel an eadem indiuisibilis qualitas per primam demonstrationem producta extendatur absque additione entitatiua ad attingendas omnes conclusiones sub eadem ratione formali contentas?

9. Noto secundo ex D. Thoma 1. 2. q. 54. art. 4. nomen scientiæ vsurpari tripliciter: primo pro scientia causaliter: secundo pro scientia effectiue: & tertio pro scientia formaliter. Scientia causaliter, seu per modum causæ accepta, sunt species intelligibiles cum intellectu concurrentes ad habitus scientię productionē. Scientia effectiue, seu per modum effectus sumpta est assensus scientificus, non antecedens, sed consequens scientiam, nam antecedens se habet per modum causæ cum speciebus, & intellectu. Scientia denique formaliter vsurpata est habitus, qui causatur ab assensu scientifico antecedenti, & qui causat assensum scientificum cōsecutū. His suppositis pro quæstionis captu.

§. III.

Referuntur sententiæ.

10. IN hoc præclaro certamine diuersas inuenio sentētias. Prima distinguit habitus intellectus, & voluntatis, & asserit intellectus esse compositos, voluntatis vero simplices. Sic Soncinas 6. Metap. q. 6. vbi affirmat habitus intellectuales non distingui ab speciebus intelligibilibus, quæ in opinione Thomistarum scientificum causant habitum.

11. Secunda vero sentētia sentit omnes habitus existentes in intellectu, & appetitu non habere simplicitatem, nec vnitatem, sed esse compositos ex pluribus entitatibus per quandam collectionem, seu coordinationē vnitis; sic Aureolus in prologo sententiarum. Scotus q. 3. dub. 2. Gregorius q. etiam 3. artic. 1. Okam. q. 1. & 9. Gabriel q. 8. & alij in eodem loco.

12. Tertia sententia affirmat habitum scientificum esse qualitatem per se vnam; non tamen simplicem, & incompositam, sed diuisibilem, & compositam ex partibus inter se vnitis in ordine ad diuersarum conclusionum assensum: pro hac referuntur Capreolus q. 3. prologi. Soncinas loco supra citato. Sotus quæst. 3. procemialium. Toletus ibi. q. 3. Fonseca lib. 2. Metap. cap. 7. q. 5.

sect. 2. & Pater Suarez dispu. 44. per totam. Et pro coronide pro hac citant Doctorem Sanctum 1. 2. q. 54. art. 4. ad 3. sed immerito, vt ex dicendis infra constabit.

13. Quarta & vltima sententia docet habitum scientificum non solum esse qualitatem per se vnam, sed etiam esse formaliter simplicem, & indiuisibilem. Ita Diuus Thomas. Caietanus 1. 2. q. 54. art. 4. Capræolus q. 3. prologi. Ferrara 1. contra Gentes cap. 56. Henricus quodlib. 9. q. 4. & omnes recentiores Thomistæ. In horum placitũ sit nostra.

§. IV.

Prima conclusio.

14. LOgicæ habitus, quatenus demonstratiuè se extendit ad omnes conclusiones sub modo sciendi vt sic contentas, est vna simplex qualitas, quæ ratione extensionis virtualis hæc omnia valet præstare. Probatur primo authoritate Diui Thomæ, nã 1. 2. q. 54. art. 4. ex professo quæstionem istam versat, & resoluit his verbis. *Respondeo dicendum, quod habitus ad operationem ordinatus est perfectio quædam potentiæ, omnis autem perfectio proportionatur suo perfectibili: vnde sicut potentia, cum sit vna, ad multa se extendit, secundum quod conueniunt in vno aliquo, idest, in quadam ratione obiecti; ita etiam habitus ad multa se extendit secundum quod habet ordinem ad aliquid vnum; puta ad vnam specialem rationem obiecti.* Et infra. *Si consideramus habitum secundum ea, ad quæ se extendit, sic inuenimus in eo quandam multiplicitatem; sed quia hæc multiplicitas est ordinata ad aliquid vnũ, ad quod principaliter respicit habitus, inde est, quod habitus est qualitas simplex, non constituta ex pluribus habitibus, etiam si ad multa se extendat.* Quid clarius? in his expresse Doctor Aquinas nõ solum tribuit habitui vnitatem cõpositam, sed simplicitatem indiuisibilem: tum quia illum assimilat in simplicitate potentiæ: tum quia expresse docet habitum esse qualitatem ex pluribus habitibus non constitutam.

15. Nec contrarijs fauet Diuus Thomas in solut. ad 3. vt exiistimauit Suarez loco supra citato, vbi sic fatur: *Ille, qui in aliqua scientia acquirit per demonstrationẽ scientiam conclusionis vnius, habet quidem habitum, sed imperfectè; cum vero acquirit per aliquam demonstrationem scientiam conclusionis alterius, nõ aggeneratur in eo alius habitus, sed habitus, qui prius inerat, fit perfectior.* Non (inquam) eis fauet in vltimis verbis, nam si hæc verba cõiungantur cum corpore articuli absque dubio nõ loquitur Diuus Thomas de perfectione formali, & entitatiua, sed solum de virtuali, & æquiualenti: aliàs aggeneraretur in eo alius partialis habitus, & non esset simplex qualitas ea simplicitate, qua potentia, in qua inhæret, est simplex, & indiuisibi-

uisibilis qualitas, vt expresse docet in hac solutione, & in corpore articuli.

16. Secundo probatur ratione, qua illam probat D. Thomas in corpore articuli. Habitus Logicæ est perfectio potentiæ intellectiuæ illam adiuuans per modum comprincipij in ordine ad modi sciendi cognitionẽ, sed omnis actus perficiẽs subiectũ, in quo est, debet proportionari cũ subiecto, in quo est; ergo Logica existẽs in intellectu, tanquam in subiecto propio, debet cum illo proportionari: atqui intellectus est simplex, & indiuisibilis qualitas nullam habens compositionem, seu augmẽtum formale in ordine ad diuersas conclusiones sub ente vt sic cõtentas; ergo Logica in ordine ad conclusiones sub modo sciẽdi vt sic cõtẽtas est simplex qualitas nullam habens compositionem, seu augmentum formale; aliàs non proportionaretur cum potentia, in qua inhæret.

17. Respondet Pater Suarez disp. 44. sect. 11. n. 58. proportionem inter potentiam, & habitum seruãdam esse quoad fieri potest; nõ autem posse quoad simplicitatem, quia potentia dimanat à natura ipsa; habitus vero ab ipsis actibus inter se distinctis.

18. Sed contra est primo, nam licet verum sit, quod potentia intellectiua ab actibus effectiue nõ depẽdeat; tamen ab illis depẽdet in genere causæ formalis, & finalis specificantis, absq; eo quod talis actus multiplicitas inferat in intellectu multiplicitatẽ, seu cõpositionẽ formalem; ergo ex eo, quod habitus Logicę dependeat ab actibus in genere causæ effectiuæ, nõ sequitur, quod illorũ formalis cõpositio reluceat in habitu Logico; vtiq; quia qualitates operatiuę magis depẽdẽt à causa specificante, ac à causa efficiente.

19 Secundo, quia rationes veri, & boni formaliter diuersificãtur, ideo non vna, sed duplex potẽtia consequitur ad animę naturã; videlicet, intellectus, & volũtas ab ipsis specificatę; ergo quod plures partiales intellectus non dẽtur in ordine ad diuersas veritates, non dimanat ex eo, quod intellect⁹ cõsequitur ad animã formaliter simplicẽ, cũ ipsa valeat plures intellectus radicare, si necessitas rationũ formaliũ id exposceret; sed ex eo, quod omnes conclusiones cadunt sub eadem ratione formali; atqui omnes cõclusiones Logicæ cadunt sub eadem ratione formali directiua operationũ intellectus abstrahente ab omni materia negatiua; ergo vnus, & simplex habitus Logicæ sufficit ad omnes cõclusiones Logicas, etiã si ex actibus in esse rei distinctis effectiue dimanet.

20. Tertio, voluntas à natura animæ dimanat, & virtutes morales nostris actibus acquirũtur; & tamen istæ habent proportionem in simplicitate cum voluntate, in qua sunt, quia licet extẽdantur ad plura in esse rei, sunt

vna

vna in honestate, sub qua attinguntur à virtute morali; ergo à simili non obstat, quod intellectus dimanet à natura animæ, & Logica ab actibus Logicæ, vt seruent proportionem in simplicitate; præcipuè cum omnes intentiones Logicæ cadant sub eadem ratione formali in esse obiecti.

Pater Suarez loco supra citato cõcedit antecedens, & negat consequentiam: quam sic probo primo, quia instantia est absque aliqua disparitate. Secundo, quia si supponamus temperantiam acquiri primo per actum, quo quis abstinetur à potu; tunc talis habitus non extenditur ad abstinẽdum à cibo, vsque dum per alium actum specie diuersum acquiratur in habitu temperãtiæ talis inclinatio; & tamen temperãtia ex primo actu genita extẽditur virtualiter ad tale obiectum absque superadditione alterius partialis temperantiæ; ergo ex eo, quod Logica genita ex primo actu nõ extendatur ad omnia obiecta, vsque dum per diuersas demonstrationes augeatur, non sequitur, quod sit formaliter composita. Tertio, nam quo potentia est perfectior, eo vniuersalioribus ornatur principijs; vt videre est ex D. Thoma 1.p.q.55.art.3. de speciebus impressis Angelorum, sed intellectus est volũtate perfectior (vt communiter docent Theologi vno excepto Scoto) ergo Logica, & omnes intellectus habitus debent esse simpliciores virtutibus voluntatis, hoc est, excedere, vel saltim æquare in vniuersalitate virtutes voluntatis: sed in opinione Patris Suarez virtutes morales voluntatis non admittunt formalem compositionem in ordine ad obiecta, quæ cadunt sub eadem ratione boni; ergo nec Logica, nec alij habitus intellectus illam admittunt in obiectis existentibus sub eadem ratione veri.

Sed quia aliqui negant antecedens tertiæ impugnationis; videlicet, quod virtutes morales sint simplices, ideo contra illos probatur, nam in horum Doctorum opinione ideo virtutes morales sunt compositæ, quia virtutes morales respiciunt actus inter se diuersos, nam adhuc victa difficultate circa abstinentiam à cibo, remanet in temperantia morali nostris actibus acquisita noua difficultas circa abstinentiam à potu, sed in temperantia infusa etiam reperiuneur hæ difficultates absque eo, quod aduersarij admittant in illa aliquam formalem, seu entitatiuam compositionem; ergo virtutes morales nostris actibus acquisitę absque omni compositione valent terminari ad omnes suos actus.

21. Nec valet dicere, quod virtutes infusæ non acquiruntur nostris actibus, sicut acquisitę. Non (inquam) valet, nam hoc effugium manet iam præuisum, & clausum num. præcedenti.

His

22. His non obstantibus conatur Suarez, qui admittit antecedens, ne dum de virtutibus infusis, sed etiam de acquisitis disparitatē reddere inter virtutes appetitus, & habitus intellectus: asserit namque quod virtutes morales infusæ, & acquisitæ habent in omnibus suis obiectis idem motiuum, seu eandem honestatem; at vero habitus intellectus nullo modo respiciunt obiecta sub eadem ratione formali; & ideo in istis, non vero in illis requiritur formale, seu reale augmentū. Sed hæc euasio solo nomine pollet euasionis, nā vel loquitur de vnitate materiali, vel de formali obiectorum; si de materiali, certum est, quod in virtutibus non reperitur, cū partialia obiecta virtutis infusę, & acquisitę sint inter se materialer diuersa, nam voluntas prompta, & facilis ad bonum tēperantiæ, quod reperitur in cibo, manet multoties difficilis ad bonum temperantiæ, quod reperitur in potu; sicut intellectus prōptus, & facilis ad veritatem repertam in vna conclusione Logica, manet etiam difficilis ad veritatem alterius cōclusionis Logicæ. Si de formali, etiam est certum, quod eadem veritas, & eadē abstractio negatiua ab omni materia reperitur in omnibus obiectis Logicis, cum omnia obiecta partialia Logicæ percipiantur sub modo sciendi vt sic; ergo disparitas adducta est prorsus nulla.

§. V.

Aliquæ obiectiones contra rationem Diui Thomæ.

23. OBijcies primo, actus est potētiæ, & habitus perfectio intrinseca; & tamen non proportionatur cum illis in extensione, & vnitate, cum actus multiplicentur formaliter, & entitatiuè iuxta obiectorum multiplicitatē; ergo ex eo, quod habitus sit potentiæ perfectio, non sequitur, quod debeat proportionari cum illa in extensione, & vnitate; præcipuè cum habitus nō extendatur ad omnia, ad quæ extēditur potentia. Respōdetur distinguendo maiorem, actus est potentiæ, & habitus perfectio, per modum comprincipij, nego maiorem, per modum termini, concedo maiorem, & minorem; & nego consequentiam, nam D. Thomæ ratio non procedit de quocumque perficiente; sed de perficiente per modum comprincipij, nam perfectio termini importat limitationem, sicut principium latitudinem, & extensionem.

24. Replicabis, actus non solum perficit potentiam per modum termini, sed etiam per modum comprincipij; vtique quia (vt videbimus in libris de anima lib. 2. dis. 2. q. 1. per totam) habitus causatur ex actibus; ergo solutio tradita est nulla. Respon-

derur

detur distinguendo antecedens, perficit potentiam per modum comprincipij, per se primo, & vt causa principalis habitus, nego antecedens, per se secundo, & vt causalitas potentiæ, vel vt causa instrumentalis habitus, concedo antecedens; & nego consequentiam, nam actus per se primo solum est terminus potentiæ, licet per se secundo vt causalitas potentiæ, vel vt causa instrumentalis habitus causet cum potentia habitum: de ratione autem causalitatis, & causæ instrumentalis est limitare, & determinare potentiã per modum vltimæ actualitatis; & ideo semper in actu reperitur limitatio, sicut in habitu extensio, & vniuersalitas.

25. Obijcies secundo, species impressæ, ad distinctionem expressarum perficiunt potentiam per modum comprincipij, cum secundum Philosophum, *Ab obiecto, & potentia parantur notitia*; & tamen nõ seruant proportionem in vnitate cum potentia, sed multiplicantur ad obiectorum multiplicitatem; ergo ex eo, quod Logica perficiat potentiam per modum comprincipij, non sequitur, quod proportionetur cum illa in vnitate, & extẽsione. Respondetur primo distinguẽdo maiorem, species impressæ perficiunt potentiam per modum cõprincipij, proprij, & rigorosi ipsius potentiæ, nego maioré, improprij, & metaphorici gerentis vicem obiecti, cui subordinãtur, concedo maiorem, & minorem; & nego consequentiam iuxta distinctionem maioris, nã Logica subordinatur intellectui vt comprincipium propriè effectiuum; at verò species impressæ nõ subordinantur potẽtiæ, sed obiecto, cui deseruiunt, nõ vt principium efficiens, sed vt formale; vt late videbitis in lib. 3. de Anima, disput. vnica. q. 4. per totã; & ideo species non debent proportionari cum potentia in vniuersalitate, sicut habitus illam coadiuuãtes. Respondeo secundo concedendo maiorem, & negando minorem, nam species, sicut potentiæ, & habitus non multiplicãtur ad multiplicationem materialem, sed formalem obiectorum, nam (vt docet D. Tho. loco citato 1. p.) quando plura obiecta conueniũt in eadem ratione formali repræsentabilitatis, tunc eadem species sufficit ad illorum omnium cognitionem.

26. Replicabis, ex eo species impressa nõ proportionatur cum potentia, sed cum obiecto, quia est quasi semen ex illo decisum, vt illius vices gerat, sed etiam habitus est quasi semen ex actibus distinctis decisum; ergo cum illis, & non cum potentia debet commensurari. Respondeo distinguendo maiorem, ex eo species impressa nõ proportionatur cum potentia, sed cum obiecto, quia est quasi semen ex illo decisum, præcisè, nego maiorem, quia est quasi semen, & quia ei subordinatur,

tur concedo maiorem; & distinguo minorem, habitus est quasi semen decisum ex actibus, præcisse, nego minorem, ex actibus, & ex potentia, cui subordinatur, concedo minorem; & rego consequentiam, nam habitus licet dimanet ex actibus; tamen nõ eis subordinatur (sicut species impressa obiecto) sed potentiæ, cui deseruit in ordine ad obiecti cognitionem; & sic habitus debet commensurari cum vniuersalitate potentiæ, & non cum limitatione actuum; at vero species impressa semper subordinatur obiecto, & ideo cum eo debet proportionari.

27. Instabis, species impressa ab obiecto dimanans subordinatur vniuersaliori principio, videlicet, intellectui agenti, & tamẽ non commensuratur cum principij vniuersalitate, sed cum limitatione obiecti; ergo ex eo, quod habitus subordinetur intellectui, non sequitur, quod debeat commensurari cum illo. Respondeo negando maiorem, nam licet verum sit, quod species intelligibilis dimanet à phantasmate, & intellectu agente, tamen intellectus agens non subordinat sibi, sed obiecto speciem; vtique quia species intelligibilis non gerit vices intellectus agẽtis, sed obiecti, cui assimilatur, & ideo non importat proportionem cum intellectu agente, sed cum obiecto; at vero habitus dimanans ex actibus, & ex potentia subordinatur potentiæ principaliter, cum illã coadiuuet in ordine ad operationem, & sic debet potentiæ commensurari.

28. Obijcies tertio, habitus luminis gloriæ est intellectus supernaturalis perfectio; & tamen non commensuratur potentiæ in latitudine, cum ad vnum tantum sit actum, nempe ad visionem claram Dei; ergo ratio adducta non tenet. Respõdetur cõcedẽdo maiorem, & negando minorem, nã quando actus est tantæ perfectionis, & efficaciæ, vt percipiat totã perfectionem obiecti, tunc vnus sufficit ad satiandam efficaciam potentiæ, & habitus, vt accidit in casu obiectionis; at vero hoc non contingit in Logica, nec in alijs habitibus; & sic tunc non est principium vnius, sed plurium actuum.

§. VI.

Secunda conclusio.

29. VT Logicæ habitus extendatur ad secundam conclusionem non indiget superadditione alicuius modi realiter distincti, sed idem met habitus, qui fuit productus per primã demonstrationem in ordine ad primam conclusionem, extenditur absque nouo modo reali ad secũdam ratione virtualis extensionis. Est contra aliquos Thomistas. Et probatur primo ex Diuo Thoma loco supra citato: vbi docet

docet habitum intellectus commensurari potentiæ intellectiuæ, sed potentia intellectiua non solum excludit compositionem ex partialibus potentijs, sed etiã ex partialibus modis; ergo iuxta mentem Diui Thomæ habitus Logicæ in intellectu existens vtrumque excludit compositionẽ. Confirmatur, & explicatur mens Diui Thomæ, potentia intellectiua absque modo superaddito se extẽdit ad omnia obiecta, quæ cadunt sub ratione entis, sed Logica debet cum illa proportionari in modo attingẽdi obiectũ; ergo absque aliquo modo debet se extendi ad omnia obiecta, quæ cadunt sub modo sciendi. Maior, & minor sunt certæ: consequentia probatur, nam ex eo infertur Logicam acquisitam per primam demonstrationem in ordine ad primam conclusionem non indigere partiali habitu superaddito in ordine ad secundam conclusionem, quia potentia non indiget in ordine ad secundam cõclusionem partiali potentia, sed potentia in ordine ad secundam cõclusionem non indiget partiali modo; ergo nec Logica illo indiget: alias ratio non teneret.

30. Secundo probatur ratione efficaci, ex eo in opinione omniũ Thomistarum; substantia nõ valet extendi ad actum operandi, quia esse, & operari non se habent vt actus inadæquati, sed omnes conclusiones Logicæ sunt obiecta inadæquata illius; ergo idem habitus Logicæ absque superadditione alicuius modi potest se extendi ad omnes conclusiones Logicas. Cõfirmatur hęc ratio, si actus operandi esset inadæquatus, substantia absque aliquo modo se extẽderet ad illum, sed secunda conclusio à Logica attacta per secundam demonstrationem est obiectum Logicæ inadæquatum; ergo Logica absque superadditione noui modi valet se extendi ad secundam cõclusionem.

31. Tertio, virtutes morales acquisitæ nõ indigent modo aliquo superaddito, vt extendantur ad omnia obiecta, quæ cadũt sub eadẽ ratione honestatis; ergo idem est dicendum de habitibus scientificis. Consequentia constat à simili: antecedens probatur ex Diuo Thoma 1.2. q. 66. art. 1. in corp. vbi sic fatur. *Quicunque autem habet aliquam virtutem, puta temperantiam, habet ipsam quantum ad omnia, ad quæ se temperantia extendit*, at si indigeret modis ad talem extensionem, non haberet semper omnia, quæ sunt necessaria ad talem extẽsionem; ergo secundum mentem Diui Thomæ virtutes morales acquisitæ non indigent modo superaddito, vt extẽdantur ad omnia, quæ cadunt sub eadem ratione boni honesti.

32. Nec refert, si dicas Diuum Thomam debere intelligi de virtutibus in ratione virtutum; non vero de illis in ratione habitũ.

Non

Non (inquā) refert, primo, quia virtutes morales essentialiter cōtinētur in genere habitus; vt docet Diuus Thomas 1.2.q.55.ar. 1. ergo si in ratione virtutis non sunt capaces augmenti modalis intrinseci, nec in ratione habitus erunt capaces talis augmēti. Secundo, quia virtutes morales in esse habitus vt sic, non ordinantur ad proprium obiectum, vsque dum explicet perfectionis statū, seu rationem differentialem talis habitus; ergo tale augmentum modale in ratione habitus impertinenter excogitatur ab his Doctoribus, vt extendatur ad alia obiecta, quæ cadunt sub eadem ratione formali, si virtutes in ratione virtutis non indigent tali augmento modali.

§. VII.

Obijciuntur aliqua contra secundam conclusionem.

33. OBijcies primo contra cōclusionem, & primam rationem pro nobis adductam, nā Diuus Thomas loco supra citato non vult habitum assimilari potentiæ in omni sua simplicitate; alias sicut potentia non est intēsibilis, nec extensibilis in ordine ad proprium subiectum, sic habitus non esset intensibilis, nec extensibilis in ordine ad illud: quod est plusquam falsum; ergo ex eo quod Diuus Thomas asserat habitum proportionari potentiæ, nō sequitur, quod debeat ei proportionari in omni simplicitate. Respondetur negando antecedens, nam in loco relato Diuus Diuus Thomas loquitur de simplicitate habitus, quam probat ex potentiæ simplicitate; & sic ei debet commensurari: alias ratio Diui Thomæ esset diminuta. Nec sequela adducta est contra nōstram explicationem, nam in tali loco Angelicus Magister nō disputat de intensione, vel extēsione habitus; & sic manet in hoc anceps mens Diui Thomæ.

34. Obijcies secundo, victa difficultate per primam demonstrationem circa primam conclusionem manet in potētia difficultas ad secundam, sed vt prima vincatur difficultas, ponitur in potentia per primam demōstrationem aliquod intrinsecum; ergo vt vincatur secunda difficultas per secundam demonstrationē, debet etiam poni in potētia aliquod intrinsecum. Respōdetur concedēdo maiorem, & minorē; & distinguendo consequens, vt vincatur difficultas secunda, debet poni aliquod intrinsecum præexistens, concedo consequētiam, de nouo superadditum, nego consequentiam, nam sicut in partibus non vnitis sufficit applicatio de nouo aduenies absq; superadditione alicuius modi, vt partes dicantur intrinsece vnitæ; sic noua applicatio habitus præxistentis facta per secundam demonstrationem in ordine ad secundam cōclusionem

nem sufficit, vt secunda superetur difficultas.

35. Replicabis, cum habitu vt erat in potentia anteuertēter ad secundam demonstrationē cōpatiebatur difficultas circa secundam cōclusionē; ergo si superatur talis difficultas per habitum præexistentē vt perfectum, ex vi secundę demonstrationis erit, quia ex vi illius modificatur per aliquid intrinsecum. Respondetur distinguendo antecedens claritatis gratia, cum habitu vt erat in potentia compatiebatur difficultas circa secundam cōclusionem, contentā sub eadem ratione formali, qua erat prima, cōcedo antecedens, contentam sub distincta ratione formali, nego antecedēs; & distinguo cōsequēs, habitus modificatur per aliquod intrinsecum, expressiuè distinctum, concedo consequentiam, modaliter distinctum, nego cōsequentiam, nam si habitus existens in potentia circa primam cōclusionem non superat difficultatem, quam habet circa secundam, vsq; dum perficiatur per secundā demonstrationē, non est, quia ei deficiat entitas, vel modus; sed quia deficit ei connotatio, & applicatio ad species talem cōclusionem repræsentantes. Quod totum instari potest in partibus nō vnitis, in quibus datur intrinsecus vnionis effectus absque superadditione entitatis, vel modi per hoc, quod partes cōnotent actionem agentis: & similiter Pater non relatus ad secundum filium refertur ad illum absque superadditione alicuius intrinseci per solam termini positionem.

Et rario dimanat ex discrimine, quod datur in formis absolutis, & respectiuis in ordine ad suos effectus, nam absolutæ tantum dependent à capacitate subiecti, vt ei omnes præstent effectus; relatiuę vero non solum dependent à subiecto, in quo sūt, sed etiam ab aliquo extrinseco: huius generis est habitus, qui dependet à connotatione specierum, vt superet difficultates potentiæ.

36. Non quiescas, adhuc posito habitu per primam demonstrationem circa primam conclusionē remanet difficultas intrinseca in ordine ad secundā cōclusionem, sed intrinseca difficultas per intrinsecam facilitatē sibi incompossibilē debet vinci; ergo habitui debet superaddi aliquid intrinsecum, vt talis superetur intrinseca difficultas. Respōdetur distinguēdo maiorē, posito habitu per primā demonstrationē circa primā conclusionem remanet difficultas circa secundam cōclusionem, defectu cōnotati, vel expressionis, cōcedo maiorē, defectu entitatis, vel modi, nego maiorem; & distinguo minorem, intrinseca difficultas debet vinci per intrinsecam facilitatem, præexistentē, concedo minorem, de nouo superadditam; iterum subdistinguo minorē, de nouo superadditam, quoad expressionem, & con-

connotationem, concedo minorē, quoad entitatē, vel modum, nego minorem, & consequētiam iuxta distinctionem minoris, nā (vt dixi) noua expressio connotans aliquod extrinsecum sufficit ad hoc, vt formæ respectiuæ tribuant subiecto intrinsecum effectum, quem antea non præstabāt defectu expressionis extrinsecum connotantis.

73. Obijcies tertio, si in præsenti admittitur recursus ad expressionem, & extrinseca cōnotata ad superandam potentię difficultatem in ordine ad secundā cōclusionem, nulla remanet efficax ratio ad probandam necessitatē habitus in ordine ad primā conclusionē, hoc non valet sustineri; ergo nec quod noua expressio sufficiat in habitu prēexistēte ad vincendā difficultatē intrinsecā potentiæ in ordine ad secundā conclusionem. Probo maiorem, ideo Doctores admittunt habitum à potentia distinctū produci per primam demonstrationem in ordine ad secundam cōclusionē, quia potentia ex se antecedenter ad primam demonstrationē erat intrinsece difficilis, & postea fit intrinsece facilis (nec alia ratio valet assignari) sed si nunc valet recursus ad expressionem, & extrinsecum connotatum, etiam potest dici potentiam reddi facilem ad primam cōclusionem per nouam expressionem connotantem aliquod extrinsecum; ergo inefficax redditur ratio, quæ cōcludit necessitatem habitus in ordine ad primam cōclusionem.

Sed hęc obiectio multum probat, nam ex illa non solum sequitur habitum indigere super additione modi intrinseci in ordine ad secundam conclusionem, sed etiā entitatis habitualis partialis; quod est cōtra mentē Doctoris Sancti, & Doctorū, qui in hac parte pro nobis nō stāt; ergo hęc obiectio nihil (quia multū) probat. Probo sequelam, ex eo asserūt in præsenti habitum esse perficiendum per modum intrinsecum in ordine ad secundam conclusionem, quia manet potentia intrinsece difficilis, sicut erat antecedenter ad habitum in ordine ad primam conclusionem, sed difficultas intrinseca in ordine ad primam conclusionem exigit nouam entitatem habitualem, & non solum nouum modum; ergo difficultas intrinseca in ordine ad secundam conclusionem exposcit non tantum nouum modum, sed etiam nouam entitatem habitualē; quod non dicent; ergo sequela tenet.

Quare respōdetur ad obiectionem negando maiorem, nā etiam si detur recursus ad expressionem, & extrinsecum cōnotatum ad vincēdam difficultatem in ordine ad secundam conclusionem, non datur talis recursus ad vincendam difficultatem in ordine ad primam conclusionem. Ratio est, nā non ex eo ponitur in potētia habitus ab illa distinctā in ordine

dine ad primã cõclusionem, quia erat in potentia antecedenter ad habitũ intrinseca difficultas; sed quia talis difficultas erat in ordine ad obiectum formale habitus; victa ergo hac difficultate in ordine ad primã conclusionẽ nõ remanet intrinseca difficultas in ordine ad obiectũ formale, sed tãtũ in ordine ad materiale, quod stat sub eadem ratione formali primę conclusionis: & ideo tunc sufficit extẽsio virtualis, noua expressio, seu connotatio in ordine ad diuersam materiam. Cõstat à simili in relatione paternitatis, quę necessaria est in generante in ordine ad primum filium, absq; eo quod noua paternitatis relatio, vel nouus modus intrinsecus sit necessarius in generãte in ordine ad secundum filium, non alia ratione, nisi quia secundus filius habet eandem rationem formalem terminatiuam cum primo filio.

38. Obijcies quarto supponẽdo simul cum habitu scientifico circa primam conclusionẽ habitualem, errorem esse circa secundam: quo supposito sic insurgo, talis habitus intrinsecè mutatur ex vi secundæ demõstrationis: tũ quia ex vi alicuius entitatis, vel modi producti per demõstrationem redditur intrinsece incompossibilis cum habitu erroris; tũ quia ex vi illius destruitur habitus erroris, & cõsequenter acquiritur aliquid in habitu, per quod opponatur errori, sed omnis mutatio intrinseca est transitus de non esse termini intrinseci ad esse termini intrinseci; ergo ex vi talis demonstrationis acquirit habitus aliquem modum intrinsecum, ratione cuius mutatur. Respondetur distinguendo maiorem, ex vi secundæ demonstrationis habit⁹ mutatur intrinsece, expressiuè, concedo maiorem, intrinsece, entitatiue, nego maiorem; & distinguo minorem, omnis mutatio est transitus de non esse entitatis, expressionis, seu cõnotationis, ad esse entitatis, expressionis, seu connotationis, concedo minorem, de non esse entitatis ad esse entitatis tãtum, nego minorem, & consequentiam, nam vt detur mutatio realis vera, & intrinseca sufficit, quod transeat de non esse expressionis, seu connotationis realis, & veræ, ad esse expressionis, seu cõnotationis realis, & verę, absque eo quod de nouo acquirat nouam entitatem, seu modum: non aliter ac in opinione asserente partes vniri absque aliquo modo ab ipsis partibus distincto, partes dicũtur intrinsece, & realiter vnitæ per solum aduentum nouæ expressionis, seu nouæ cõnotationis, sed de hoc latius in Philosophia lib. 2. dis. 3. q. 2. per totam. Ad primam probationem maioris dico verum esse habitum erroris circa secundam conclusionem non excludi per habitum præexistentem circa primam conclusionem secundum se acceptum; bene tamen per ipsum vt

vir-

virtualiter extensum, vel quod idem est, per ipsum vt connotantem secundam conclusionem ex vi secundæ demonstrationis. Per quod patet ad secundam probationem; nam licet habitus erroris non destruatur per habitum scientificum præexistentem circa primam conclusionem secundum se acceptum; destruitur tamen per ipsum vt virtualiter applicatum ad secundam conclusionem ex vi secundæ demonstrationis.

§. VIII.

Argumenta, quæ primæ conclusioni obstant.

39. ARguitur primo in fauorē aduersariorum, & contra primam conclusionem Logica sicut omnis habitus scientificus participat per modū generis rationem dispositionis; vtiq; quia dispositio est genus ad dispositionem, & habitum; vt dicitur in prædicamento qualitatis; sed secundum Philosophum 5. Metap. text. 24. *Dispositio est ordo habentis partes*; ergo Logica est qualitas ex his partibus composita.

Respondetur primo concedēdo maiorem, & explicando mentē Philosophi, dispositio est ordo subiecti habentis partes, concedo minorem, est ordo in se habens partes, nego minorem, & consequētiam, nam Philosophus in his verbis non intendit tribuere dispositioni partes, sed subiecto, in quo recipitur. Secundo respōdetur concedēdo maiorem, & distinguendo minorem sumptam ex Philosopho, dispositio est ordo habēs partes virtualiter, seu expressiuè distinctas, concedo minorem, formaliter, & entitatiuè distinctas, nego minorem, & consequentiam, nam cum simplicitate entitatiua qualitatis compatitur distinctio virtualis in ordine ad diuersas conclusiones.

40. Arguitur secundo. Logica in quantum disputat de diuisione, definitione, & argumentatione respicit obiecta diuersa, nedum in esse rei, sed in esse scibilis; ergo absolute est composita. Cōsequentia est certa: antecedens probatur, quia diuersa sunt media, & principia, per quæ Logica demonstrat passiones de diuisione, definitione, & argumentatione; ergo Logica disputans de diuisione, definitione, & argumentatione respicit obiecta in esse scibilis diuersa.

Respondetur negando maiorem, nam licet Logicus demonstret passiones ex his speciebus modi sciendi per diuersa principia in esse rei; non tamen in esse scibilis, cum omnia hæc principia percipiantur à Logico sub modo sciendi vt sic, vel sub eadem abstractione à materia; vt dictum est in discursu quæstionis.

41. Arguitur tertio. Maior difficultas reperitur in vna conclu-

sione Logica, quâ in alia; etiam si omnes stent sub eadem ratione formali; ergo ad vincendas has difficultates diuersi debent apponi habitus; non totales; ergo partiales.

Respondetur concedendo antecedens, & distinguendo consequens, ad vincendas has difficultates diuersi debent apponi habitus, formaliter, & entitatiue, nego consequentiam, virtualiter, & expressiue, concedo consequẽtiam, nam difficultates, quas experiuntur in diuersis conclusionibus, non proueniunt ex defectu entitatis habitualis, sed extẽsionis virtualis habitus præexistentis.

42. Arguitur quarto. Multiplicatis demonstrationibus logicis in ordine ad eandem cõclusionem intenditur Logica per additionem nouæ entitatis; ergo similiter multiplicatis demõstrationibus logicis in ordine ad diuersas conclusiones extenditur Logica per additionem nouæ entitatis habitualis; vtique quia augmentum extensiuum est ita perfectius, sicut intensiuum.

Respõdetur negãdo antecedẽs, nam (vt videbitis in libris de generatione) intẽsiuũ habitus augmentum non fit per additionem nouæ entitatis, seu modi; sed solum per hoc, quod magis penetret eandem eiusdem subiecti, vel obiecti partem; sic augmentum extensiuum habitus non fit per additionem nouæ entitatis habitualis; sed solum per hoc, quod virtualiter extendatur ad diuersas eiusdem obiecti cõclusiones.

43. Arguitur quinto. Homo habens habitum Logicæ circa duas conclusiones logicas valet multiplicatis demonstrationibus circa vnam conclusionem intendere habitum Logicæ circa illam, & non multiplicatis circa aliam illum non intendere, sed seruare remissum circa eam: & similiter potest per obliuionem vnius ad assensum illius non inclinare, sed implicat, quod idemmet indiuisibilis habitus Logicę fit circa vnam conclusionem intensus, & circa aliam remissus; & similiter quòd fit in obliuione vnius cum recordatione alterius; ergo habitus Logicæ est ex se compositus.

Respondetur distinguendo maiorem, habitus Logicæ potest intendi circa vnam conclusionẽ, & remitti circa aliam; & similiter inclinare ad assensum vnius conclusionis cum oblitione alterius, secundum eandem virtualitatẽ, expressionem, seu connotationẽ, nego maiorem, secundum diuersas virtualitates, expressiones, seu connotationes, concedo maiorem; & distinguo minorem eodem modo, nam non implicat, quod habitus virtualiter duplex remittatur circa vnam conclusionem, & intendatur circa aliã; sicut nec quod idemmet habitus Logicæ secundus alias virtuali-

tates

tates adunet scientiæ, & artis formalitates.

44. Arguitur sexto. Habitus Logicus genitus per primam demonstrationem in ordine ad primam conclusionem extenditur ad secundam ex vi secundæ demonstrationis eiusdem virtutis, & efficaciæ, sed prima producit habitum à potentia distinctum; ergo secunda producet habitum partialem à primo distinctũ: aliàs erit actio sine termino, & erit efficacia secundæ demonstrationis superflua.

Respondetur cõcedendo maiorem, & minorem, & negando consequentiam, nam ex eo, quod prima demõstratio producat habitum realiter distinctum à potentia in ordine ad difficultatem formalem, non sequitur, quod secunda, quæ solum tendit ad difficultatem materialem, illũ producat, vt dixi supra §. 5. num. 5. Nec ex hoc sequitur, quod secunda demonstratio, quæ essentialiter includit actionem, sit sine termino, & superflua, nam idem habitus sub diuersa virtualitate, & connotatione est sufficiens terminus illius, vt constat in actione intensiua, quæ est eiusdem efficacitur cum alteratiua; & tamen illa solum terminatur ad nouam expressionem, seu virtualitatẽ qualitatis iam productæ ex vi actionibus alterariuæ; & in termino actionis conuersiuæ, qui est corpus Christi nõ de nouo productum quoad substantiam, sed de nouo factum ex pura ratione nouæ virtualitatis, seu expressionis.

45. Arguitur septimo. Habitus logicus genitus per primum actum logicum in ordine ad primam conclusionem nõ valet extendi per alium actum logicum ad secundam conclusionem; vtique quia effectus nequit excedere extensionem causæ illum efficienter causantis, sed actio prima logica, quæ efficienter produxit habitum Logicæ in ordine ad primam conclusionem, non extendebatur ad secundam cõclusionem; ergo per secundam actionem logicam non valet talis habitus extendi ad secundam; ergo alius habitus partialis est necessarius in ordine ad secundam cõclusionem. Hac ratione motus fuit Diuus Thomas 1. 2. q. 9. ar. 6. ad asserendum voluntatem nõ posse produci ab aliqua causa creata, quia cum voluntas ex se tendat in vniuersale bonum, ideo non poterat produci ab aliquo bono particulari.

Respõdetur primo distinguẽdo maiorem, habitus logicus genitus per primum actum logicum in ordine ad primam demonstrationem non potest extendi per alium ad secundam, ex vi eiusdem cõnotationis, vel vt effectus primæ actionis, concedo minorem, ex vi nouæ connotationis, & vt effectus secundæ, nego maiorẽ; & distincta minori eodem modo nego vtramque consequentiam,

nam licet verum sit, quod habitus Logicus vt effectus primæ actionis non possit extēdi ad secundam conclusionem, bene tamen vt effectus secundæ, nam provt sic acquirit augmētum extensiuum in ordine ad illam. Secundo respondetur distinguendo etiam maiorem, habitus Logicus genitus per primam actionē logicam in ordine ad primam demonstrationem non valet extendi per secundam demonstrationem, seu actum in ordine ad secundam, in virtute ipsius, concedo minorem, in virtute potentiæ, nego maiorem: & distincta minori eodem modo nego vtrāque consequentiam, nam cum actus producat habitum cum potentia, poterit ab illa participare extensionem in ordine ad omnes conclusiones, quę cadunt sub eadem ratione formali: non aliter ac ipse habitus participat à potentia permanentiam, quam ab actu non valet participare. Hanc solutionem accepi ex Diuo Thoma 1.2.q.5.art.2.ad 3.

QVÆSTIO VI.

Vtrum Logica docens, & vtens realiter distinguantur?

§. I.

Duo tituli, & quæstionis.

1. EX dictis in notabili primo quæstionis 4. constant definitiones Logicæ vtriusquè docentis, scilicet & vtentis: quibus suppositis, quod in præsenti inquirimus est; an ab eodem realiter habitu profluant doctrina, & vsus? an vero ab vno doctrina, & ab alio vsus? difficultas vero solum procedit de Logica habituali, non vero de actuali, nam in confesso est apud Doctores, quod regulariter loquendo actus Logicæ docentis est realiter ab vtētis actu distinctus.

2. Pro difficultatis luce primo notandum venit, quod sicut ens diuiditur in reale, & rationis; sic distinctio vt proprietas cōsecuta ad ens diuiditur in realem, & rationis: realis est illa, quæ à parte rei absq; fictione intellectus datur; vt quando vnum à parte rei non est aliud: rationis vero est illa, quæ ab intellectu fit in rebus realiter identificatis; vt quando intellectus eandem rem in duas partitur entitates. Hæc rationis distinctio est duplex: alia adæquata, quę formalitatis distinctio dicitur; & datur, quando eadem realiter entitas in duas distinguitur formalitates: alia inadæquata, quæ expressionum, seu munerum appellatur; & datur, quando eadem formalitas secundum diuersa cōceditur munera, vel quādo eadē formalitas in ordine ad diuersa inspicitur connotata.

3. Secundo notandum venit, quod in præsenti non dubitamus, an Logica docēs distinguatur ab vtente distinctione rationis adæquata,

quata, vel inadæquata? vtrum q; enim defendi valet iuxta mentem Præceptoris Angelici; licet verius iudicem dici distingui inadæquate, in quantum eadem formalitas in ordine ad actum primarium, videlicet in ordine ad doctrinam, dicitur docens, & in ordine ad secundarium, videlicet vsum dicitur vtens.

4. Dices, vsus sit in ordine ad doctrinam, & ratione doctrinæ; ergo debet dimanare à Logica sub expressione indiuisibili docentis; vtique quia non alia ratione dimanat risibilitas ab agēte sub expressione eadem, à qua dimanat rationalitas, nisi quia fit in ordine ad rationalitatem, tanquam sequela ipsius: ni dicas falsum esse proloquium Philosophi dicentis: *qui dat formam, dat sequelam ad ipsam.* Respondetur negādo consequentiam: ad probationem dico risibilitatem prouenire ab eadem formalitate: non vero ab eadem expressione agentis, nam agens tunc se habet sub expressione muneris secundarij in ordine ad effectum primarium illud non specificans. Haud aliter in præsenti, vsus dimanat ab eadem formalitate, à qua dimanat doctrina, licet non sit ab eadem expressione, nam vt principium doctrinæ dicit expressionem docentis; & vt principium vsus, expressionem vtentis.

5. Tertio notādum venit, quod aliqui habitus ordinantur ad actus inter se subordinatos; & aliqui ad actus inter se absolutos, & independentes; cum hoc discrimine, quod habitus secundi generis æqualiter, & ex æquo respiciunt omnes suos actus; ita vt ab omnibus suam accipiant speciem: at vero habitus primi generis primario respiciunt vnum, & secundario alium; ita vt à primario absoluto, & independenti suam accipiant speciem; non vero à secundario subordinato, & dependenti, qui propter primarium attingitur. Constat hoc in caritatis virtute, quæ primario respicit dilectionem Dei, & secundario proximi dilectioni Dei subordinatam.

§. II.

Referuntur sententia.

6. PRima asserit Logicam docentem esse habitum ab vtēte realiter distinctum. Pro hac solent referri Suarez 2. met. disp. 44. sect. 1. Vazquez 1. p. disp. 8. cap. 5.

7. Secunda docet habitum Logicæ docentis esse realiter indistinctum ab habitu vtentis Logicæ; ita vt idem habitus respiciat actus doctrinę, & vsus. Hanc defendunt communiter Thomistę Sotus q. 3. procemialium. Masius sect. 1. q. 4. Nauarrete 1. p. controuersiar. 1. Arauxo lib. 2. met. q. 2. art. 2. Sanchez, Gallego, Salablāca, Collegium Complutense, Ioannes à Sancto Tho-

ma. Et nouissimè Didacus Hortiz in præsenti. In huius fauorem sit.

§. III.

Conclusio.

8. IDē est realiter habitus Logicæ docentis, & vtentis, ita vt principium habituale doctrinæ realiter sit principium habituale vsus. Hæc conclusio, vt à tyronibus percipitur, valet explicari in Magistro, qui non solum tradit regulas, vt puer litteras efformet; sed etiam iuxta regulas traditas characteres efformat: sic nostra Dialectica nō tātum tradit regulas, vt fiat Logicale artificium; sed etiam iuxta regulas ab ipsa traditas executioni mandat ipsum Logicale artificium.

9. Sic ergo explicata conclusio probatur primo auctoritate Diui Thomæ 4. met. lect. 4. vbi sic fatur: *Logica potest cōsiderari secundum quod est docens, & secundum quod est vtens.* Quibus verbis aperte demonstrat has duas rationes eidem habitui conuenire; alias frustra tali reduplicatione vteretur.

10. Secundo probatur ratione fundamentali ex notabilibus desumpta. Quando duo actus habent inter se ordinem, & subordinationem, & secundus nullam addit difficultatem supra difficultatem primi, tunc secundus dimanat ab eodem habitu, à quo dimanat primus (etiam si in esse rei specie differant) sed actus Logicæ docentis, & vtentis, sic se habent; ergo ab eodem realiter habitu debent dimanare. Maior admittitur ab aduersarijs, & constat ex notabili tertio: consequentia est legitima: minor quoad primam partē probatur, constructio syllogismi, quæ est actus Logicæ vtentis fit propter actum Logicæ docentis; non vero è contra, nam syllogismus fit à Logica, vt aliquam veritatem concludat in propria, vel in aliena materia, vel vt demonstret proprietates ex suo obiecto, vel vt perfectam ex illo speculationem acquirat; ergo vsus Logicæ subordinatur doctrinæ; sicut dilectio proximi dilectioni Dei subordinatur. Quoad secundam partem probatur eadem minor, cognita demonstrationis essentia, quæ fit per Logicam docentem, statim intellectus redditur facilis ad syllogismi demonstratiui constructionem, cum nihil sit, quod intellectum possit à tali constructione retardare; ergo constructio syllogismi doctrinæ subordinati nō addit nouam difficultatem supra difficultatē doctrinæ.

11. Obijcies, actus, & finis Logicæ docentis realiter sunt distincti ab actu, & fine Logicæ vtentis, quia actus, & finis docentis est doctrina; actus vero, & finis vtentis est vsus, sed scientiæ dif-

distinguuntur realiter per actus, & fines realiter distinctos; ergo Logica docens realiter est ab vtente distincta. Respondetur distinguendo maiorem, actus, & finis vtentis distinguuntur ab actu, & fine docentis, materialiter, & in esse rei, concedo maiorem, formaliter, & in esse obiecti, nego maiorem: & iterum subdistinguo maiorem, distinguuntur in esse obiecti, in forma, per quam in esse intelligibili sunt constituti, nego maiorem, in modo participãdi talem formam, concedo maiorem; & distinguo minorem, scientiæ distinguuntur per actus non cõnexos, & qui diuersam habent scibilitatem, concedo minorem, per connexos, & qui eandem habent scibilitatem, nego minorem, & cõsequentiam, nam vt habitus distinguantur per actus, & fines, opus est, quod actus, & fines non sint connexi; & etiã quod non attingantur sub eadem ratione formali in esse obiecti, quo modo non se habent actus doctrinæ, & vsus, nam (vt dixi) vsus subordinatur doctrinæ, & est tactus à Logica sub eadem ratione formale in esse scibilis.

12. Replicabis, actus Logicæ docentis non attingitur à Logica sub eadem ratione formali, sub qua attingitur actus Logicæ vtentis; vtique quia in actu Logicæ docentis saluatur ratio scientiæ ad scibilitatem obiecti terminatam, & in actu Logicæ vtentis nec ex parte obiecti reperitur ratio scibilis; nec ex parte actus ratio scientię; sed solum ratio constituibilis, cum eius obiectum non sit scibile, sed constituibile; ergo actus Logicæ docentis non attingitur à Logica sub eadem ratione formali, sub qua attingitur actus Logicæ vtentis. Respondetur negando antecedens: ad probationem distinguo antecedens, in actu Logicæ vtentis non saluatur ratio scientiæ, in recto, concedo antedens, in obliquo, nego antecedens, & consequentiam, nam licet in recto actus Logicæ vtentis dicat constructionem; tamen in obliquo dicit scibilitatem, cum constructio ordinetur ad scientificam Logicę docentis cognitionem. Et quod hæc subordinatio inficiat, vt actus secundarius includat in obliquo eandem rationem formalem actus primarij, & vt ab eodem principiatur, constat in dilectione proximi, quæ attingitur ab eadem virtute, & sub eadem ratione, qua attingitur dilectio Dei, quia dilectio proximi subordinatur dilectioni Dei: & etiam constat in Theologia, cuius obiectum est Deus, quę attingit plura, quæ subinduunt rationem formalem Theologiæ, quia in obliquo important Deum ratione subordinationis; vt cernere licet, in gratia, immo & in ipso peccato.

13. Ex quo colliges rationes sci-

scibilitatis, & constructionis in actibus Logicæ docentis, & vtentis repertas non esse formaliter diuersas in esse obiecti; sed solum modaliter, quatenus doctrina in recto participat scibilitatem, quã in obliquo participat vsus doctrinæ subordinatus, & propter illum factus. Ex quo dimanat, quod ex actibus Logicę docentis, & vtentis non coalescat duplex actus adæquatus in esse scibili, sed vnus: sicut ex consecutione, & ex re consecuta non resultat duplex finis, sed vnus dũtaxat: & sicut ex obiecto materiali, & formali non resultat duplex obiectum, sed vnum solum.

§. IV.

Argumenta contrariorum.

14 PRimum sic se habet. Logica vtẽs potest augeri inuariata docente; ergo realiter distinguũtur. Cõsequẽtia vt certa supponitur ab aduersarijs, nam eadem entitas realiter nõ valet augeri, & non augeri. Antecedens probatur, nam si aliquis multoties faceret syllogismum *in Dary* v. g. & non curaret de cognitione illius, nec de regulis traditis à docente, absque dubio iste homo esset facilis in constructione syllogismi *in Dary*, & acquireret facilitatem ad constructionem huius syllogismi, absque eo quod acquireret facilitatem in doctrina, sed facilitas ad vsum est Logica vtens; ergo Logica vtens potest augeri inuariata docente.

Sed hoc argumentum multum probat, nam ex illo non solum sequitur, quod Logica docẽs distinguatur realiter ab vtente; sed etiam quod Logica docens secundum munus primarium, ideſt, prout demonstrat passiones de suo obiecto, sit realiter distincta à se ipsa, prout tradit regulas, nã hæc quoad hoc munus potest augeri, absque eo quod augeatur quoad munus primarium. Quare respondetur primo negando antecedens, nam implicatorium est, quod Logica vtens vere augeatur inuariata docente: vnde quãdo aliquis conficit syllogismum per Logicam vtentem verã absque dubio habet actum Logicæ docentis, qui tradit regulas ad syllogismi constructionem. Et si aliquando datur vsus, qui nõ supponat doctrinam, dico illum non prouenire à Logica vtente vera, sed à quadam assuefactione per actus Logicæ vtentis comparata; ad eum modum, quo ex actibus virtutum infusarum generatur quædam assuefactio, seu expeditio ad actus similes inclinãs, quæ vere, & proprie non est virtus infusa: hoc cernere licet in homine peccatore summa facilitate exercente per hanc assuefactionẽ actus similes actibus virtutum infusarum.

Secundo respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam: ad probationem

distin-

distinguo antecedens, eadem entitas non potest augeri, & nō augeri, secundūm eandem expressionem, concedo antecedens, secundum diuersas, nego antecedens, & consequentiam, quam optime stat, quod idem habitus in ordine ad vnum actum habeat maiorem facilitatem, quā in ordine ad alium, nam (vt cōstat ex quæstione antecedenti) multoties datur maior facilitas in ordine ad cognitionem sciētificam vnius obiecti partialis, quam alterius; etiam si omnes cognitiones dimanent ab eodem habitu; vtique quia maiori continuatione valet habitus versari in vnius, quam in alterius obiecti cognitione. Hæc doctrina in alia materia debet admitti à contrarijs, nam in opinione Patrum Suarez, & Vazquez, similitudo non est realiter distincta ab albedine; & tamē valet albedo augeri in vno extremo, quin augeatur similitudo: immo potest minui per albedinis intensionem, vt ex se constat.

15. Secundum sic se habēt. Logica vtens, quæ acquiritur à discipulo in fide Magistri, vel secūdum regulas à Magistro traditas, est eiusdē rationis cum Logica vtente, quæ acquiritur secundum regulas docētis; sed primum distinguitur realiter à docente; ergo & secunda. Maior probatur, Logica vtens, quæ acquiritur secundum regulas traditas à docente, respicit secundam intentionem obiectiuam tanquam obiectum proprium, & formale, sed etiam Logica vtēs, quę acquiritur in fide Magistri, respicit tāquam obiectum proprium, & formale secundam intentionem obiectiuam; ergo est eiusdem rationis cum illa.

Respondetur negando maiorem, nam licet Logica vtēs, quæ acquiritur in fide Magistri, respiciat secundam intentionem obiectiuam, à Logica vtente, quæ acquiritur secundum regulas docentis, inspectam; tamen diuersimode inspicitur ab vna, quā ab alia, nam à prima inspicitur cum periculo errandi, sine quo inspicitur à secunda; & ideo Logica vtens, quę acquiritur in fide Magistri propriē, non est talis, nec eiusdē rationis cum acquisita secundum regulas docentis; sed solum est quædā dispositio, seu expeditio, quæ imperfectē, & impropriè valet dici Logica vtens.

16. Tertium sic procedit. Habitus, qui tradit regulas ad cōstructionem domus v. g. realiter distinguitur ab habitu, qui iuxta regulas domus exercet constructionem; ergo habitus, qui tradit regulas ad modi sciendi constructionem, realiter distinguitur ab habitu, qui iuxta regulas modi sciendi exercet constructionem.

Respondetur concedendo antecedens; & negando consequētiam, nam Logica docēns, quæ tradit regulas, & vtens, quæ iuxta

ta illas operatur, sunt in eodem subiecto; scilicet, in intellectu, absque eo quod vlus addat nouam difficultatem supra difficultatem doctrinæ; at vero habitus, qui tradit regulas ad cõstructionem domus, & qui terminatur ad illius constructionem, sunt in distinctis subiectis; vtique quia primus est in intellectu, & secundus in potentia externa, seu in membro exteriori; & vlterius cõstructio domus addit nouã difficultatem supra difficultatẽ doctrinę, videlicet elaborationem lapidum, & lignorum.

17. Replicabis, in moralibus Eubulia, quæ terminatur ad mediorum propositionem, est habitus realiter distinctus à prudentia, quę terminatur ad executionem mediorum, vel ad hoc, vt media in executione ponantur; & tamen sunt in eodem subiecto, scilicet, in intellectu; ergo ex eo, quod Logica docens, & vtẽs sint in eodem subiecto, non sequitur, quod non sint habitus realiter distincti. Sed hoc argumentum magis probat Logicam docẽtem quoad munus primarium distingui realiter à munere secundario ipsius docentis, quam ab vtente. Sed quia aliquo modo nostrã impugnat solutionem, ideo respondetur primo negando antecedẽs, nam iuxta plurium Theologorũ sententiam prudentia consiliatiua, seu Eubulia non distinguitur realiter à prudentia imperatiua. Secundo respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, licet enim conciliare, & imperare pertineant ad eãdem potentiam; tamen supposito cõsilio datur noua difficultas, nam sępè qui recte iudicat circa aliquod medium, manet difficilis ad illum voluntati imperandum: hæc autem difficultas nascitur ex libertate voluntatis, & ex difficultate reperta in operis executione, & ex alijs circunstãtijs, quæ magis ad Theologum, quam ad Dialecticum spectant.

18. Vltimum, & speciale fundamentum sic se habet, ex dictis quæstione 4. cõstat Logicam docentem acquiri per demõstrationem primario, & vtentem per illam secundario, sed quæ diuersimode terminant productionem, diuersam important realitatem; ergo Logica docẽs realiter distinguitur ab vtente. Minor probatur, nõ alia ratione essentia est à proprietatibus realiter distincta, nisi quia essentia primario terminat productionem, quam proprietates secundario terminant; ergo diuersitas in modo terminandi productionem diuersam infert realitatem.

Respõdetur iuxta dicta, quod Logica docens reduplicatiue, vt docens acquiritur primario, & vtẽs, vt vtẽs secundario; nõ vero acquiritur logica vtens specificatiue, & quoad entitatẽ secundario; quod erat necessarium, vt diuersitas productionis inferret diuersitatem realem in effectibus pro-

productis: vnde proprietates nõ distinguuntur ab essentia, quia vtcunque sunt secundario productæ, sed quia specificatiue, & quoad entitatem sunt secundario productæ, nam sensus specificatiuus cadit supra entitatem; at vero reduplicatiuus supra formalitatem, vel supra expressionẽ eiusdem formalitatis: & ideo ex diuersa productione in sensu formali, & reduplicatiuo solum infertur diuersitas formalitatum, seu expressionum, non vero entitatum, vel realitatum.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Logica sit scientia practica, vel speculativa, vel vtrumque simul?

§. I.

Explicatio difficultatis.

1. PRo quæstionis intelligentia nota primo ex Philosopho 2. met. cap. 1. quod *habitus practicus est ille, cuius finis est opus.* Idest, est, qui respicit tanquam obiectum praxim, & operationem. *Speculativus vero dicitur ille, cuius finis est veritas.* Idest, qui respicit vt obiectum entitatem, vt cognoscibilem: & sicut in quolibet habitu reperiuntur tria; videlicet, obiectum, actus, & habitus; sic in habitu practico reperitur obiectum, quod dicitur praxis, & actus, qui dicitur cognitio practica, & denique habitus, qui dicitur habitus practicus: haud aliter in habitu speculativo consideramus obiectum speculabile, cognitionem speculativã, & habitum speculativum. Quãdo ergo obiectum talis habitus nõ est a nobis operabile, tunc euidẽter colligimus habitum esse speculativum: cæterum ex eo, quod obiectum habitus sit ab illo operabile, non sequitur euidenter talem habitum esse ~~speculativum~~ practicum, quia de obiecto operabili possumus habere speculativam cognitionem, & speculativum habitum.

2. Ex his colligo propriam horum habituum differentiam debere accipi ex ordine ad finem proprium, & primarium; ita vt sit speculativus, qui per se primo respicit contemplationem, vel considerationem obiecti primarij, quod est speculabile, vt speculabile, vel operabile vt speculabile. Practicus vero, qui per se primo respicit operationem sui obiecti primarij, quod est operabile, vt operabile. Primus ergo sistit vltimate in contemplatione; secundus vero in operatione: vnde ex diuerso modo, quo habitus respiciunt finem primarium appellantur practici, vel speculativi.

3. Nota secundo omnem habitum siue practicum, siue speculativum includere cognitionem sui obiecti; aliter tamen & aliter, nam speculativus sistit in illa,

ta, tanquam in fine primario, & proprio; practicus verò nõ sistit in illa, sed supposita cognitione operis sistit in opere, tanquam in fine proprio, & primario.

4. Ex quo infero dari in scientijs cognitionem practicam, & speculatiuam, nam cognitio, quę primario ordinatur ad opus, est practica, & quæ ad speculationẽ speculatiua. Hanc doctrinã accepi ex Alberto Philosophi cõmentatore 1. met. cap. 1. vbi ait. *Per speculatiuam scimus, vt sciamus; per practicam verò scimus, vt operemur.* Si ergo cognitio potest ad opus ordinari, etiam opus poterit ad cognitionem deseruire.

5. Nota tertio duplicem esse scientiarum finẽ, operis, & operantis. Operis est, ad quem sciẽtia ex se, & ex sua natura ordinatur. Operantis est, quem sciens, seu operans pro suo libito, & voluntate scientiæ adhibet. Sciẽtia autem iuxta omnium Doctorum placitum non dicitur practica, vel speculatiua ex fine extrinseco, seu operantis, sed ex intrinseco, & operis, quem per se, & ex se respicit.

6. Nota quarto, quod non quęcumque operatio dicitur praxis, habent enim se praxis, & operatio, sicut superius, & inferius, nã omnis praxis est operatio; non tamen è contra, omnis operatio est praxis, nam actiones, quę naturaliter fiunt, & non subsunt nostræ directioni, non dicuntur praxis: vnde actio nutriendi, & aliæ similes, quę naturaliter à nobis operantur, licet sint operationes, non dicuntur praxis, quia non subijciuntur nostræ directioni.

§. III.

Proponuntur sententiæ.

7. His præmissis pro quæstionis luce prima sententia defendit Logicam non esse scientiam practicam, nec speculatiuam; sed tantum modũ, seu instrumentum scientiæ practicæ, & speculatiuæ, cum tradat instrumenta, quibus vtuntur omnes scientiæ practicæ, & speculatiuę. Pro hac stat Petrus Niger q. 14. quem sequuntur aliqui ex Græcis.

8. Secunda in hac re sententia his tẽporibus valde celebris asserit Logicã esse simpliciter practicam, & nullo modo speculatiuam. Sic ferè omnes Nominales, & ex alijs Conimbricenses q. 4. procemialium art. 3. Murcia dis. 1. q. 4. Auersa. q. 1. sect. 6. Paulus Venet. in procemio Logicę dub. 2. Fonseca & alij quam plurimi antiqui, & moderni, quos referũt Complutenses.

9. Tertia affirmat Logicã esse simul practicam, & speculatiuã. Hæc sententia triplici via defenditur, nam alij dicunt esse formaliter practicam, & speculatiuam; ita vt formaliter includat rationes practici, & speculatiui. Pro hoc

hoc modo dicẽdi sunt quam plurimi moderni. Alij vero docent esse simul eminenter practicam, & speculatiuam. Pro hoc modo dicendi stant Vazquez, & Suarez. Alij denique asserunt Logicam esse eminenter formaliter practicam, & speculatiuam, sicut rationalis anima est eminenter formaliter vegetatiua, & sensitiua, quia de illa formaliter verificantur definitiones animę sensitiuæ, & vegetatiuæ. Pro hoc modo dicendi stant Rubio, Hurtado, Cabero, Martinez, & alij moderni ex nostris in præsenti.

10. Quarta docet Logicam esse simpliciter speculatiuam, & secundum quid practicam. Hanc defendunt Thomistarum, & Scotistarum Scolæ. In cuius obsequium sit.

§. III.

Prima conclusio.

11 LOgica nec formaliter, nec eminenter formaliter est simpliciter practica, & speculatiua simul. Probatur vnica, & efficaci ratione, habitus vt sic diuiditur in practicum, & speculatiuum tãquam in differentias oppositas, sed Logica vt constabit ex conclusione secunda est simpliciter speculatiua; ergo non est simul simpliciter practica. Consequentia est certa, nam de vna, eademq; entitate non possunt verificari formaliter duæ formę oppositæ, sed hæ verificarentur de Logica, si esset simul practica, & speculatiua formaliter, vel formaliter eminenter: vtiq; quia in hoc distinguitur continentia formalis, & formalis eminentialis à cõtinentia virtuali; ergo non est simul simpliciter practica. Maior, in qua est difficultas constat ex Philosopho 6. met. text. 1. vbi probat Philosophiam esse speculatiuam, quia nõ est practica, sed hæc consequentia non esset legitima, si istæ differentiæ non essent essentialiter oppositæ; ergo diuisio habitus vt sic in practicũ, & speculatiuum est in differẽtias inter se oppositas. Ratione probatur eadem maior, scientia circa vnum, & idem obiectum primarium non potest versari sistẽdo principaliter, & primario in contemplatione, & operatione ipsius tanquam in finem vltimũ, operatio enim opponitur contẽplationi, & è contra; vtique quia si actus primarius est operatio, non est contemplatio, & è cõtra, inter hoc enim non est dare medium, cum actus primarius scientiæ sit vnus, sicut ipsa scientia; ergo istæ differentiæ simpliciter dictæ sunt inter se oppositæ.

12. Dices primò cum Antonio Rubio, quod in causis efficientibus, vel formalibus, quę superiores sunt possunt simul contineri causæ, & formæ inferiores specificè distinctæ, & oppositæ; vt cõstat in sole, & in anima rationali. Sed contra est, nam in prædicta

ratione non negamus virtutes, seu formas inferiores diuersę speciei posse contineri in virtute, seu forma superiori, iuxta illud; quæ sunt in inferioribus diuersa, sunt in superiori coniuncta; sed quod possint contineri differentię, vel formæ oppositæ in aliquo tertio formaliter, vel formaliter eminẽter. Nec ex ẽpla aliquid probant; nam data hypothesi, quod in sole sint virtutes oppositæ; tamen in illo non sunt formaliter, nec formaliter eminenter; sed eminenter virtualiter; hoc enim versatur discrimen inter continentiam formalem, tantum formalẽ & eminentialem simul, & eminẽtialem virtualem, quod duæ primæ continẽtiæ non solũ sunt sufficientes ad hoc, vt res continens faciat quod res contenta, sed etiã ad hoc, vt de illo res contenta formaliter dicatur; vt patet in anima rationali, quæ non solum præstat id, quod præstat sensitiua, sed etiam dicitur de illa formaliter; vnde hęc prædicatio est vera, anima rationalis est formaliter sensitiua. Tertia vero est solum sufficiens ad hoc, vt continens præstet, quod res contenta; non tamen vt res contenta de illo formaliter dicatur: vt patet in sole, de quo non dicitur, quod sit formaliter frigidus, vel calidus; licet præstet id, quod præstatur à frigore, vel calore. Ex quo colligo repugnantiam non stare in hoc, quod duæ res oppositę virtualiter eminenter continerent in aliquo superiori; sed in hoc, quod formaliter eminenter, vel formaliter sint in illo. Ratio est in promptu, nam duæ contrariæ, vel contradictoriæ formaliter nõ possunt verificari de eodem subiecto, sed si duę formæ oppositę, quales sunt rationes practici, &c. speculatiui essent formaliter, vel formaliter eminenter in aliquo, de illo formaliter verificarentur duæ formæ contrariæ, ex cuius verificatione (vt dixi in Summulis lib. 2. cap. 7. num. 4.) sequitur verificatio duarum contradictoriarum, quod non sequitur ex eo, quod virtualiter eminenter sint in aliquo superiori; ergo res contrariæ oppositæ non valent adunari in aliquo tertio formaliter, nec formaliter eminẽter. Nec secũdum exemplum aliquid valet, nam gradus sensitiui, & vegetatiui in anima rationali contenti non sunt oppositi; sed sunt gradus superiores, & inferiores essentialiter inter se subordinati.

13. Dices secundo cũ Gabriele Vazquez has differẽtias simul reperiri in Theologia, & in intellectu; ergo eodem modo possunt in Dialectica inueniri. Fere omnes Thomistæ sinistre Angelicũ Doctorem interpretantes concedunt antecedens, & negãt cõsequentiam, sentiunt enim has differentias non habere oppositionem in Theologia, quia hæc vt participatio luminis diuini est ordinis superioris: nec in intellectu, quia vt habens pro obiecto ens ratione sũæ latitudinis continet subsequentiam differentiam

rentiam; at vero in Logica interpretare oppositionem, sentiunt, quia nec est participatio luminis diuini, cum sit ordinis naturalis; nec habet obiectu, quod in se tãtã habeat latitudiné, vt vtrãq; possit differentiam includere.

Sed hæc solutio nec est iuxta mentem Angelici Doctoris, nec potest dari consequenter ab authoribus, qui tertiam defendunt sententiam: non iuxta Doctoris Sancti mentem, nam 1. p. quæst. 1. art. 4. vbi ab iltis Doctoribus pro sua citatur solutione, hæc habet verba. *Sacra Theologia sub se comprehendit vtramque differentiam: sicut Deus eadem scientia se cognoscit, & ea, quæ facit; magis tamen est speculatiua, quam practica, quia principalius agit de rebus diuinis, quam de actibus humanis, de quibus agit secundum quod per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem.* Ex quibus verbis solum sequitur quod Theologia sit simpliciter speculatiua, & secundum quid practica. Tum quia docet has differentias esse in Theologia, sicut in scientia Dei, quæ solum secundum quid, & per connexionem cum obiecto secundario habitam est practica; tum quia principalius ait esse speculatiuam: tum quia solum, docet esse practicam per ordinem ad obiectum secundarium à quo nulla scientia sumit simpliciter denominationem; ergo ex hac auctoritate nõ cõstat Theologiam esse simul practicam, & speculatiuam simpliciter.

Quod ergo hæc solutio cõsequẽter nõ possit dari, constat primo ex ratione pro nra cõclusione adducta. Secundo, nam in opinione Thomistarum Logica nõ dicitur simpliciter practica; etiam si secundario respiciat operationem, & obiectum operabile, quia istæ denominationes non debent sumi ab actu, nec ab obiecto secundario, sed à primario, sed Theologia solum secundario respicit obiectum operabile, & operationem; vtiq; quia solum obiectum secundarium est capax effectionis, & operationis; ergo per ordinem ad illud non potest consequẽter dici simpliciter practica. Tertio, ex eo quod obiectũ primarium Logicæ contineat sub se intentiones operabiles, & contemplabiles non sequitur in opinione horum Doctorum, quod Logica sit simpliciter practica, & speculatiua, quia hæc duo obiecta non sunt principaliter, & primario intenta; ergo nec ex eo, quod obiecta Theologiæ, & intellectus contineant sub se obiecta operabilia, & considerabilia debent dici simpliciter practici, & speculatiui, cum hæc obiecta non sint simpliciter, & primario inspecta; immõ nec possunt primario inspici, cũ obiectum scientiæ debeat esse essentialiter vno ex his modis inspectum.

Quare relicta hac solutione respondetur negando antecedẽs, nã nullus habitus, etiã si sit ordinis

superioris, sicut Theologia; nec potentia, etiã si maximã habeat latitudinẽ, sicut intellectus potest simpliciter continere rationes practici, & speculatiui; & sic quotiescumque D. Thomas de hac simultate loquitur, assignat aliquam inęqualitatem; vt intuẽti cõstabit. Ex qua solutione efficax ratio potest sumi in fauorẽ nostræ conclusionis, nã si Theologia, quæ est ordinis superioris solum adunat speculatiuum simpliciter, & practicum secundum quid, quomodo Logica, quæ est ordinis inferioris, poterit adunare speculatiuum, & practicum simpliciter?

14. Dices tertio cum P. Vazq. has differentias esse accidẽtales, & inadæquatas, & sic eidẽ habitui posse cõuenire, ait enim, quod practicum potest sumi, vt includit imperfectionem; hoc est, vt includit carentiam speculatiui, & etiã vt illã excludit: & similiter, quod speculatiuũ potest sumi, vt includit imperfectionẽ; hoc est, vt includit carẽtiã practici, & vt illã excludit: in primo sensu (ait) esse differentias adęquatas, & oppositas habitib⁹ repugnãtes; nõ vero in secundo, in quo affirmat nõ esse oppositas, & posse in Logica reperiri. Patres Cõplutẽses, & cum eis quã plurimi doctissimi ex nostris negant has differẽtias esse accidentales, & docent esse scientijs essentiales: tum quia habitus nõ intelliguntur in sua specie constituti, vsque dum intelligantur vt practici, vel vt speculatiui: tum quia istæ differentiæ sunt sumptæ per ordinem ad obiectum, à quo habitus sumunt differentias essentiales: tum quia per eandem rationem, per quam constituuntur in esse scientię cõstituuntur in esse practici, vel speculatiui, cum per hoc quod est resoluere cõclusiones in sua principia, demonstrareque passiones de suo obiecto constituantur formaliter in esse scientiæ, & in esse practici, vel speculatiui.

Sed hæc solutio consequenter non potest dari à Complutensibus, nam infra affirmant alias scientias esse, à Logica directas, vt explicant conceptum scientiæ; non vero vt explicant conceptus practici, vel speculatiui; ergo cõceptus essentialis scientiæ per viã rationis formalis nõ coincidit cũ cõceptu essentiali practici, & speculatiui. Secundo impugnatur, nã Logica intelligitur distincta ab omnibus alijs per respectũ ad secundas intentiones obiectiuas, nũ illas respiciat modo practico, nũmodo speculatiuo, sed secũdũ Philosophũ ratio distinctiua coincidit cũ ratione cõstitutiua; ergo antecedenter ad has rationes differẽtiales practici, & speculatiui intelliguntur scientię essentialiter distinctę, & cõstitutę. Tertio impugnatur, nam vnus habitus speculatiuus non distinguitur ab alio speculatiuo in modo procedendi; sed in obiectis circa quæ procedunt; ergo distinctio essentia-

tialis scientiarum datur antecedenter ad rationes practici, & speculatiui.

Nec rationes à Complutensibus adductæ aliquid probãt. Nõ prima, nam (vt constat ex dictis) anteuertẽter ad has rationes intelligitur habitus in propria specie constitutus. Non secunda, nã non omne, quod accipitur in ordine ad obiectum formale, est habitui essentiale, sed id, quod ex illo primario accipitur; sicut non omne, quod per demonstrationẽ acquiritur, est formaliter sciẽtia; sed id, quod primario est per illã comparatum, vt constat ex dictis q. 6. §. 1. num. 5. & §. 3. fere per totum. Non tertia, ná hoc, quod est demonstrare passiones de suo obiecto, est commune scientijs practicis, & speculatiuis; & sic in scientia, quæ abstrahit à practica, vel speculatiua saluatur passionum demonstratio.

Vnde relicta hac solutione dico has differentias non esse essentiales, nec accidentales per modum accidentis communis; sed per modum accidentis proprij: ex quo non licet inferre, quod eidẽ habitui possint simul, & simpliciter conuenire, cum inter se dicant oppositionem; non aliter ac risibilitas, & rugibilitas: vnde sicut hæ formę accidentales per modum accidentis proprij nequeunt in eodem subiecto, vel in eadem entitate reperiri; sic differentiæ practici, & speculatiui nequeunt in eodẽ subiecto adunari.

Nec secundum effugium à Patre Vazquez subtiliter excogitatum aliquid valet. Primo, quia appellat imperfectionem scientię speculatiuæ carentiam scientiæ practicæ; quod est falsum, nã carentia alicuius perfectionis indebitæ non est imperfectio; vt late docent Theologi in materia de Angelis. Secundo, quia ab habitu speculatiuo nõ potest talis carentia practici separari, nam licet ista carentia non sit essentialis habitui speculatiuo; est tamen cum illo connexa; non aliter ac carentia irrationalitatis est inseparabilis à rationalitate, & cum illa connexa, sed hæc à rationalitate nec diuinitè separari potest; ergo nec illa. Tertio, nam si hoc admittitur effugium, nõ erũt excogitabiles formæ ita oppositæ, vt non possint naturaliter in eodem subiecto, & in eadem entitate reperiri: vnde iuxta hãc solutionem possumus dicere albedinem, & nigredinem posse inadæquatè in eadem entitate adunari, nam sicut Vazquez ait rationes practici, & speculatiui posse considerari adæquatè, vt dicunt imperfectionem; hoc est, prout adinuicem fundant negationes, & inadæquatè prout non exprimunt imperfectionem; hoc est, prout non fundant negationes: sic poterit dici de albedine, & nigredine, & consequenter de omnibus formis essentialiter oppositis; ergo iuxtà hanc doctrinam omnes formæ oppositę cum

hac inadæquatione ingeniosè adinuêta possunt naturaliter in eodem subiecto, & in eadem reperiri entitate.

15. Ex his potest non leuiter nostra probari conclusio, nam logica vel considerat obiectum primarium vt illud operetur, vel è contra, vel vtrumque disparate, & sine ordine aliquo; si primũ, erit practica simpliciter, & secũdum quid speculatiua, siquidem vltimatè sistit in operatione tanquam in obiecto primario: si secundum, erit simpliciter speculatiua, & secundum quid practica è cõuerso: si tertium, habebit duo obiecta formalia, & adæquata; & sic non erit vna scientia, sed plures; quod non dices. Explicatur hæc ratio quoad vltimam partem dilemmatis, logica per se primo respicit contẽplationem, & operationem; ita vt nec contemplatio subordinetur operationi, nec è contra; ergo operatio, seu vsus logicæ vtentis est actus nedum in esse rei, sed in esse obiecti distinctus à doctrina, vel à contemplatione; vtique quia non attingitur, vt contemplationi, vel doctrinæ subordinatus, sed per actũ non connexos in esse obiecti realiter distinguuntur scientiæ; ergo logica nõ erit vna, sed plures. Vt hoc argumẽtum habeat vim cõtra Patres Suarez, & Vazquez debet fieri circa actus logicæ docentis, nam primus, qui est doctrina contemplatiua, & speculatiua; & secundus, qui est doctrina actiua, vel doctrina ad operandum ordinata, est actus practicus. Hoc dico, quia vt dixi quæst. 6. §. 4. num. 14. & 14. 16. & 17. in opinione horum Doctorum logica docens est realiter ab vtente distincta.

§. IV.

Secunda conclusio.

16. LOGICA est simpliciter speculatiua; secũdũ quid verò, & per quandam similitudinem practica. Est communis inter Thomistas: & primo probatur quoad duas partes auctoritate Doctoris Sancti 1. 2. q. 57. art. 3. ad 3. vbi docet. *In ipsis speculabilibus est aliquid per modum cuiusdam operis: puta constructio syllogismi; & idco quotiescũque habitus speculatiui ad huiusmodi operationes ordinantur, dicuntur artes per quandam similitudinem.* Ex quo testimonio conflat Philosophiam rationalem ad constructionem syllogismi ordinatam esse simpliciter speculatiuam, & secundum quid, vel per quandam similitudinem practicam.

17. Secundo probatur quoad primam partem ratione fundamentali. Illa est scientia simpliciter speculatiua, quæ nititur principijs speculatiuis in ordine ad contemplationem sui obiecti primarij, sed logica his nititur principijs; ergo est simpliciter speculatiua. Minor probatur.

Lo-

Logica ad cognitionem syllogismi nititur his principijs: *Dici de omni, dici de nullo; quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, sed hæc principia sunt omnino theorica; ita vt per illa nullo modo sit intellect⁹ ad opus ordinatus; ergo Logica est simpliciter speculatiua. Confirmatur primo, nam cognitiones, quibus Logica cognoscit definitionem esse suo definito clariorem, esse ab illo indistinctam, illudque circunscribere sunt simpliciter theoricæ, & nullo modo ad opus ordinatę; immo ad illas est opus ordinatum; inter hoc enim, vt constat ex prima conclusione, non est dare mediũ, cum scientia non possit habere duos actus, nec duo obiecta specie in esse intelligibili distincta; ergo Logica est simpliciter speculatiua. Confirmatur secundo, si per possibile: vel impossibile logicalis constructio non esset à Logica, sed ab alia scientia, vel causa, modo quo Philosophiæ obiectum non est à Philosophia, Logica medijs his principijs speculatiuis ordinaret suos actus ad cognitionem sui obiecti; ergo Logica ex fine principaliori est simpliciter speculatiua.

18. Dices primo cum aduersarijs, Logicam nõ solum niti principijs theoricis, sed etiam practicis, nam docet definitionem cõstare genere, & differentia; syllogismum in *Barbara* tribus constare propositionibus affirmatiuis; ergo Logica non solum est speculatiua simpliciter; sed ętiã simpliciter practica. Contra est primo, nam hæc principia à Logica sunt secundario considerata, non enim tradit regulas ad syllogismi constructionẽ, vt quiescat in syllogismi constructione; sed vt in constructione perfectiorem proprij obiecti obtineat considerationem; ergo ex ordine ad hæc principia solum potest dici secũdum quid practica. Contra est secundo, Logica versatur circa cõstructionem syllogismi, & circa principia ad talem cõstructionem ordinata, sicut mathematica circa constructionem trianguli, & circa principia, quæ ad talẽ constructionem conducunt, sed mathematica est simpliciter speculatiua, & solum secundum quid practica, quia secundario agit de principijs practicis, & de trianguli constructione; ergo similiter Logica per ordinem ad hæc principia ab illa secundario considerata solum potest dici secundum quid practica. Contra est tertio, Logica primario non potest niti principijs in esse obiecti specifice distinctis, sed principia practica, & speculatiua non subordinata in esse obiecti specie differunt; ergo si primario nititur speculatiuis, primario nõ potest practicis niti.

19. Dices secundo principia speculatiua constructioni deseruire; ergo nedum in ordine ad principia practica debet dici simpliciter practica; sed etiam in or-

dine ad speculabilia, cum formaliter sint speculativa sub principijs practicis. Sed cõtra est, nam vt constat ex dictis q. 4. §. 1. n. 3. in ipsa doctrina datur cognitio primaria contemplativa, quę demonstrat passiones de suo obiecto; & etiam datur cognitio secundaria activa, quæ tradit regulas ad rectam syllogismi cõstructionem, prima enim cognitio, quæ primaria est, remotissime est operis regula; immo ad illam ordinatur secundaria, quæ proximè est operis regula, sed esse remote regulam operis nõ sufficit, vt scientia dicatur simpliciter practica, vt constat in cognitione nimis theorica, qua mathematica cognoscit proprietates trianguli, quæ etiam deservit remote ad trianguli cõstructionẽ; ergo principia speculativa, quæ remotè ad hanc deseruiunt constructionem, non sunt sub principijs practicis, nec illis subordinantur.

20. Ex quo colliges primo aliud esse, doctrinam contemplativam docentẽ deservire operi; & aliud ordinari, vel specificari ab opere, nam ad primum sufficit, quod aliquomodo cognitio conducat ad opus, omnis enim cognitio rei operabilis, quantumuis contemplativa sit, aliquomodo conducit ad opus; non tamen ad illud ordinatur, vel specificetur, quia ad hoc est necessarium, quod proxime deseruiat; vt constat in principio effectiuo remoto operationis creatæ, quod deseruit ad operationem creatam; & tamen ad illam non ordinatur, neque ab ea specificatur, quia ad hoc erat opus, quod proximè deseruiret operationi.

21. Colliges secundo cognitionem primariam Logicæ non esse ordinatam ad opus; sed solum cũ eo connexam: non aliter ac substantia connectitur cum accidẽtibus operatiuis, absque eo quod ad illa ordinetur. Hæc autẽ versatur differentia inter ordinationem, & connexionem, quod ordinatio importat dependẽtiam, quam sola connexio non importat; vt videre est in omnipotẽtia respectu creaturarum possibilium; & in obiecto respectu potentiæ.

22. Replicabis primo, doctrina contemplativa cõnectitur accidentaliter cum opere; ergo ad illud ordinatur accidentaliter, cum connexio ex sua natura dicat ordinem. Respondeo negãdo consequentiam, nam ordo dicit imperfectiõnem, & dependentiã, quam non dicit connexio, nã ordo, & connexio habent se sicut superius, & inferius; & sic omnis ordo dicit essentialiter cõnexionem; non vero omnis connexio dicit ordinem.

23. Replicabis secundo, doctrina cõtemplativa Logicę docentis connectitur cum opere tãquam cum fine; ergo opus est finis vltimus, & primarius doctrinæ contemplativæ; ergo ad illum ordinatur, cum omnis res ordinetur

nctur

netur ad finem proprium, & primarium. Respondeo distinguendo antecedens, connectitur cum opere tanquam cum fine, vltimato, & primario, nego antecedēs, tanquam cum fine, non vltimato, & remoto, concedo antecedens; & nego consequentiam, nam doctrina contemplatiua solum cōnectitur radicaliter cum opere, vt in illo magis perfecte cognoscat proprietates sui obiecti: eo modo quo omnipotentia connectitur cum possibilibus, non vt in productione illorum fiflat; sed in seipsa, propter quam omnia sunt facta. & ideo finis primarius Logicæ non est opus; sed contemplatio, propter quam est opus.

24. Replicabis tertio, Logica primario respicit obiectum operabile; ergo primario est practica. Probo antecedens, Logica primario cognoscit ens rationis; ergo primario operatur ens rationis; vtique quia ens rationis in tantum est factibile, in quātum est cognoscibile; ergo si est cognoscibile primario, est factibile primario. Respondeo negando antecedēs; ad probationem distinguo antecedens, Logica primario cognoscit ens rationis, cognitione speculatiua, cōcedo antecedens, cognitione practica, nego antecedens, & consequentiam, nam respectu entis rationis eadem cognitio est practica, & speculatiua; practica, in quantum illud cognoscendo facit: speculatiua, in quantum factū quasi reflexe contēplatur; nō aliter ac in diuinis, & increaris eadem actio est dictio, & intellectio, dictio, in quantum profert verbū; & intellectio, in quātum verbum prolatum intelligit.

25. Quoad omnes suas partes probatur conclusio, secundum Diuum Thomam 2.2. q. 181. ar. 3. doctrina, vt habet rationem scientiæ, pertinet ad vitam contemplatiuam, & vt habet rationem artis liberalis ad vitam actiuam, sed Logica primario habet rationem scientiæ, & secundario rationem artis; ergo simpliciter est speculatiua, & secundum quid practica; cum denominatio simpliciter dicta debeat sumi à respectu primario, & principaliori.

26. Quoad secundam partem probatur cōclusio. Logica, quatenus tradit regulas ad constructionem sui obiecti, & quatenus illud conficit, deficit aliqualiter à modo procedendi scientiæ speculatiuæ, & aliquomodo accedit ad modum scientiæ practicæ; ergo secundum hunc secundarium modum procedendi potest dici secundum quid, & per quandam similitudinem practica.

27. Dices: habitus vt sic diuiditur in practicum, & speculatiuum tanquam in differentias oppositas, sed Logica sub habitu vt sic contenta est simpliciter speculatiua; ergo non est secundum quid practica. Consequētia probatur, ex eo homo contētus sub

animali nō potest dici secundum quid irrationalis, quia est simpliciter rationalis, sed Logica sub habitu vt sic contenta est simpliciter speculatiua; ergo non est secundum quid practica. Hoc argumentum debet ab omnibus ferè aduersarijs solui, nam in illorum opinione non est Logica ita practica, vt saltem secundum quid non sit speculatiua. Quare pro omnibus respondeo practicum repertum in habitibus speculatiuis non esse proprie, & rigorosè practicum, quod cū speculatiuo simpliciter dicto repugnat, sed esse analogicè, & improprie practicum, quod cum speculatiuo simpliciter tali non repugnat: non aliter ac licet ratio artis mechanicæ, quæ simpliciter est talis repugnet scientiæ: non tamen ratio artis liberalis, quæ secundū quid est talis. Nec paritas adducta aliquid valet, nam rationalitas in omni sensu dicit repugnantiam cum irrationalitate: tum quia sunt differentiæ absolutæ, & essentiales: tum quia non habēt latitudinē, vt secundum quid participentur; & ideo vel participātur simpliciter; vel nullomodo participantur.

28. Inquires: an Logica docens quoad munus secundarium, & vtens vt formaliter talis sit practica, vel speculatiua? Ad quod resolutorie dico esse habitum speculatiuum, nedum entitatiue ratione identitatis; sed formaliter ratione propriæ formalitatis, & expressionis. Ratio huius est, nam scientiæ dicuntur practicæ, vel speculatiuæ ex ordine ad actus, & obiecta, sed Logica docens quoad munus secundarium, & vtens vt formaliter talis respiciunt doctrinam actiuam, & vsum propter doctrinam cōtemplatiuam; vtique quia omnis actus secundarius attingitur ratione primarij; vt dictum est q. 6. §. 3. nu. 12. ergo Logica docens quoad munus secundarium, & vtens vt formaliter talis sunt habitus formaliter speculatiui. Confirmatur, habitus dicuntur practici, vel speculatiui ex fine vltimo, sed regulæ, & opus regulatum sunt propter doctrinam contemplatiuam, non enim operatur Logica, vt operetur; sed vt speculationem perfectiorem sui obiecti obtineat; ergo actus secūdarius Logicæ docētis, & primarius vtentis; qui stant sub actu speculatiuo docentis sunt in esse obiecti formaliter speculatiui.

29. Dices: Logica docēs quoad munus secundarium est ars, & vtens vt reduplicatiue talis est artis complementum, sed ars vt talis non est speculatiua, vt ex se constat, & multo minus artis cōplementum; ergo Logica docēs quoad munus secundarium, & vtens vt talis quoad propias expressiones non sunt habitus speculatiui.

30. Non est facile explicare, quomodo Logica docens quoad munus secundarium (idemq; di-

eo de vtente) habeat rationem scientiæ speculativæ: tum propter obiectionem: tum quia omnes authores hanc difficultatem silentio prætermittunt: sed vt proprium proferã iudicium, noto primo actus posse dupliciter considerari, & in esse rei, & in esse obiecti: in prima acceptione non specificant scientiam, nec ei tribuunt denominationem simpliciter; bene tamen in secunda.

31. Noto secundo actum primarium scientiæ distingui à secũdario in hoc, quod primarius in recto participat rationem formalem scientiæ; ita vt per ordinẽ ad illam sumat scientia speciem, & proprietates ad talem speciẽ subsecutas, qui enim dat formam, tenetur dare consequentiã ad formam; actus vero secundarius in obl'quo solum participat rationem formalem scientię: alias non esset secundarius; sed primarius; & ideo per ordinẽ ad illum scientia secundum se sumpta non sumit speciem, nec denominationẽ simpliciter.

32. Quibus suppositis respõdetur distinguẽdo maiorem quoad primam partem, Logica docens quoad munus secundariũ est ars, indistincta à scientia, concedo maiorem, distincta ab illa, nego maiorem: & eodem modo distinguo illam quoad secũdam: & distinguo minorẽ, ars nõ est speculativa, ars distincta à scientia speculativa, concedo minorem, indistincta; iterum subdistinguo minorem, ars indistincta non est speculativa, in esse rei, concedo minorẽ, in esse obiecti, nego minorem, & consequentiam, nam Logica docens non tradit regulas vltimatè, vt opus fiat; sed vt in illo Logica docens contẽplatiua proprietates maiori cõsideret perfectione, & facilitate: vnde licet in esse rei, vel secundum se exhibitio regularum sit practica; tamen in esse obiecti est speculativa: non aliter ac licet actus Logicæ vtentis non sit in esse rei scientificus; tamen in esse obiecti de connotato est scientificus, quatenus stat sub actu scientifico doctrinæ. Ex quo colligo Logicam dici practicam secundum quid ab actu secundario in esse rei accepto: non aliter ac Logica dicitur sermocinalis ab actu secundario materialiter accepto; scilicet à vocibus à Logica secundario consideratis.

§. V.

Fundamenta primæ sententiæ.

33. PRimum primę est auctoritas Aristotelis, qui 1. Topic. cap. 9. diuidit problemata in practica, & speculativa, & quæ ad hæc conducunt: & vt ipse se explicat cap. 12. intelligit problemata Dialectica esse in hoc tertio genere. Et 6. met. cum erans scientias practicas, & speculativas indicat Logicam nec esse practicam, nec speculatiuam, sed instru-

instrumentum aliis scientijs deseruiens; ergo ex mente Philosophi Logica ex se ab vtraq; abstrahit differentia.

Respondetur Aristotelem cap. 4. eiusdem libri appellasse problemata Dialectica speculationes; & ideo in cap. 9. non loquitur de fine proprio, & operis, sed de extrinseco, & operātis, à quo scientiæ non dicuntur practicæ, nec speculatiuæ simpliciter. Ad secundam auctoritatē dico Philosophum ibi non diuidere scientias vsque ad vltimas rationes, & quasi differentias; sed tātum per communes differentias, quę postea subdiuidi possunt in differentias inferiores, quę adæquatè exhaurianc totam diuisū capacitatem. Secundo, & melius respondetur iuxta solutionem primæ auctoritatis Aristotelem non loqui de Logica prout respicit finē operis, seu scientiæ; sed operantis, & scientis, à quo non accipit denominationes practicæ, nec speculatiuæ.

34. Secundum primæ sic se habet, obiectum nostræ Dialecticæ abstrahit à practico, & speculatiuo; ergo Dialectica abstrahit à practica, & speculatiua. Consequentia est certa, nā illa est scientia speculatiua, quæ respicit obiectum speculabile vt speculabile, & practica, quæ respicit obiectū operabile vt operabile. Antecedens probatur, Logica respicit tanquam obiectum modum sciendi, videlicet propositionem, definitionem, &c. sed talis modus sciendi abstrahit à practico, & speculatiuo; vtique quia propositio secundum se non respicit obiectum operabile vt operabile, nec obiectum speculabile, vt speculabile; ergo obiectum nostræ Dialecticæ abstrahit à practico, & speculatiuo.

Respondetur negando antecedens, nam Logicæ obiectum, vt constat ex discursu quæstionis simpliciter est speculabile, & secundum quid operabile; & licet secundum se non operetur; tamen secundum se speculatur, vt in singulari operetur.

§. VI.

Argumenta secundæ sententiæ.

35 IN fauorē secundæ sentētiæ insurges primo ex Philosopho 6. met. text. 1: vbi diuisit scientiam speculatiuam, in Philosophiam, Mathematicam, & Metaphisicam; ergo Logica ex mente Philosophi non est speculatiua: alias esset ab illo inter scientias speculatiuas numerata.

Respondetur primo Philosophum ibi solum numerasse scientias speculatiuas principaliores; & sic Logicæ non meminisse. Secundo dico implicite esse numeratam in Philosophia; nam multoties Logica appellatur à Philosopho rationalis Philosophia.

36. Argues secundo ex Diuo Tho-

Thoma: opusc. 70. q. 5. art. 1. ad 2. vbi sic ait: *Res autem, de quibus est Logica, nõ quærũtur ad cognoscendum propter seipsas; sed vt adminiculum quodam ad alias scientias*, sed ex eodem Diuo Thoma constat, quod scientia, quæ non est propter se, non est speculatiua, nisi reductiuè tantum; ergo Logica, quæ secundum Diuum Thomam est propter alias scientias, erit practica, & non speculatiua. Respondetur iuxta dicta in notabili tertio, quod in hoc opusculo Diuus Thomas solum loquitur de fine operantis, vel scientis, non verò de fine operis, vel scientiæ; à quo scientia sumit denominationẽ practicæ, vel speculatiuæ. Constat hoc: tum quia in ipsis verbis ait: *Res, de quibus est Logica, quæruntur nõ propter seipsas.* Vbi expresè loquitur de fine quæsito, vel quasi scientiæ imposito: finis autem scientiæ, vel operis non quæritur, sed tenetur. Tum quia loquitur de modo sciẽdi per ordinem ad alias scientias, ad quas Logica primario, & ex fine proprio, & intrinseco non ordinatur, vt constat ex dictis q. 2. concl. 4. §. 6. n. 20.

37. Argues tertio ratione: Logica ex se respicit opus mentale: ergo est scientia practica. Consequẽtia est certa, cum illa sit sciẽtia practica, quæ respicit pro fine operationem. Antecedens probatur, Logica ex se docet qualiter conficiendus sit syllogismus; v.g. ergo ex se respicit opus mẽtale; vtiq; quia ex eo colligimus artem domifactoriam respicere ex se opus, quia docet qualiter fit domus conficienda. Nec placet aliquorum effugium dicentium Logicam non esse scientiam practicam, quia licet ex se respiciat vt obiectum opus mentale; tamen non respicit illud vt operabile; sed vt speculabile, vt liquet in modo, quo Logica procedit circa suum obiectum; videlicet definiendo, diuidendo, & argumentando: qui modus procedẽdi est proprius scientię speculatiuæ. Non (inquam) placet, quia hic modus procedẽdi nõ est sciẽtię speculatiuæ, vt formaliter explicat modum proprium, seu differentiam intraneam scientię, sed scientię vt sic; vt videre licet in sciẽtijs practicis hoc modo procedentibus: quare ex tali modo procedendi non sequitur Logicam esse scientiam speculatiuam; sed solum esse scientiam. Quare hac relicta solutione respondetur distinguendo antecedens: Logica ex se respicit opus mentale per se secundo, vel tanquam ad finẽ secundarium, concedo antecedens, per se primò, & tãquam ad finem primarium, nego antecedens, & consequentiam: ad probationem distiguo antecedens; Logica docet qualiter sit conficiẽdus syllogismus, per se secundo, & ex fine secundario, concedo antecedens, per se primo, & ex fine primario, nego antecedens, & consequentiam: nam

Logi-

Logica ex fine primario, & per se intento non respicit operationē, sed contemplationem modi sciēdi; vt constat ex rationibus nostræ secundæ conclusionis. Nec exemplum aliatum tenet, quia ars domifactoria per se primo respicit ædificium; Logica vero solum per se secundo, & consequenter mentale respicit opus. Ratio differentiæ est in promptu, nam Logica cognoscit propriū obiectum per suas causas, & propria Theorica sistendo in illius contemplatione; ars vero domifactoria solum cognoscit, vt demonstret, qualiter conficiēda sit domus sistendo in illius operatione. Nec replica apposita nostrę opponitur solutioni, nam nostra solutio non infert Logicæ speculatiuum finem ex eo, quod procedat circa suum obiectū per definitionem, diuisionem, & demonstrationem; sed ex eo, quod procedat circa illud per principia speculatiua.

38. Argues quarto, Logica medijs suis actibus dirigit alias scientias, ergo est practica. Antecedens est certum: consequentia probatur, nam illa est sciētia practica, quæ respicit obiectum vt operabile, sed dirigibile, & operabile se habent ad conuertentiam; ergo Logica, quæ respicit directionem aliarum scientiarum, est practica.

Respondetur distinguēdo antecedens, Logica dirigit alias scientias, secundario, & ex fine operantis, concedo antecedens, primario, & ex fine operis, nego antecedens, & consequentiam: ad probationem, concedo maiorem, & minorem; & nego consequentiam; nam (vt sæpè sæpius dixi) denominationes practici, & speculatiui non debent accipi ex fine extrinseco, & secundario; sed ex intrinseco, & primario scientiæ, qui in Logica est speculabile vt tale.

39. Argues quinto, maius bonum est dirigere omnes intellectus operationes absque errore, & falsitate, quam perfecte, & adequate cognoscere naturā modi sciendi; ergo Logica per se primo, & ex fine intrinseco, seu scientię respicit talem directionem, & solum per se secundo, & ex fine extrinseco, seu sciētis respicit cognitionem modi sciendi; ergo Logica per se primo est practica, & tantum per se secundo speculatiua. Secunda consequētia constat ex prima: prima ex se constat, nam quādo eadem sciētia versatur circa duplicem finē, illum respicit per se primo, qui in se continet maius bonum; vtique quia bonū maius est magis amabile. Antecedens vero probatur, dirigere operationes intellectus absq; errore, & falsitate est magnum, & vniuersale bonum, cognoscere vero naturam modi sciēdi est peculiare bonum; ergo maius bonum est dirigere omnes intellectus operationes absque errore, & falsitate, quam cognoscere

cere

cere modi sciendi naturam.

40. Ex hoc argumento aliqui deducunt generalem regulam ad cognoscendum, quando scientiæ, quæ ordinãtur ad rem operabilem, sunt practicæ, vel speculatiuæ, dicendo quod quotiescumq; est maius bonum aliquam concipere entitatem, quam talem entitatem perfecte cognoscere; tunc scientia, quæ inclinat in operationem, & cognitionem est practica simpliciter; si vero è conuerso maius bonum reperitur in cognitione, quam in operatione rei operabilis; tunc talis scientia est simpliciter speculatiua. Sed absque dubio hæc regula est absolute falsa, nam vt dixi in exordio quæstionis num. 2. 3. & 4. differentiæ practici, & speculatiui accipiuntur ex fine à scientia intento; iam talis finis sit maius, vel minus bonum.

41. Quare pro solutione argumenti noto primo, quod illud, quod habet rationem finis, semper habet rationem boni respectu intendentis finem, bonũ enim intellectus est veritas, quæ in intellectus operationibus reperitur, sicut falsitas est illius malum.

42. Noto secundo, quod in intellectualibus cognitionibus duplex veritas reperitur, practica, videlicet, & speculatiua: hæc est bonum solius intellectus; illa verò non tantum est bonum intellectus; sed etiam alterius entitatis, quę per cognitionem practicam ab intellectu, tanquã à principio dirigente operatur; & ideo docent Doctores intellectũ speculatiuum respicere contemplationem, vt finem, quia speculatio est bonum illius; intellectum verò practicum non respicere cognitionem practicam vt finem, sed operationem, quia licet veritas practica sit bonum intellectus practici, hæc tamen veritas ordinatur ad bonum rei operabilis, quæ per ipsam dirigitur.

43. Noto tertio aliquod bonum dici maius alio, primo absolute, & simpliciter, quia plus perfectionis reperitur in vno, quam in alio, secundo respectiuè ad aliquod tertium, quod tale intendit bonum; & in hac acceptione non dicitur maius bonum, quod plus perfectionis continet in se; sed quod plus perfectionis tribuit intẽdenti: vnde accidere potest, quod aliqua entitas minus perfecta præferatur entitati perfectiori, quia illa est maius bonum respectu intendentis: hac de causa palea est maioris boni respectu bouis, quam caro.

44. His præsuppositis respondetur ad argumentum distinguẽdo antecedens, maius bonum est dirigere intellectus operationes absque errore, & falsitate, quam cognoscere naturam modi sciendi, maius bonum simpliciter, & absolute, concedo antecedens: maius bonum respectu Logicæ, nego antecedens, & vtramque consequentiam. Ad probationẽ concedo antecedens; & distin-

guo

quo consequens eodem modo, quo antecedens primum, nam quando aliqua entitas respicit duplex bonum illud respicit per se primo, & per se, quod est maius bonum sibi; non vero quod est maius bonum absolutè, & simpliciter. Et ratio est, quia entitas intendens bonum, propriam intendit perfectionem; immo si aliquando intendit perfectionem alienam, id præstat, quia ex tali perfectione aliquod bonum sibi acquirit: vnde quãuis maius bonum sit dirigere operationes intellectus, quam cognoscere naturam modi sciendi; tamen non sequitur Logicam primario ordinari ad talem directionem, & secundario ad contemplationem modi sciendi, quia licet talis directio sit maius bonum absolutè, & simpliciter; est tamen respectu Logicæ minus bonum.

45. Argues sexto, finis scientię speculatiuæ est veritas simpliciter dicta consistens in conformitate actus cum obiecto provt est in se, sed Logica in ordine ad suũ obiectum non habet veritatem simpliciter dictam, seu veritatem per ordinem ad obiectum provt est in se, sed per ordinem ad regulas artis; ergo Logica solum est simpliciter practica, cum veritas scientiæ practicæ sit per conformitatem ad regulas artis. Probo minorem, Logica habet pro obiecto ens rationis, sed in ordine ad ens rationis non habet cõformitatem cum obiecto provt est in se: vtique quia animal, vt est in se, non est genus: ergo Logica in ordine ad suum obiectum non habet veritatem simpliciter dictam. Et si dicas: obiectum scientiæ speculatiuæ abstrahere à vero simpliciter, & secundum quid: non aliter ac Metaphysica abstrahit ab ente simpliciter, & secundum quid. Sed contra est, nã ex hoc sequitur fidem diuinã posse terminari ad verum secundum quid, seu ad id, quod ratione ignorantiæ inuincibilis reputatur vt reuelatum à Deo, & ab Ecclesia propositum per viros magnæ sapientiæ, & auctoritatis; quod est plusquam falsum, nam fidei diuinæ non potest subesse falsum, & ex tali solutione sequitur posse subesse falsum, cum posset terminari ad id, quod in re est tale.

Quare respondetur ad argumentum concedendo maiorem; & negando minorem. Ad probationem concedo maiorem; & nego minorem, nam obiectum formale Logicæ non est animal v. g. vt est in se, vel vt excludit secundam genereitatis intentionem; sed animal tali secunda indutum intentione; videlicet cõcretum resultans ex natura animalis, & ex secunda intentione genereitatis; quod est genus formale. Vnde licet Logica nõ conformetur cum natura animalis provt est in se; cõformatur tamẽ cum genere provt est in se: cum ordine ad illud suos speculatiuos dirigat actus.

46. Ar-

46. Argues septimo. Logica est omnibus scientijs etiam practicis ignobilior: vtique quia illa respicit ens rationis; istę verò ens reale, sed si Logica esset simpliciter speculativa esset sciẽtijs practicis nobilior; ergo Logica non est simpliciter speculativa. Respondetur distinguendo maiorẽ, est scientijs practicis ignobilior, simpliciter, concedo maiorem, secundum quid, nego maiorẽ, & minorem, si loquantur de perfectione simpliciter dicta, nam licet Logica sit scientijs practicis perfectior in modo, quo circa suum obiectum procedit; non vero in obiecto, circa quod procedit, à quo sumit speciẽ, & denominationẽ simpliciter dictam.

47. Argues octauo. Ab operatione simpliciter speculativa Logicę docentis appellatur sciẽtia simpliciter speculativa; ergo ab operatione simpliciter practica vtentis debet scientia simpliciter practica appellari, sed operatio Logicæ vtẽtis est simpliciter practica; ergo ab illa debet Logica simpliciter practica appellari. Respõdetur distinguẽdo maiorem, ab operatione simpliciter speculativa appellatur sciẽtia simpliciter speculativa, si aliàs sit primaria, & in esse obiecti, concedo maiorẽ, si sit secũdaria, & in esse rei, nego maiorẽ; & distinguo minorẽ, operatio Logicæ est practica, secũdario in esse rei, concedo minorẽ, primario in esse obiecti, nego minorẽ, & consequentiam, nam actus secundarius scientiæ debet attingi propter primarium; vt constat in actibus, quibus Mathematica conficit triangulum, qui in esse obiecti sunt speculativi; etiam si in esse rei sint practici.

48. Replicabis, Logica docens quoad munus secundarium nõ est formaliter scientia; etiam si talis actus sit propter sciẽtificum; ergo vt sic nõ est formaliter speculativa, etiam si doctrina sit propter speculationẽ. Respõdetur cõcedendo antecedẽs; & negando cõsequentiã, nã ad rationẽ scientiæ formaliter opus est, quod actus dimanans ab ea reduplicatiue vt talis sit in recto scientificus; at verò ad rationem speculativi, vel practici solum requiritur, quod in obliquo sit propter practicum, vel speculativum. Ratio discriminis constat ex definitione sciẽtiæ: *Quæ est cognitio rei per suam causam*; & ideo quotiescumque actus non scit causam, ex qua deducitur conclusio, non est actus formaliter scientificus; è cõverso verò ad hoc vt actus sit formaliter speculativus, sufficit, quod respiciat pro fine veritatem; vt constat etiam ex definitione habitus speculativi: vnde sequitur actũ Logicę vtentis non esse formaliter scientificum, & esse formaliter speculativum, nam ad rationem cognitionis sciẽtificæ nõ sufficit esse propter actum scientificum; sicut sufficit ad rationẽ cognitionis speculativæ esse propter

pter contemplationem, tanquam propter finem.

49. Argues nono. Philosophia moralis est simpliciter practica, quia actus voluntatis dirigit, sed Logica dirigit actus intellectus; ergo etiam erit simpliciter practica. Respondetur distinguendo maiorem, quia dirigit actus voluntatis, per se primo sistendo in illorum directione concedo maiorem: præcisè quia illos dirigit, nego maiorem; & distinguo minorem, Logica dirigit actus intellectus, primario sistendo in illorum directione, nego minorē: secundario, & in illorum non sistendo directione, concedo minorem; & nego consequentiam, nam (vt dixi) Logica non quiescit in directione actuum tāquam in fine primario, sed illā attingit secundario propter secundarum intentionum contemplationem.

§. VII.

Argumenta tertiæ sententiæ.

50. PRimum huius sententiæ fundatur in auctoritate D. Augustini, & D. Thomæ, qui nō solum appellant Logicam habitum speculatiuum; sed etiam artem; ergo sentiunt Logicā simul esse practicam, & speculatiuam; vtique quia ars ex se respicit opus; ergo idem est dicere esse simul habitum practicum, & artē; ac dicere esse simul practicam, & speculatiuam.

Respondetur negando consequētiam, nam licet sentiant Logicam esse artem; non tamē sentiunt esse artem per se primo; sed solum per se secundo; vt conitat expresè ex loco D. Thomæ supra allegato. §. 4. concl. 2. n. 16. vbi docet Logicā solum per quādam similitudinem esse artem.

51. Secundum. Logica præstat intellectui, quidquid præstarent duo habitus, quorum alter esset speculatiuus, & alter practicus; ergo Logica est simul practica, & speculatiua. Cōsequentia est certa: antecedens probatur, nā Logica versatur circa perfectam, & adæquatam cognitionem modi sciendi, & procedit circa illum modo speculatiuo; & ex alio capite conficit instrumenta modi sciendi dirigēdō operationes intellectus modo practico in ordine ad tale artificium; ergo Logica præstat intellectui, quidquid præstarent duo habitus, quorum vnus esset speculatiuus, & alius practicus.

Respondetur negādo antecedens: ad probationem distinguo antecedens quoad secundā partem, Logica conficit instrumenta modi sciendi, secundario, concedo antecedens, primario, nego antecedens, & consequētiam, nam Logicæ primarius actus eā specificans, & denominans est contemplatio modi sciendi; & ideo ipsa non præstat intellectui omne id, quod præstarent duo habitus, quorum vnus esset per

se

se primo ordinatus ad opus, & alius ad veritatis contemplationem.

52. Tertium. Logica procedit modo resolutorio, & modo compositorio; ergo est simul practica, & speculativa.

Respondetur distinguēdo antecedens quoad secundam partem, Logica procedit modo cōpositorio, secundario cōcedo antecedēs, primario, nego antecedens, & consequentiam, nam (vt iam dixi) artificiosa compositio modi sciendi est à Logica propter speculationem facta.

53. Quartum. Logica non solum respicit cōtemplationē proprij obiecti; sed etiam directionem aliarum scientiarum, sed à primo respectu est simpliciter speculativa; ergo à secundo est simpliciter practica.

Respondetur distinguēdo maiorem quoad secundam partem, Logica respicit directionē aliarum scientiarum ex fine intrinseco, & scientiæ, nego maiorem, ex fine extrinseco, & scientis, concedo maiorem, & minorem; & nego consequentiam, nam (vt constat ex quæstionis discursu) Logica solum secundario, & ex finē operantis respicit directionem aliarum scientiarum, à qua non accipiuntur denominationes practici, & speculativi.

54. Quintum. Logica dirigit scientias speculativas, & practicas, sed si non esset speculativa, non dirigeret speculativas; ergo vt practicas dirigat, opus est, quod sit practica.

Respōdetur distinguēdo maiorē: Logica dirigit sciētias speculativas, & practicas, ex fine intrinseco, nego maiorē, ex fine extrinseco, concedo maiorē; & distinguo minorē, si nō esset speculativa nō dirigeret sciētias speculativas, vt speculativæ sunt, cōcedo minorē, vt sciētię sunt, nego minorem; & eodē modo distinguo consequens, quia Logica nō dirigit alias scientias ex fine operātis, vt sunt speculativæ, vel practicæ, sed vt scientiæ sunt. Quod constat ex eo, quod solum tradit instrumenta, vt aliæ sciētię scientifico modo procedant in cognitionē sui obiecti. Adde practicū secundarium in Logica repertum sufficere, vt scientiæ practicæ essent à Logica vt practicę directę.

55. Sextum. Logica introducit suam formam in materia operabili, & speculabili; ergo est simul practica, & speculativa. Antecedens probatur quoad primā partem, in qua potest esse difficultas, Logica cōficit syllogismū ad demonstrandum, qualiter cōficienda sit Ecclesia; ergo tunc in materia operabili introducit formam syllogisticam.

Respondetur distinguendo antecedens, Logica introducit suā formā in materia operabili, à Logica, nego antecedēs, in materia operabili, ab alia arte, concedo antecedens; & nego cōsequētiā:

ad probationem distinguo antecedens eodem modo; & nego cõsequentiam, nam Ecclesia nõ est à Logica, sed ab arte domifactoria construenda: vnde hęc materia operabilis nõ attingitur à Logica vt obiectum primarium, & formale; sed vt materiale, à quo non sumit denominationes practicæ, vel speculatiuæ; non aliter ac prudentia nõ dicitur speculatiua, etiam si introducat suam directionem in materia operabili, scilicet in actibus intellectus, quia talis materia de materiali se habet, & denominationes practici, vel speculatiui; (vt sæpius dixi) debent sumi ex modo, quo scientiæ respiciunt obiecta primaria, & formalia.

56. Septimum. Nõ datur maior oppositio inter practicum, & speculatiuum, quam inter amorem, & odium, sed voluntas ex æquo respicit amorem, & odium, etiam si inter se sint actus oppositi; ergo Logica æqualiter etiam poterit respicere practicum, & speculatiuum; etiam si sint actus inter se oppositi. Doctores nostræ familiæ concedunt maiorem, & minorem, & negant consequentiam, nam docent voluntatem posse per se primo ad amorem, & odium terminari, quia habet latitudinem potentiæ; Logicam vero nullatenus posse ordinari primario ad actus practicos, & speculatiuos, quia habet habitus limitationem: non aliter ac licet voluntas ratione suæ latitudinis possit ad hos duos actus primario ordinari; tamen nullus habitus voluntatis ratione suæ limitationis potest ad illos primario terminari. Hæc solutio inconsequenter datur: nam lib. 3. Philosophiæ, disp. 6. de causa finali, q. 1. §. 2. num. 7. docent voluntatem primario non terminari ad actus oppositos, & contrarios; sed primario, & directe ad vnum, & secundario, & indirectè ad alium. Et ideo vt cum consequẽtia procedamus respondetur cõcedendo maiorem, & negando minorem, nam voluntas directè respicit amorem per modum actus primarij, & per modum obiecti primarij bonum, quod est amoris obiectum; indirectè vero respicit odium per modum actus secundarij, & malum, quod est odij obiectum per modum obiecti secundarij. Ratio est, nam voluntas non mouetur ad odium mali, nisi in virtute boni amati; & ideo nec voluntas respicit ex æquo amorem, & odium; nec Logica actus practicos, & speculatiuos. Ex quo sequitur argumentum efficax in fauorem nostræ primæ conclusionis, nam si voluntas, quæ maximam importat latitudinẽ, non potest primario ordinari ad actus oppositos amoris, & odij; quomodo Logica, quę maximã importat limitationem poterit primario ordinari ad actus oppositos practici, & speculatiui.

§. VIII.

§. VIII.

Quæstiuncula appendix.
Quid sit praxis, & an sit in intellectu?
Definitio Scoti.

57. PRAXIS, quod est scientiæ practicæ obiectum, sic definitur ab Scoto.q.vltima prologi. *Praxis est actus alterius potentiæ ab intellectu, posterior intellectione, natus elici conformiter rationi rectæ, vt rectus sit.* Primam definitionis partem probat primo, quia praxis debet esse actus elicitus, vel imperatus à voluntate; ergo debet esse actus alterius potentiæ ab intellectu, cum actus intellectus non sit elicitus, nec imperatus à voluntate. Antecedens probatur ex communi Philosophorum axiomate; quod asserit intellectum fieri extensione practicum; ergo praxis est actus elicitus, vel imperatus à voluntate. Probat Scotus hanc consequentiam, quia ille actꝰ est praxis, circa quẽ versatur intellectus, cum extenditur, sed intellectus nõ extenditur, quando non versatur circa operationem extra intellectum elicitam; vtique quia quãdo versatur circa propriam, intra se manet; ergo praxis est actus elicitus, vel imperatus à voluntate.

58. Secundo probatur eadem definitionis pars. Omnis actus intellectus est practicus, vel speculativus; ergo nullus intellectus actus est praxis. Antecedẽs probatur, quoniam si actus intellectus est cognitio rei speculabilis, est speculativus; si rei operabilis, est practicus; ergo omnis actus intellectus est practicus, vel speculativus: ergo nullus est praxis quia (vt dixi §.1.notabili, & nu. 1.) cognitio practica distinguitur à praxi, sicut actus distinguitur ab obiecto.

59. Secundam definitionis partem probat ex eo, quod praxis comparatur ad actum intellectꝰ practicum, tamquam ad causam, cum praxis dependeat ab intellectione practica tanquam à regula dirigente; ergo est natura posterior intellectione, cum omnis effectus sit natura posterior sua causa.

60. Vltimam definitionis partem probat, nam quidquid fit per regulas artis est rectum, sed praxis fit per regulam rationis, cum conficiatur iuxta regulas artis; ergo actus, qui dicitur praxis, essentialiter importat rectitudinem.

§. IX.

Prima assertio.

61. HIS non obstantibus asfero proprie dari praxim in intellectu. Pro hac stant OKam.q.4.prologi, art.1.Gregor.q.5.ar.1.Suar.disp.44.met. sect.13.à num.26. vsque ad 29.

Vazquez, disp. 8. supr. 1. p. Molina 1. p. quæs. 2. art. 2. disp. 1. & etiam quam plurimi Thomistæ moderni, tam ex nostris, quã ex extraneis. Probatur primo nostra cõclusio ratione efficaci. Nõ alia ratione datur praxis in voluntate, nisi quia prudentia versatur circa actus voluntatis illos dirigendo, & ordinando rectè in proprium finem, sed eodem modo versatur prudẽtia circa actus intellectus; vtique sicut medio suo actu præcipit, quod hic, & nunc est amandum, sic præcipit quod hic, & nunc est studẽdum; ergo verè, & proprie datur praxis in intellectu. Confirmatur, & explicatur hæc ratio, obiectum prudentię est praxis, sed prudentia nedum versatur circa actus voluntatis tanquam circa obiectum; sed etiam circa actus intellectus tanquam circa obiectũ, cum illos dirigat in proprium finem; ergo praxis propriè datur in actibus intellectus.

62. Secundo probatur nostra assertio. Vt in intellectu sit praxis, non est opus, quod extendatur ad actus alterius potẽtiæ; sed satis est, quod per actum proprium extendatur ad regulãdum alium actum ab ipso etiam intellectu elicitum, sed talis regulatio valet dari in intellectu; ergo & praxis. Maior probatur, actus intellectus dirigens actum voluntatis, vt rectè fiat in suo ordine, est cognitio practica, & actus voluntatis directus est praxis; ergo actus intellectus dirigens alium actum ipsius intellectus est actio practica, & actus directus praxis; ergo vt sit praxis in intellectu, non est opus, quod extendatur intellectus ad actus alterius potentiæ. Confirmatur, dum actus intellectus dirigit alium actum ipsius intellectus, tunc talis actus non est speculatio, cum non sit propter se, sed propter actum directum, est enim proprium actionis speculatiuæ esse propter se tanquam finis speculantis; ergo talis cognitio est practica, & illius obiectum, videlicet intellectio directa, praxis.

§. X.

Secunda assertio.

63. PRopter has rationes abscedo à definitione Scoti, & assero secundo: *Praxim esse actũ cuiuscumque potentiæ à ratione regulabilis.* Constat ex rationibus primæ assertionis, & probatur breuiter ex eo quod praxis est obiectum actionis practicæ, sed omnis actus à ratione regulabilis est obiectum actionis practicæ, cum actio regulans, & dirigens sit propter actum directum; ergo praxis est actus cuiuscumque potentiæ regulabilis à ratione.

§. XI.

Fit satis rationibus Scoti.

64. ADprimam rationem adductam pro Scoto in fauorem

norem suæ definitionis respõdetur primo negando antecedens, nam vt aliquis actus consequatur rationem propriam praxis, sufficit, quod sit dirigibilis à ratione; quamuis talis actus non sit elicitus, vel imperatus à voluntate. Vel secundo potest dici cum pluribus actionem intellectus à ratione directam esse imperabilem à voluntate. Ad probationẽ aliqui docent illud axioma non esse Philosophi; veruntamen illo admisso respondetur primo. Philosophum non negasse praxim in intellectu, ex eo quod dicat illum fieri extensione practicum, nam benè stat; quod extensione fit practicus, & quod sine tali extensione etiam sit practicus, nam qui affirmat praxim in extensione, non negat illam sine extensione. Secundo respondetur intellectum nõ dici extẽsione practicum, quia vt practicus respiciat actus alterius potentiæ; sed quia vt sic non solum cognoscit quomodo sit aliquid faciendum; verum etiam dirigit principium exequens in productione actus directi, nunc talis actus sit intellectus, nunc voluntatis.

65. Ad secundam rationẽ respondetur concedendo antecedens; & distinguẽdo cõsequens; ergo nullus actus intellectus est praxis, in ratione, in qua est speculativus, vel practicus, concedo consequentiam, in alia ratione, nego consequẽtiam, nam nullum potest excogitari inconueniens in hoc, quod vnus, & idem actus sit praxis, & actus practicus, vel speculativus respectu diuersorum: sicut actus intellectus à prudentia directus est formaliter vt talis, praxis; & materialiter speculativus.

66. Ad tertiam rationem respondetur concedendo praxim dependere ab actione practica tanquam à causa; tamen ex hoc nõ sequitur, quod vnus actus intellectus non valeat dependere ab alio, tanquam à causa dirigẽte, cum vnus valeat ab alio regulari. Per quod constat vltimam rationem non esse cõtra nostram definitionem, nam libenter concedimus esse rectum totum id, quod à ratione recta regulatur.

QVÆSTIO VIII.

An Logica artificialis sit alias scientias simpliciter necessaria?

§. I.

Præmittuntur aliqua.

1. HVcusque actum est de rebus pertinentibus ad esse proprium, perfectionemque intrinsecam nostræ Dialecticæ, accedamus iam ad esse, quod extraneis ministrat scientijs, vt vndequaque Dialecticæ penetres nobilitatem. Pro quæstionis intelligentia nota primo duplicem esse Logicam, naturalem vnam, ar-

tificialem aliam: *naturalis est facultas intellectiua, vel est intellectus ad definiendum, diuidendum, & argumentandũ ordinatus*, natura enim intellectiua in se continet omnes scientias; sicut appetitiua omnes virtutes: de hac locutus est Aristeles 1. rhetoricorum cap. 1. dum dixit. *Homines natura duce vsque ad certum terminum definiũt, diuidunt, & argumentantur. Ars verò artialis, vel acquisita est facultas, vel habitus intellectualis distinctus ab ipso intellectu, quo faciliter, & prompte ordinatur intellectus ad instrumẽta Logica, quæ intellectui ex fine extrinseco deseruiunt, vt tuto pede in suis possit progredi operationibus.*

2. Nota secundo ex Philosopho 5. met. cap 3. aliquid multipliciter dici necessarium: primò dicitur aliquid necessarium ad finem consequendum simpliciter; quando finem nullomodo possumus assequi absque illo: qua ratione cibus dicitur necessarius ad vitæ conseruationem, quia sine illo nullo modo viuere valemus. Secundo dicitur aliquid necessarium ad finem cõsequẽdum, non absolutè, & simpliciter; sed tantum secundum quid: ideſt, ad finem commodius assequendum; vt ad iter agendum est necessarius equus, non absolutè, nã absque equo iter agere valemus; sed ad commodius iter agendum. Tertio dicitur aliquid necessarium ab intrinseco, quando aliter esse non potest propter naturam rei: qua ratione Deum esse æternum est necessarium ab intrinseco, quia aliter esse non potest propter naturam Dei. Quarto, & vltimo dicitur aliquid necessarium ab extrinseco, cum ab extrinseco, & violenter accidit; vt lapidem proiectum sursum, est necessarium ascendere quandiu durat impulsus proiectionis, non ab intrinseco; sed ab extrinseco, & violenter, motus enim ille potius est contra naturam, quam secundum naturam lapidis. Quæstio ergo nostra solum procedit de necessitate in prima, & secunda acceptione, vt ex quæstione constabit.

3. Nota tertio scientiam ab auctoribus diuidi in statu perfecto, & imperfecto: in statu perfecto dicunt dari, quando non solum assentitur conclusionibus ex assensu præmissarum; sed etiam scit eas in sua resoluere principia; & argumentis contrariorum respondere; tunc vero in statu imperfecto, quando ex assensu præmissarum assentitur cõclusionibus; non tamen scit illas resoluere, nec argumentis satisfacere. Sed hæc diuisio non potest in præsenti admitti, nam de ratione scientiæ vt sic est, quod sit cognitio, vel assensus certus, & euidens; ita vt sciat causam conclusionis, illamque ad causam resoluere, & denique quod reddat rationem, quare illa cõclusio est certa, & euidens respõdendo argumentis contrarijs, & cognoscẽdo se illam cognoscere per sua pri-

prima principia, sed scientia in statu imperfecto hoc non habet; ergo illa nó participat rationem scientiæ vt sic; sed rationem opinionis à scientia distinctæ, & scientiæ oppositæ.

4. Nota quarto scientiam posse sumi intrinsecè, & extrinsecè: intrinsecè, quatenus certo, & euidenter penetrat bonitatem vnius, vel alterius conclusionis: extrinsecè, quatenus se extendit ad omnes, vel ad fere omnes conclusiones.

5. Nota quinto habitum vt sic (prout ad præsens attinet) diuidi in habitum primorum principiorum; & in scientiam, vel artem: *habitus primorum principiorum* (nunc sit ab intellectu distinctus, nunc ab illo sit indistinctus) *est vis intellectiua, qua respicit principia prima, & irresolubilia*: quæ facultas licet ex parte potentiæ nõ sit acquisita, sed à natura, vel cũ natura indita; tamen ex parte obiecti est acquisita, cum egeat speciebus acquisitis obiectorum, vt veniat in principiorum cognitionem: *Scientia vero est illa, quæ demonstrat passiones ex principijs cognitis ab habitu primorum principiorum.* Hæc diuisio est in Logica sicut in alijs scientijs admittenda.

6. Quibus suppositis, quod inquirimus est; an aliæ scientiæ, ita dependeant à Logica artificiali, quæ habet rationem scientiæ, vel ab illa, vt habet rationem habitus primorum principiorum, vel ab vtroque simul, vt sine illa nullatenus possint comparari, nec intrinsecè, nec extrinsecè?

§. II.

Proponuntur sententia.

7. PRima sentẽtia affirmat Logicã artificialẽ per modum scientiæ esse ad alias sciẽtias, nedum extensiue, sed etiam intensiue acquirendas simpliciter necessariam. Ita Sotus q. 1. procemialium. Arauxo 2. met. q. 3. ar. 3. Gallego hic controuersia 6. & nouissimè sapientissimus Magister Lerma vir doctissimus, & eruditissimus ex celeberrima prędicatorum familia.

8. Secunda ex diametro opposita cõtrarium tenet. Ita Iabellus, tit. 1. Logicæ cap. 4. & quam plurimi recentiores.

9. Tertia in tertio notabili fundata asserit Logicam esse per modum habitus scientifici simpliciter necessariam ad omnes scientias in statu perfecto; nõ vero ad illas in statu imperfecto acquirendas. Ita Collegium Complutense disp. 1. Logicæ q. 7. Ioãnes à Santo Thoma q. 1. art. 1. & alij, & quam plurimi ex nostris. Hæc sententia à prima non differt, quia (vt dixi) scientia in statu imperfecto, vt à Doctoribus explicatur, magis est opinio, quã scientia.

10. Quarta docet intellectum cum habitu primorũ principiorum

rum aliarum scientiarum, vel saltim cum habitu Logico primorum principiorum absque scientifico ipsius Logicæ artificialis habere possibilitatem Physicã, & moralem ad aliarum scientiarum intensiuam acquisitionem; ad extensiuam vero non habere possibilitatem moralem, sed tãtum Physicam sine Logica per modum habitus scientifici præsupposita. Hæc videtur media inter extrema.

11. Pro intelligentia terminorum nota ex sapientissimo Magistro Coriole 12. q. 107. disp. 2. art. 4. dari in rebus duplicem impossibilitatem, Physicam, seu Metaphisicam vnam, & moralẽ aliam. Physica datur, quando actus, ad quem est impossibilitas, non potest dari defectu virtutis Physicæ: moralis vero datur, quando difficultas actus est tanta, vt arbitrio prudentis viri nũquam possit talis actus dari, quãuis detur virtus Physica ad talẽ actum. Ex quo colliges tunc dari possibilitatem Physicam ad actum, quando ex natura sua actus non repugnat; attamen tam magnæ sunt difficultates illum obstantes, vt arbitrio prudentis viri reputetur vt impossibilis; tunc vero dari possibilitatẽ Physicam, & moralem simul, quando actus ex natura sua non repugnans nullas patitur difficultates, vt fiat. Quibus suppositis in fauorem huius sententiæ sit.

§. III.

Prima conclusio.

12. POtentia intellectiua absq; Logica artificiali scientifica, vel per modum habitus scientifici præsupposita, & etiam absque habitu Logico primorũ principiorum, cum solo habitu primorum principiorum aliarum scientiarum, & speciebus requisitis, & acquisitis ad horum principiorum euidentem cognitionem, actu valet assequi aliarum scientiarum intensiuam, & scientificã cognitionẽ; nedũ possibilitate Physica, sed morali: hęc cõclusio meo iuditio est valde probabilis. Et vt illius probabilitatẽ cognoscas, noto sciẽtiã esse ex Philosopho à Doctoribus duplici explicatam definitione, nã 1. post cap. 2. ait: *Scientiam esse cognitionem rei per suam causam, cognoscendo simul esse illius causam.* Et in alijs locis ait: *Scientiam esse habitum certum, & euidentem per demonstrationem acquisitum.*

13. Ex his valde probabiliter colligitur primæ partis nostræ conclusionis speciale fundamentum, nam licet secunda definitio includat Logicum artificium; prima verò nullũ artificium importat; ergo assensus scientificus generans habitum scientificum intensiuum, vel quoad substantiam potest Physice dari absque dispositione Logica; ergo artificiosa

cioſa Logicæ diſpoſitio non eſt eſſentialiter requiſita ad aſſẽſum ſcientificum: alias prima definitio à Philoſopho tradita non eſſet legitima. Confirmatur, & explicatur hæc ratio. Tunc datur aſſenſus ſcientificus, quando cõcluſio cognoſcitur per ſuam cauſam, ita vt cognoſcat illam eſſe caulam concluſionis, & non aliã, reſoluendo illam ad ſuam causã, & reſpondendo argumentis, quibus poteſt oppugnari, ſed totum hoc poteſt haberi abſque Logica artificiali per modum ſcientię, vel habitus primorum principiorum; ergo neutra Logica eſt ſimpliciter neceſſaria, vt ſcientię acquirãtur quoad vnam, vel aliam concluſionem. Minor probatur, concluſiones Metaphyſicæ v. g. eſſentialiter, & quoad ſubſtantiam non dependent à ſecunda intentione Logica, tanquam à cauſa; ſed à principijs Metaphyſicis; ergo intellectus cum habitu Metaphyſico primorum principiorum abſque aliqua Logica artificiali Phyſicè poteſt alias ſcientias ſaltim intenſiue comparare.

14. Explicatur ſecundo hæc ratio; & ſimul probatur concluſio quoad ſecundam partem. Aliquæ veritates Metaphyſicæ ita ſunt immediatè connexæ cum principijs Metaphyſicis, vt ſuppoſito habitu Metaphyſico primorum principiorum, & ſpecie-bus requiſitis ad illorum cognitionem, nullum detur impedimentum ita magnum, vt vir prudens non poſsit iudicare intellectum abſque Logica artificiali illas euidenter poſſe cognoſcere, & reſoluere ad ſua prima principia, cognoſcendo illa, & nõ alia eſſe veritatis principia; ergo Logica artificialis nec per modum habitus primorum principiorũ, nec per modum ſcientiæ eſt Phyſicè, vel moraliter neceſſaria ad ſcientias quoad vnam, vel aliam concluſionem cum principijs immediate connexam acquirẽdas. Antecedens probatur, nam ex hoc principio *totum eſt maius ſua parte*, quod eſt per habitum Metaphyſicum primorũ principiorum cognitum, euidenter infert hominem eſſe ſua manu maiorẽ, ſed hæc concluſio abſque cognitione ſcientifica demõſtrationis formalis poteſt ad ſuum principium reſolui cognoſcendo illud, & non aliud eſſe huius concluſionis principium; ergo aliqua veritates ita immediate ſunt connexæ cum ſuis principijs, vt valeant haberi abſque Logica artificiali ſcientifica.

15. Obijcies primo, non ſolum ſecunda ſcientiæ definitio; ſed etiam prima includit eſſentialiter Logicalem diſpoſitionem; ergo ex prima definitione nõ rectè colligimus Logicam nõ exigi ad ſcientificam aliarum ſcientiarum cognitionem. Antecedẽs probatur, principalis Logicæ diſpoſitio eſt conſequentiæ bonitas, ſed hæc datur eſſentialiter

in

in prima definitione scientiæ; ergo hæc essentialiter includit dispositionem Logicam. Minor, in qua est difficultas, probatur, bonitas consequētiæ nihil aliud importat quam conclusionem contineri in præmissis, sed talis continentia explicitè datur in tali definitione, cum causa vt talis essentialiter contineat effectum; ergo in prima definitione essentialiter reperitur consequentiæ bonitas. Respondetur negando antecedens: ad probationem cōcedo pro nunc maiorem, & nego minorem: ad cuius probationem distinguo maiorem, bonitas consequentiæ consistit in hoc, quod conclusio contineatur in pręmissis formaliter & per modum cōsequentiæ, concedo minorem, materialiter, & per modum consequentis, nego minorem, & cōsequentiam, nam (vt docui in parua summa lib. 3. cap. 1. n. 4.) conclusio diuiditur in consequēs, & consequentiam; seu in consequentiam materialem, & formalem, ex eo quod materialis tenet ratione matetiæ, & formalis ratione formæ. Vnde prima definitio ad distinctionem secundæ non exposcit bonitatem consequentiæ, seu continentiam consequentiæ in præmissis; sed bonitatem consequentis, seu continentiam consequentis in præmissis. Discrimen stat in hoc, quod conclusio in vi consequentiæ non solum sequitur ex præmissis vtcumque habitis; sed ex illis rectè dispositis iuxta regulas Logicæ; at vero conclusio in vi cōsequentis solum sequitur ex præmissis abstrahendo à recta dispositione iuxta regulas Logicæ, & sic prima definitio licet importet continentiam conclusionis in vi consequentis in præmissis; tamen non importat artificium Logicum, quia hoc vlterius exigit continentiam in vi consequētiæ deductam ex vi formæ.

16. Obijcies secundo, ex dictis q. 1. concl. 1. §. 7. fere per totum constat artificium Logicum in actibus repertum esse scientiæ causam, sed effectus ita essentialiter dependet à sua causa effectiua, vt sine illa nequeat existere; ergo scientifica aliarum scientiarum cognitio essentialiter depēdet ab artificio Logico. Respōdetur primo distinguendo maiorem, artificium Logicum in actibus repertum est causa scientiæ, inclinantis ad actus artificiosos, concedo maiorem, inclinātis solum ad actus scientificos, nego maiorem: & concessa minori nego consequentiam, nam scientia (vt constat ex rationibus nostrę conclusionis) tantum est cognitio rei per suam causam, nunc talis cognitio fit artificiosè disposita, nunc tali careat artificio. Secundo respondetur artificiū Logicum esse causam, vt facilius, & commodius, non verò vt simpliciter consequatur scientia.

17. Obijcies tertio, scientia essentia-

sentialiter dependet à demonstratione, cum sit habitus per illam acquisitus, iuxta secundam Philosophi definitionem, sed demonstratio essentialiter supponit Logicam, cum effectus artis, artem supponat; ergo scientia nec intentiue valet sine artificiali cõparari Logica.

18. Ad hanc obiectionem respondent, qui nostram tenent cõclusionem, concedendo maiorẽ, & negando minorem, nam sentiunt demonstrationem posse fieri sine Logica, cum multoties effectus artis dimanet à natura sine arte. Hanc solutionem insinuauit Philosoph. 9. met. 7. his verbis. *Addiscens artem operatur actionem artis sine arte.* Et etiam Diuus Thomas eodem loco similibus verbis. *Potest homo aliqualiter exire in actum scientiæ, & virtutis, antea quàm habeat habitum scientiæ, & virtutis, quo adepto perfectè operatur.* Hęc solutio non placet primo, quia ex auctoritatibus Philosophi, & Diui Thomæ non sequitur, quod effectus artis propriè, & perfectè valeat dari sine arte; sed solum quod impropriè, & imperfectè valeat esse sine illa; vt constat ex illis verbis D. Thomæ. *Potest homo aliqualiter exire in actum scientiæ, & virtutis, antequam habeat habitum scientiæ, & virtutis, quo adepto perfectè operatur,* sed demonstratio generans scientiam est cognitio vndequaque perfecta; ergo hæc absque arte non valet dari. Contra est secundo, nam, vt constat ex Philosopho 2. Physic. cap. 4. *Aliud est facere Dialecticum; & aliud facere Dialecticè primum est facere opus Dialecticum, videlicet definitionem, diuisionẽ, & c. secundum est facere illud scienter,* sed demonstratio facta antecedenter ad Logicam, est solum opus Dialecticum; ergo vt Dialectice fiat, opus est, quod efficienter à Logica dimanet artificiali.

Quare hac relicta solutione respondetur distinguendo maiorem, scientia essentialiter dependet à demonstratione, materiali, concedo maiorem, à formali, nego maiorem; & distinguo minorem, demonstratio supponit Logicam, demonstratio formalis, concedo minorem, materialis, nego minorem, & consequẽtiam, nam licet pro nunc dicamus demonstrationem formalẽ non posse haberi sine Logica per modum scientiæ accepta; tamen ad conceptum scientiæ non requiritur, demonstratio formalis, sed materialis, quæ constat ex principijs inferentibus cõclusionẽ per modum consequentis. Ratio huius est, nam conclusio Philosophica v.g. non dimanat ex secundis intentionibus Logicis; sed ex principijs Philosophicis, ex quibus materialiter coalescit demõstratio Logica, & formalis, quę solum se habet, vt instrumentum deseruiens ad hoc, vt conclusio Philosophica facilius, & cõmodius dignoscatur: aliàs secundæ intentiones essent principia cõclusio-

clusionis Philosophicæ: quod est plusquam falsum.

19. Replicabis; ergo valet dari Philosophia genita ex actibus artificiosè dispositis, & etiam ex actibus tali artificio carentibus; ergo & Philosophiæ specie distincte, cum vna inclinet ad actus artificiosos, & alia ad actus non artificiosos. Respondeo concedendo primam consequentiam, & negando secundam, nam hæc distinctio non est essentialis, cum vtraque Philosophia sit in ordine ad idem obiectum; sed solum accidentalis, quatenus prima inclinat ad actus scientificos existentes sub artificio Logico eis accidentaliter aduenient, & secunda ad actus scientificos non artificiosos; sed quia alia via satis probabili valet defendi nostra sententia, sit.

§. IV.

Secunda conclusio.

20. POtentia intellectiua absque Logica artificiali per modum habitus scientifici acquisita cum habitu Logico primorum principiorum potest assequi intensiuam, & scientificam aliarum scientiarum cognitionem; nedum possibilitate Physica, sed morali. Quoad hanc secundam partem manet probata rationibus primæ conclusionis. Quoad primam vero specialiter probatur, ad formalem scientiæ conceptum, seu ad assentiendum scientifice alicui conclusioni sufficit euidens cognitio præmissarum, & quidditatiua, seu essentialis cognitio demonstrationis, sed totum hoc cõsequitur ab intellectu sine Logica artificiali per modum habitus scientifici cum solo habitu Logico primorum principiorum; ergo potẽtia intellectiua sine Logica per modum scientię acquisita valet cum habitu Logico primorum principiorum assequi scientificã aliarum scientiarum cognitionem. Consequentia est certa: maior quoad secundam partem, in qua est difficultatis scopus, probatur primo, quia (præter quamquod non valet assignari ratio apparens, cur præter quidditatiuam demostrationis cognitionẽ quæ attingat illius essentiam, vlterius exigatur cognitio sciẽtifica quę illius proprietates attingat) illa cognitio sufficit ad assensum sciẽtificum, per quam euidenter cognoscuntur principia, ex quibus coalescit demonstratio, sed ad hanc cognitionem nõ requiritur scientifica, & demonstratiua; ergo quidditatiua sufficit.

Secundo probatur eadem maior, assensus scientificus aliarum scientiarum nedum dependet ex cognitione demonstrationis; sed etiam aliorum instrumentorum Logicalium, videlicet, definitionis, diuisionis, &c. ex quibus coalescit demonstratio; vt docet Doctor Angelicus opusc. 48.

atqui

atqui ad assensum scientificum non prærequiritur cognitio demonstratiua horum; sed sufficit quidditatiua; ergo à simili sufficit quidditatiua cognitio demõstrationis, & non prærequiritur scientifica, & demostratiua eiusdem. Minor syllogismi principalis probatur, nam si assensus scientificus, quo primo acquiritur Logica est bonitas consequentiæ, tunc solum supponit quidditatiuam demonstrationis cognitionem (demonstratiuam namque, seu scientificam nequit supponere) alias scientificus de bonitate consequentiæ non esset primus; ergo cum eadem sit ratio quantum ad alias scientias, necessario tenendum est quidditatiuam, & non scientificam demonstrationis prærequiri cognitionem.

21. Respondebis cum aduersarijs ad primum assensum scientificum Logicæ non prꝛexigi cognitionem scientificã; sed solum quidditatiuam bonitatis consequentiæ, dum ad illam terminatur assensus scientificus, quia iste habet pro obiecto ipsam bonitatem consequentiæ; secus verò ad primum assensum aliarum scientiarum, quæ pro obiecto non habent consequentiæ bonitatem. Sed contra est primo, nam licet iste assensus habeat pro obiecto bonitatem consequentiæ; tamen pro obiecto non habet essentiam definitionis, diuisionis, & aliarum specierum modi sciendi, à quibus etiam dependet assensus scientificus, sed de his solum habet cognitionem quidditatiuã; ergo hæc etiam sufficiet ad bonitatem consequentiæ, tam in Logica, quam in alijs scientijs. Cõtra est secundo. Si primus Logicæ scientificus assensus sit circa proprietates definitionis, solum supponit cognitionem quidditatiuam demonstrationis quæ tantum attingat essentiam, & non proprietates demonstrationis; alias assensus circa proprietates definitionis non esset primus; ergo vt in alijs scientijs detur primus assensus scientificus, nõ exigitur, quod præsupponatur scientificus circa proprietates demõstrationis, sed quod præsupponatur quidditatiuus circa illius essentiam.

22. Obijcies primo assensum scientificum immediatius depẽdere ex cognitione demonstrationis, quam ex aliorum instrumentorum Logicorum cognitione; ergo ex eo, quod istorum sufficiat cognitio quidditatiua ad assensum scientificum, non sequitur, quod illius sufficiat ad prædictum assensum; ergo scientifica demonstrationis cognitio est necessaria ad assensus scientifici consecutionem. Respõdetur concedendo antecedens, & negando vtramque cõsequentiam, nam conclusio scientifica immediatius dependet ex vnis, quam ex alijs præmissis; & tamen omnes eandem exigunt cognitionẽ; ergo ex eo, quod assensus scientificus

tificus immediatius depẽdeat ex vnis, quàm ex alijs instrumentis Logicalibus, non sequitur, quod immediatius perfectiorem exigat cognitionem.

23. Obijcies secundo maximũ versari discrimen inter assensum scientificum Logicæ, & aliarum scientiarum, nam Logicæ scientificus assensus supponit cognitionem imperfectam, vel perfectum ex magistro habitum omnium præceptorum Logicalium; at vero aliarum scientiarum sciẽtificus assensus solum valet supponere cognitionem sciẽtificam Logicæ; ergo Logica scientifica artificialis solum est necessaria ad aliarum sciẽtiarum acquisitionẽ. Respondetur negando discrimẽ absque fundamento ex cogitatum, nam nulla valet assignari ratio, cur sciẽtificus assensus Logicæ possit supponere imperfectam instrumentorum Logicaliũ cognitionem, & non scientificus aliarum scientiarum.

24. Si dicas: scientificum Logicæ assensum perficere, & scientificã reddere cognitionem imperfectam aliorum instrumentorum Logicalium. Contra est primo, nam hoc idem potest dici de assensu scientifico aliarum scientiarum. Secundo, nam cognitio imperfecta supposita antecedenter ad assensum Logicæ scientificum, vel est intra speciem actus opinatiui, vel fidei humanæ, sed ex vi actus scientifici Logici non valet mutari essentia cognitionis præsuppositæ, cum opinio nõ transeat in scientiam, ergo assensus scientificus Logicæ non reddit scientificam cognitionẽ præsuppositam.

25. Obijcies tertio, est q; principale fundamentum contrarię sententiæ. Non valet dari assensus scientificus sine euidenti bonitatis consequentiæ cognitione, sed hæc non valet dari per habitum primorum principiorum, cum bonitas cõsequentiæ sit proprietas prima demonstrationis formalis; ergo assensus scientificus præter cognitionem quidditatiuam demonstrationis exigit scientificam, & demonstratiuam: Respondetur primo negãdo maiorem, nam assensus scientificus (in multorum Doctorũ opinione) non præsupponit essentialiter, & simpliciter bonitatis consequentiæ scientificam cognitionem; sed solum cognitionẽ quidditatiuam demonstrationis, vel essentię demonstrationis, ex qua dimanat bonitas consequentiæ, vt proprietas illius: non aliter ac in omnium Doctorum opinione assensus scientificus non præsupponit cognitionem demonstratiuam, & scientificam; sed solum quidditatiuã aliorum instrumentorum Logicalium; etiam si hęc habeant suas proprietates de ipsis demonstrabiles. Secundo respondetur: concẽdendo maiorẽ, & distinguendo minorem, cognitio bonitatis consequẽtiæ nequit haberi per habitum primorum prin-

principiorum, formaliter, & in se ipsa, concedo minorem: virtualiter, & in sua causa, nego minorē, & consequentiam, nam etiam si admittamus bonitatem cōsequētiæ esse demōstrationis passionē, valet cognosci in præmissis tanquam in sua causa. Et quod hæc cognitio sufficiat ad hoc, vt postea habeamus assensum scientificum aliarum scientiarum, constat in primo assensu scientifico Logicæ, qui solum valet præsupponere hanc cognitionem virtualem bonitatis consequentiæ.

Tertio respondetur concedendo maiorem, & negando minorem, nam bonitas consequentiæ non est proprietas demonstrationis per cognitionem scientificam attingibilis; sed essentia ipsius demonstrationis per habitum primorum principiorū euidenter cognoscibilis; & ideò talis cognitio euidens valet haberi lumine naturali primorū principiorum. Quod verò talis consequentiæ bonitas spectet ad demonstrationis essentiam, constat ex eo, quod bonitas consequentiæ nihil aliud est, quam conclusionem contineri in præmissis; sed hæc continentia est essentialis demonstrationi, cum essentialis sit ordo ad conclusionem manifestatam, vt manifestatam, quæ sine continentia conclusionis in præmissis non valet intelligi; ergo hæc continentia, seu vis illatiua essentialiter ei conuenit; ergo debet cognosci per habitum primorum principiorum.

§. V.

Rationes vtramque inferentes conclusionem.

26. VLterius probantur conclusiones ratione communi non contemnēda. Habitus naturalis vt condistinctus à supernaturali, & à potentia nō tribuit potentiæ simpliciter, sed faciliter posse, sed Logica est habitus naturalis; ergo sine illa valet intellect⁹ assensus assequi scientificos: aliàs Logica supergrederetur latitudinem habitus naturalis, & constitueretur intra ordinem potentiæ, vel habitus supernaturalis.

27. Nec valet dicere, Logicam non prærequiri ad simpliciter operandum; sed ad operandum scientifice, seu artificiosè. Non (inquam) valet, nā discrimen ab omnibus receptum inter potentiam intellectiuam, & habitum supernaturalem ei correspondentem ex vna parte; & inter habitum naturalem ex alia, non assignatur in ordine ad intellectionem vt sic; sed in ordine ad intellectionem scientificā: ratio est; nā discrimen allatum est, quod potentia valet simpliciter elicere id, quod faciliter præstat habitus, sed habitus faciliter efficit intellectionem, seu operationem scientificam; ergo

hanc valet intellectus elicere sine Logica; ergo non solum potest intellectus intelligere, sed scientifice intelligere sine Logica.

28. Amplius probantur conclusiones. *Definitio est modus sciendi essentiam rei explicans*, sicut *demonstratio est modus sciendi consequentiam ex præmissis deducens*, sed vt detur cognitio essentiæ per modum definitionis non prærequiritur actus Logicus scientificus attingens passiones definitionis; sed sufficit habitus primorum principiorum, cum actus, quo cognoscitur definitū per definitionem spectet ad lumen primorum principiorum; ergo vt detur scientifica cognitio per medium demonstrationis non prærequiritur actus Logicus scientificus attingens passiones demonstrationis.

§. VI.

Tertia conclusio.

29. INtellect⁹ sine Logica artificiali per modum scientiæ cum habitu primorum principiorum aliarū scientiarum, vel saltim cum habitu Logico primorum principiorum quantū est ex se est sufficiens ad omnes conclusiones aliarum scientiarum; & adhuc consideratis omnibus, quę requiruntur ad actualem illarum acquisitionem, potest comparare omnes, vel fere omnes conclusiones Physice, sed non moraliter; licet cum Logica artificiali per modum scientiæ informatus possit ad illas peruenire.

30. Pro conclusionis intelligētia nota ex materia de auxilijs, quod sicut auxilium Physicum Physicè prædeterminans voluntatem creatam ad vnum actum, non aufert potentiam ad contrarium; etiam si in sensu composito illum non eliciat; sic omnia impedimenta, quæ post primum peccatum dantur in intellectu ad scientificam omnium conclusionum cognitionem, non tollunt Physicè potentiam intellectus ad illarum sciētificam cognitionem; etiā si actu non valeat peruenire ad illarum scientificā cognitionem.

31. Quo supposito probatur primo cōclusio quoad primā partē. Vt aliquod obiectum valeat ab aliqua potentia quātum est ex se attingi, sufficit, quod potētia habeat proportionē cum tali obiecto, sed potētia intellectiua quātum est ex se habet proportionē cū collectione omnium cōclusionū, cum talis collectio sit naturalis, & non excedens quantitatem virtutis intellectus; ergo virtus intellectiua quātū est ex se sine logica artificiali per modum scientiæ cum habitu primorum principiorū aliarum scientiarum, vel saltim cum habitu Logico primorum principiorum est sufficiens ad omnes conclusiones.

32. Secundo probatur eadem pars. Intellectus sine Logica per mo-

modum scientiæ cõsiderata actu, & scientificè valet cognoscere vnam, vel aliam conclusionem; ergo quantũ est ex se potest omnes, cum forma demonstrationis eiusdem rationis sit in omnibus, & sola sit distinctio in materia, cui applicatur.

33. Confirmatur, & explicatur hæc ratio. Cũ sola quidditatiua definitionis cognitione per lumen naturale primorum principiorum habita potest intellectus quantum est ex se definire in omni materia; ergo similiter cũ sola quidditatiua demonstrationis cognitione per lumen naturalẽ prĩ norum principiorum præ habita poterit intellectus quantum est ex se in omni materia scientificè omnibus essentiri cõclusionibus.

34. Quoad secundam partem probatur cõclusio argumẽto efficaci, quo etiam probantur duæ antecedentes conclusiones. Intellectus cum habitu Logico primorum principiorũ sine Logica artificiali scientifica actu cõparauit Logicã artificialẽ quoad omnes fere conclusiones, sed conclusiones Logicæ nõ sunt faciliores conclusionibus aliarum scientiarum: tũ quia conclusiones Logicę sunt valde obscuræ, & difficiles; vtpote ab artificio rationis dependẽtes: tum quia Angelicus Doctor op. 70. q. vlt. ar. 1. ad 3. sic fatur. *Quod necessitas requirit, vt in discẽdo incipiamus à Logica, licèt nõ sit aliis scientiis facilior*; ergo si Logica, quæ est alijs difficilior, potest cum habitu Logico primorũ principiorũ obtineri, quare aliæ scientiæ, quæ faciliores sunt non poterunt sine Logica per modum scientiæ præhabita acquiri cum habitu primorum principiorum aliarum scientiarum, vel saltim cum habitu Logico primorum principiorum?

35. Contra hanc rationem insurges reddendo discrimẽ, quod versatur inter Logicam, & alias scientias, nã cum Logica sit dispositio ad alias scientias poterit sine alia Logica cum habitu Logico primorum principiorum cõparari: tum quia alias daretur processus in infinitum: tum quia ad dispositionem non datur dispositio, at vero aliæ scientiæ se habent, vt formæ huius dispositionis; & ideo illa egent, vt scientifice acquirantur.

36. Sed hæc solutio non enervat efficaciam nostræ rationis: primo, nam licet hæc doctrina sit vera, loquendo de dispositionibus, quæ ex natura sua sunt tales; non vero de dispositionibus, quæ solum ex industria inuentoris, seu ex beneplacito operantis sunt tales, cuius generis Logica est dispositio aliarũ scientiarũ; vt constat ex dict. q. 2. concl. 4. §. 6. n. 20. ¶ Contra est secundo, non alia ratione Logica respectu aliarum scientiarum assignatur vt simpliciter necessaria, nisi quia sunt scientię, & demõstratiuè procedũt, sed Logica etiam est sci-

tia, & demonstratiuè procedit; ergo vel ad Logicam est simpliciter necessaria alia Logica, per modũ habitus sciẽtifici; vel Logica per modum habit⁹ sciẽtifici ad alias sciẽtias simpliciter nõ est necessaria. ¶ Contra est tertio. Formalitas dispositionis nõ tollit Logicę formalitatem scientię, sed sub formalitate sciẽtiæ valet in opinione aduersariorũ Logica comparari à solo intellectu cũ habitu Logico primorum principiorum; ergo similiter alię scientiæ valebunt acquiri sub formalitate sciẽtiæ à solo intellectu cũ habitu primorum principiorum aliarum scientiarum, vel saltim cũ habitu Logico primorũ principiorũ. ¶ Explicatur hæc ratio. Formalitas sciẽtiæ in dispositione Logica reperta est eiusdẽ rationis cum formalitate scientiæ, quę est in alijs sciẽtijs; ergo si illa valet in Logica sine Logica acquiri scientifica; etiã hæc, quæ in alijs est scientijs; vtique quia ad eandem rationem formalem absque fundamento distinctam excogitas causam.

37. Si iterum instes in discrimine assignato, dicendo assensum scientificũ non posse in alijs sciẽtijs dari absque Logica per modum habitus scientifici, quia nõ habẽt rationẽ dispositionis, sed termini. ¶ Cõtra est. Ergo impossibilitas non dimanat ex eo, quod aliæ scientiæ scientiæ sint; sed ex alia ratione de materiali se habente ad rationem scientię; sed Logica in nullius Doctoris sententia est simpliciter necessaria ad rationem materialem sciẽtiæ; ergo si formalitas scientiæ potest dari in alijs scientijs sine Logica per modum habitus scientifici prærequisita, absque dubio poterit sine illa dari quidquid est requisitum ad hoc, vt aliæ scientiæ scientiæ sint.

38. Quoad tertiam partem probatur conclusio. Nam ad actualem omnium conclusionum acquisitionem tam magnæ sunt difficultates, vt eorum acquisitio iudicetur vt impossibilis, nã in primis requiritur longissimum tẽpus, per acutum ingenium, in defessus labor, & plura alia, quæ breuitatis causa omitto; vtique quia conclusiones omnium scientiarum sunt infinitæ, & plurimæ valde difficiles, sed omnia hæc deficiunt, nam in primis in pœnam peccati originalis potentia intellectiua hominis fuit maximè læsa; deinde vita maxima currit velocitate; & denique applicatio ad scientias est fere nulla; ergo consideratis omnibus, quæ requiruntur, moraliter non perueniet ad actualem, & scientificam cognitionẽ omnium conclusionum.

39. Quoad vltimam partem probatur conclusio. Logica artificialis per modum scientiæ cõsiderata disputat per se de modo sciendi, scilicet de instrumentis, quæ maximè conducunt ad hoc,

vt

vt intellectus faciliter cognoscat veritates aliarū scientiarum; ergo intellectus Logica artificiali scientifica informatus potest actu peruenire ad omnes ferè cōclusiones aliarum scientiarum.

40. Obijcies ex primis contra secundam conclusionem. Potentia intellectiua absque Logica artificiali cum habitu primorum principiorū alterius scientiæ potest nedum Physicè, sed moraliter etiam vnam, vel aliam cognoscere conclusionem; ergo vt sic poterit omnes. Consequentia probatur, nam intellectus ex cognitione vnius conclusionis non redditur infirmior, sicut sensus; sed potius promptior ad alterius conclusionis cognitionem; ergo si potest vnam, vel aliam sine Logica, poterit omnes. Varijs relictis solutionibus respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam: ad probationem distinguo antecedēs, ex cognitione vnius cōclusionis redditur intellectus promptior ad alterius conclusionis cognitionem, si talis conclusio sit immediatè cōnexa cum prima iam cognita, concedo antecedens, si non sit, nego antecedens, & consequentiam, nam licet verum sit, quod intellectus nō sit infirmior ex cognitione vnius ad cognitionem alterius; tamen vltra hoc est necessarium, quod conclusio prius cognita sit connexa cum alijs, vt tribuat ansam ad alterius cognitionem: alias cognitio primæ per accidens erit ad cognitionem aliarum; & sic illarum cognitio reputabitur vt impossibilis.

41. Inquires primo. An Logica quantum ad partem sophisticā sit aliquomodo ad alias scientias necessaria? Respondetur negatiuè: tum ex illo Ecclesiastici, cap. 77. *Qui sophisticè loquitur, odibilis est*: tum quia ipsa veritas erroris iudex est: tum quia pars sophistica vt talis non conducit ad conclusiones scientificas aliarum scientiarum: cum error scientiæ sit oppositus.

42. Inquires secundo: an Logica per modum habitus scientifici sit ad seipsam necessaria. Respondetur negatiuè, nam intellectus cum habitu Logico primorum principiorum, & cum speciebus acquisitis, & requisitis ad illorum cognitionem est moraliter sufficiens ad Logicam intensiue comparandam; licet verum sit quod ad illam extēsiue acquirendam sit necessaria Logica intensiuè comparata. Quoad primam partem constat ex primis conclusionibus, nam si aliæ scientiæ possunt intensiuè acquiri ab intellectu cum habitu primorum principiorum, quare logica non poterit intēsiuè acquiri cum habitu logico primorum principiorum?

43. Secundo probatur, nam si ad Logicam per modum scientiæ comparandam esset alia necessaria, ad istam esset alia, & sic vsque

in infinitum; ergo ne detur, tenēdum est Logicam per modum habitus primorum principiorum esse sufficientem ad Logicam intensiue comparandam.

44. Secunda pars nostræ resolutionis probatur. Logica se habet ad alias scientias vt dispositio formæ ad formam; sed dispositio (si indiuisibilis nō est) prius se habet in subiecto secundum gradum remissum, quam secundum intensum; vt primus disponat subiectum ad secundum; vt videre est in calore, qui prius est in subiecto vt duo, quam vt quatuor; ergo logica, quæ est dispositio, & scientia prius se habet intensiue in ordine ad vnam cōclusionem, vt postea valeat disponere ad alias.

45. Obijcies. Per nos Logica intensiuè acquisita nedum Physicè; sed moraliter sufficit ad logicam extensiue acquirendam; ergo idem dicendum erit de alijs scientijs. Respondetur concedēdo antecedens, & negando consequentiam, nam Logica est sciētia, & dispositio, ad quam nō datur alia, nisi ad summum ipsa secūdum gradum remissum, & ideo ipsa secundum vnam cōclusionē acquisita sufficit ad alias; at vero aliæ scientiæ non obtinent formalitatem dispositionis, & ideo dispositionem Logicam exigunt, vt moraliter valeāt acquiri quoad extensionem; constat hoc in vnione, quæ absque alia vnitur partibus; etiam si partes absque illa non possint vniri: & in actione, quæ absque alia fit; etiam si terminus absque illa non possit fieri.

§. VII.

Argumenta contra duas primas conclusiones.

46. COntra duas primas conclusiones arguitur primo ex Diuo Thoma 1. post lect. 1. vbi ait: *Logicam ordinari ad hoc, vt facile, & prompte, & sine errore procedat*; sed sine errore procedere non solum est vtile, sed etiā simpliciter necessarium, vt intellectus habeat scientiam quoad substantiam; ergo ex mente Doctoris Sancti Logica est simpliciter necessaria, vt aliæ scientiæ acquirantur.

Respondetur primo concedēdo maiorem, & distinguendo minorem, sine errore procedere est simpliciter necessarium, sine errore procedere, simpliciter, concedo minorem, sine errore procedere, faciliter nego minorem, & consequentiam, Logica enim per modum scientiæ (vt dixi) solum est necessaria, vt intellectus faciliter, sine errore procedat. Vel secundo dico Logicam vocari à Diuo Thoma necessariā, vt sine errore procedat moraliter in omnibus conclusionibus aliarum scientiarum: non verò vt Physicè sine illo procedat.

47. Arguitur secundo præci-

puo

puo huius ſententiæ fundamento iam ſupra appoſito; ſed quia alijs terminis valet apponi, ideo iterum proponitur. Vt aliquis aſſentiatur ſcientifice concluſioni aliarum ſcientiarum, requiritur euidens cognitio bonitatis conſequentiæ, ſed ad hoc eſt ſimpliciter neceſſaria Logica per modum habitus ſciẽtifici; ergo ſine illa non valet dari aſſenſus ſcientificus. Minor, in qua eſt difficultas, probatur; bonitas conſequentiæ eſt paſsio, & non eſſentia demonſtrationis; ergo ad cognitionem ſcientificam bonitatis conſequentiæ eſt ſimpliciter neceſſaria Logica: non aliter ac Philoſophia eſt ſimpliciter neceſſaria ad demõſtrandas paſsiones de ente mobili. Antecedens probatur, ideo colligimus prędicabilitatem eſſe paſsionem, & nõ eſſentiam vniuerſalis, quia cognoſcitur natura vt vna in multis antecedenter ad hoc, quod cognoſcatur vt de multis prædicabilis, ſed antecedẽter ad hoc, quod cognoſcamus bonitatem conſequẽtiæ in ſyllogiſmo in *Barbara* repertã, cognoſcimus rectã prę-miſſarum diſpoſitionem; in quo eius eſſentia conſiſtit; ergo bonitas conſequentiæ non ſe habet vt eſſentia, ſed vt demonſtrationis paſsio. Reſpondetur primo iuxta primam concluſionem negando maiorem, nam (vt conſtat ex dictis concluſ. 1. §. 3. nu. 15.) ad rationem eſſentialem ſcientię, nõ eſt opus, quod cognoſcatur bonitas conſequentię; ſed ſolũ quod dignoſcatur conſequentis bonitas; hoc eſt, quod cognoſcatur concluſio Philoſophica. v. g. vt dimanans ex principijs Philoſophicis. Et ratio eſt in promptu, nam aſſenſus ſcientificus bonitatis conſequentiæ eſt aſſenſus Logicus generans Logicam; non Phyſicus generans Philoſophiã; ergo ille aſſenſus peraccidens ſe habet ab ſubſtantiam aſſenſus Phyſici Phyſicam generantis.

48. Iuxta ſecundam concluſionem reſpondetur primò concedendo maiorem, & negando minorem: ad probationẽ nego antecedens, nam (vt ſupra dixi, cõcluſ. 2. §. 4. obiectione 3. reſpõſione 3. num. 25.) bonitas conſequentiæ non eſt paſsio, ſed eſſentia demonſtrationis. Ratio eſt, quia rectitudo præmiſſarum) cũ ſit eſsẽtialiter reſpectiua per modum manifeſtantis ad manifeſtatum) eſſentialiter exprimit vim manifeſtandi ipſam bonitatẽ cõſequentiæ, & vim inferendi concluſionem, quæ nihil aliud eſt, quam bonitas conſequentiæ; & ideo bonitas conſequentiæ ſpectat ad eſſentiam demonſtrationis cognitam per habitum Logicum primorum principiorũ. Nec exemplum allatum aliquid valet, nam licet vniuerſale eſſentialiter reſpiciat multa; non tamen reſpicit illa eſſentialiter vt ſubiecta prædicabilitatis, ſed vt ſubiecta contractionis: & hæc duplex ſubiecti formalitas eſt diſ-

tincta formaliter, nam inferiora vt subiecta prædicabilitatis respiciunt naturam per modum potentiæ; at verò vt subiecta contradictionis respiciunt illam per modum actus; cum hoc tamen stat, quod prædicabilitas sit, & intelligatur; ratione vniuersalitatis, nam esse, in hoc est esse in multis fundat, & infert dici, de hoc est dici de illis.

Secundo respondetur iuxta eandem conclusionem concedēdo maiorem, & negando minorem: ad probationem concedo antecedens; & nego consequentiam, nam bonitas consequentię, etiam si sit passio demonstrationis, valet cognosci per habitum Logicum primorum principiorum virtualiter in dispositione recta præmissarum tanquam in causa, & hæc cognitio est sufficiens ad hoc, vt intellectus consequatur assensus scientificos aliarum scientiarum; non aliter ac talis virtualis cognitio assignatur à pluribus contrarijs vt sufficiens ad hoc, vt consequatur intellectus assensum primum Logicæ. Et vt vno verbo intelligas discrimē harum solutionum, nota quod prima constituit formaliter bonitatem consequentiæ in continentia conclusionis in præmissis; quæ essentialis est præmissis; at vero secunda illam constituit in conclusione illata ex præmissis rectè dispositis.

49. Dices contra primam solutionem datam iuxta rationes secundæ conclusionis. Ex eo prædicabilitas est vniuersalitatis passio, quia vniuersalitas est causa prædicabilitatis, sed recta dispositio præmissarum est causa bonitatis consequentiæ: tum quia ex eo consequentia de syllogismo in *Barbara* est bona, quia præmissæ seruant rectam terminorum dispositionem: tum quia interrogāti, cur syllogismus in *Barbara* habeat bonam consequentiam, respondebit, quia sunt præmissę debite dispositæ; ergo bonitas cōsequentiæ est passio demonstrationis: alias demōstratio nullam habebit passionem; quod nō dices.

Respondeo concedendo maiorem, & negādo minorem, nam causalis *quia* in probatione posita nō importat rationem formalem, seu conceptum obiectiuum distinctum; sed solum eandem rationem magis explicitam, quia (vt dictum est) rectitudo præmissarum non est conceptus formaliter distinctus à bonitate cōsequentiæ; sed solum est explicatio eiusdem conceptus obiectiui; non aliter ac definitio nō importat conceptum à definito distinctum; sed solum explicationem definiti & ratio est, nam recta præmissarum dispositio, quæ se habet vt demonstrationis essentia, explicat quasi à priori seipsam, secūdum quod habet vim inferendi, vel secundum quod habet conclusionis continentiam; quod per viam rationis formalis

coincidit cum bonitate consequentiæ. Nec ex hoc sequitur, quod demõstratio nullas habeat passiones, nam si loquimur de materiali dispositione habet per modum passionis generare scientiam quoad substãtiam; si de formali, generare alias scientias quoad melius; & Logicã quoad substantiam; & deniq; dirigere tertiam intellectus operationem.

50. Arguitur tertio. Non potest dari habitus scientificus absque eo, quod præter veritatem, & necessitatem præmissarum cognoscat conclusionem esse veram, & necessariam, sed talis cognitio non potest haberi nisi à Logica artificiali per modũ habitus scientifici; ergo hæc est simpliciter necessaria ad habitus scientifici assecutionẽ. Maior probatur, quia hæ propositiones scilicet, quod ex vero non nisi verum, & quod ex necessario nõ nisi necessarium potest sequi, nec sunt veritates per se notæ, cum vno sequatur, & probetur ex alia; nec etiam sunt de essentia demonstrationis, cum distinguantur à bonitate consequentiæ; ergo talis cognitio non potest haberi nisi à Logica per modum habitus scientifici.

Respondetur iuxta primã cõclusionem concedendo maiorem, & negando minorem: ad probationem nego antecedens, nam quod verum non sequitur nisi ex vero; & similiter quod necessarium non sequitur nisi ex necessario, sunt prima principia, quæ à lumine naturali primorum principiorum attinguntur: nec est verum, quod vnum principium probetur ex alio à priori, quod erat necessarium, vt vnum esset cõclusio alterius, & vt illatum ex alio per modum conclusionis nõ posset attingi per lumen naturale primorum principiorum: nec similiter est verum, quod non sint prima principia, ex eo quod distinguantur à bonitate consequẽtiæ; sed solum quod non sint prima principia cum illa identificata.

51. Iuxta secundam conclusionem respondetur cõcedendo maiorem, & negando minorem: ad probationem nego antecedens, nã licet verum sit, quod illa principia sint distincta à bonitate cõsequentiæ; tamẽ semper sunt prima principia, nam sunt singularia huius principij: *Omne quod in alio continetur ad modum illius cõtinetur*; vel huius; *omne quod infertur ex alio ad modum illius infertur*: quæ omnia cognoscuntur per habitũ primorum principiorum.

52. Dices: ergo habitus primorum principiorum cognoscit veritatem conclusionis propter veritatem præmissarum; quod non potest sustineri, cum hoc sit proprium habitus scientifici.

Respondetur negando sequelam, nam in præsenti non affirmamus lumen naturale primorum principiorũ assentiri veritati cõclusionis propter veritatem præmissarum; sed potentiam intellectiuam

ctiuam sine habitu Logico scientifico assentiri conclusioni præsupposita cognitione euidenti, & quidditatiua veritatis præmissarum bonitatis consequentiæ, & horum principiorum: *verum sequitur ex vero, & necessarium ex necessario*, quia intellectus ex se habet efficaciam assentiendi scientifice, cum virtualiter præcontineat omnem vim substantialem, licet non modalem habitus scientifici: quod concedi debet ab aduersarijs respectu assensus primæ conclusionis, nam iste non dimanat à scientia cum præsupponatur ad illam per modũ causę propriæ, & rigorosæ ipsius scientiæ.

53. Arguitur quarto. Intellectus scientificè nõ assentitur cõclusioni per hoc præcise, quod cognoscat conclusionem per suã causam; nisi vlterius sciat se scire: vtique quia actus scientificus debet excludere omnem formidinem, sed talis cognitio necessario supponit Logicam per modum habitus scientifici; ergo hæc est simpliciter prærequisita. Maior, & consequentia sunt certæ: minor probatur, vt intellectus sciat se scire, opus est, scire instrumentum Logicum, quod scientiam generat; videlicet demonstrationem scientiam generare; sed tale instrumentum nõ potest cognosci nisi per Logicam per modum habitus scientifici consideratam; ergo assensus scientificus præexigit Logicam per modum habitus scientifici. (Hoc argumentum ab omnibus debet solui in assensu primo scientifico Logicæ, nam respectu huius intellectus scit se scire absque eo, quod præsupponat Logicam per modum habitus scientifici.

Respondetur ergo pro omnibus iuxta primam conclusionem distinguendo maiorem, intellectus scientifice non assentitur cõclusioni per hoc, quod cognoscat conclusionem ex suis causis, nisi sciat se scire exercitè, vel signatè, cõcedo maiorem, signate, nego maiorem, & minorem, nam vt sciat se scire exercite in materia Philosophica, v. g. sufficit cognoscere conclusionẽ Philosophicam per suam causam necessariã: quod totum potest haberi absq; Logica per modum habitus scientifici, nam hæc non spectat ad substãtiam actus scientifici aliarum scientiarum.

54. Secundo respondetur iuxta secundam conclusionem concedendo maiorem, & distinguẽdo minorem, intellectus non scit se scire, signate, nisi per Logicã, concedo minorem: exercite, nego minorem, & consequentiam, nam ad scientifice assentiendũ nõ requiritur, quod per modũ actus signati præcognoscatur hoc; sed solum, quod per modum actus exerciti talis consequatur cognitio: & licet verum sit, quod hæc cognitio non valet haberi sine Logica in actu signato; bene tamen in actu exercito, quia non inconuenit veritatem demonstrabi-

trabilem à Logica in actu signato cognosci sine illa in actu exercito.

55. Dices: ergo frustra laboramus in hoc, quod bonitas consequentiæ sit essentia, & non passio demonstrationis, nam concesso, quod sit passio demonstrationis, sicut est ipsa scientia, possumus recurrere ad cognitionem in actu exercito assignatam à nobis vt sufficientem ad assensum scientificum. Respondetur iuxta argumenti solutionem negãdo sequelam, nam bonitas consequentiæ est prima, & adæquata ratio per se assentiendi conclusioni propter præmissas: quare vt hoc sine formidine fiat, est op⁹, quod præcognoscatur talis bonitas consequentiæ in actu signato; at verò scientia, seu hoc quod est scire se scire non est prima, & adæquata ratio per se assentiendi conclusioni propter præmissas; & ideo sufficit, quod talis cognitio sit in actu exercito.

56. Arguitur quinto. Non potest intellectus scientifice assentiri conclusioni, nisi prius sciat conficere demonstrationem, definitionem, & alia instrumenta Logicalia, sed hæc nõ valent cõfici absq; Logica artificiali scientifica; ergo hæc debet præsupponi ad omnem assensum scientificum.

Primo respondetur iuxta primam cõclusionem negando maiorem, nam ad assensum scientificum sufficit, quod cognoscatur conclusio per modum consequẽtis, vt deducta ex præmissis, & quod in exercitio cõficiãtur hæc instrumenta ab intellectu, etiam si hoc non sit scientifice. Et adde prædicta instrumẽta posse in exercitio fieri ab intellectu sine Logica artificiali scientifice per cognitionem illorum quidditatiuã habitam per habitum Logicum primorum principiorum.

57. Secundo respondetur iuxta secundam conclusionem concedendo maiorem, & negando minorem, nam vt prædicta instrumenta Logicalia conficiãtur, sat est, quod Logica naturalis illa quidditatiuè cognoscat per proprias ipsorum definitiones.

58. Sed contra hanc solutionẽ insurges primo. Omnis ars est à natura distincta, sed Logica naturalis est ab intellectu indistincta; ergo Logica naturalis non tradit regulas circa constructionem horum instrumentorũ. Respondetur distinguendo maiorẽ, omnis ars est à natura distincta, omnis ars, impropriè sumpta, nego maiorem, proprie sumpta, cõcedo maiorem, & minorem; negoque consequentiam, nam licet verum sit, quod ars propriè accepta exigat distinctionem; tamen ars impropriè accepta nullam talem exposcit distinctionẽ; vt videre est in intellectu primorum principiorum, qui habitus dicitur; non quia distinguatur realiter ab intellectu, sicut habitus scientifici, qui sunt in secun-

da

da specie qualitatis; sed quia est determinatio potentiæ, vel potentia determinata ad veritatē primorum principiorum, & cum determinatio sit propria habit⁹, ideo intellectus primorum principiorum denominatur habitus; sic similiter Logica naturalis ars denominatur, non quia in rigore ars sit, cum hæc ab intellectu exposcat distingui, & ab extrinseco acquiri; sed quia est determinatio potentiæ, vel potentia determinata ad obiectum artificiosum conficiendum.

59. Insurges secundo. Intellectus cum sola Logica naturali cognoscit quidditatiue essentiā syllogismi imperfecti per propriā illius definitionem, & tamen sine Logica artificiali non, valet illum conficere, nec bonitatē consequentiæ in illo cognoscere; ergo quamuis intellectus sine Logica artificiali habeat cum naturali cognitionem quidditatiuam syllogismi perfecti; ad illius tamē constructionem, & consequētiæ bonitatem cognoscendam artificialis Logica erit simpliciter necessaria. Respondetur concedendo maiorem; & distinguendo minorem intellectus sine Logica artificiali nō valet conficere, nec cognoscere bonitatē consequētiæ syllogismi imperfecti, ratione impossibilitatis moralis, cōcedo minorem, impossibilitatis Physicæ, nego minorem, & consequentiam licet verum sit, quod bonitas consequentiæ syllogismi imperfecti sit secundum se quidditatiuè cognoscibilis per lumen naturale intellectus; tamē quoad nos non est actu cognoscibilis sine Logica artificiali, quia valdè difficilis est talis cognitio ex abundantia impedimentorū, quæ intellectui obstant.

60. Non quiescas bonitas cōsequentiæ syllogismi imperfecti cognoscitur, & probatur per bonitatem consequentiæ perfecti; ergo nō est cognoscibilis per lumen naturale intellectus. Respondetur distinguendo antecedens, bonitas consequentiæ syllogismi imperfecti cognoscitur per bonitatem cōsequentię perfecti, tāquam per causam extrinsecam, concedo antecedens: tanquam per intrinsecam, nego antecedens; & distinguo consequēs, ergo non est cognoscibilis per lumen naturale, quoad nos, concedo consequentiam, ex se, nego consequentiam, nam non inconuenit quod aliquid per se notum reguletur, & probetur per causam extrinsecam; vt videre est in hoc principio per se noto, *ex necessario non sequitur nisi necessarium*, quod valet probari tanquam per causam extrinsecā per hoc principium, *ex vero non sequitur nisi verum*.

61. Insurges tertio. Explicatis terminis per lumen naturale intellectus cognoscitur Ecclesia: v. g. per propriam definitionem; & tamen regulæ circa Ecclesiæ constructionem non cognoscuntur

tur per lumen naturale intellectus; sed necessario est assignandus habitus acquisitus has regulas tradens; ergo ex eo quod intellectus naturali lumine cognoscat naturam demonstrationis, & aliorum instrumentorum Logicalium, non sequitur, quod non egeat habitu acquisito, qui tales regulas tradat circa illorum constructionem. ¶ Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, nam cum in potentijs externis detur noua difficultas circa cõstructionem Ecclesiæ, ideo præter lumen naturale intellectus debet assignari alius habitus dirigens potentias exteriores in ordine ad talem constructionem; at vero hæc difficultas quoad substantiã non datur in intellectu respectu artificij Logicalis, & ideo lumẽ naturale intellectus sufficit ad illius constructionem. Vide quæ dicta sunt, q. 6. §. 4. num. 16. in solutione tertij argumenti.

§. VIII.

Argumenta contra tertiam conclusionem.

62. ARguitur primo. Virtus naturalis non excedit vires intellectus humani, sed omnes veritates aliarum scientiarũ sunt naturales; ergo intellectus nedum Physicè, sed etiam moraliter potest illas comparare.

Respondetur cõcedendo maiorem, & minorem, & negando consequentiam, nam intellectus est impotens ad omnes impotentia morali orta ex impedimentis extrinsecis, quæ absque Logica artificiali scientifica moraliter vinci non possunt, vt dictum est, §. 6. huius quæst. num. 38. in probatione tertiæ partis tertię conclusionis.

63. Arguitur secundo. In intellectu absque Logica artificiali est potentia Physica ad omnes conclusiones; ergo etiam sine illa est moralis, cum illa istam supponat. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, nam Physica non supponit moralem; sed potius è contra, & ideo consequentia est falsa, quia arguitur à superiori ad inferius.

64. Obijcies. Intellectus cum habitu Logico primorum principiorum potest nedum Physicè, sed moraliter fere omnes conclusiones Logicas cognoscere; ergo idem dicendum erit de intellectu cum habitu primorũ principiorum aliarum scientiarum. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequẽtiam, nam quælibet conclusio Logica deseruit vt instrumentum ad alterius còclusionis cognitionem; at vero conclusio Philosophica regulariter loquendo non deseruit ad alterius conclusionis cognitionem, & ideo Logica, & non aliæ scientiæ potest peruenire ad extensiuam cognitionẽ omnium con-

conclusionum per lumen naturale primorum principiorum.

QVAESTIO IX. ET VLTIMA.

An Logica nedum directiuè, sed etiam effectiuè concurrat ad actus aliarum scientiarum?

§. I.

Elucidantur aliqua.

1. EX dictis q. 4. §. 1. num. 3. constat communis Logicæ diuisio in docentem, & vtentem, quæ non solum est actualis, (vt aliqui volunt) sed etiam habitualis: & licet Logica vtês solum accipiatur à Patre Vazquez passiuè, in quantum aliæ scientiæ iuxta regulas Logicæ docentis disponunt suos actus in formam modi sciendi; tamen hæc acceptio vt voluntaria, & impropria debet reijci. Tum quia talis acceptio magis conducit ad hoc, vt Logica dicatur vsitata, quam vtens: tum quia tot erunt Logicæ vtentes, quot sunt scientiæ à Logica distinctæ: tum quia non potest dari diuisio rationis genericę in partes inferiores subiectiuas, quæ non participent rationem diuisi; ergo prædictus modus dicendi, vt veritati contrarius debet reijci. ¶ Vnde logica vtens debet accipi tum actiuè, in quãtum applicat ad opus præcepta docentis tam in propria, quam in aliena materia: tum passiuè; quatenus actus propriæ, & alienæ materiæ recipiunt Logicalem dispositionẽ; vel quatenus hi actus sunt à Logica directi in formam modi sciendi.

2. Nota secundò ex 2. Physicorum. Quod bifariè potest vna causa cum alia concurrere ad effectus productionem: primo directiuè, non producendo, sed tãtum ostendendo modum, quo effectus debet produci; in quo sensu in confesso est apud omnes Logicam docentem concurrere ad actus aliarum scientiarum. Secũdo effectiuè, cooperando cũ alia concausa; ita vt ab vtraque effectus operetur: ad eum modum, quo Deus immediate concurrit cũ causa secunda ad effectus creati productionem. Nunc quod inquirimus est: an Logica solum dirigat actus aliarum scientiarũ, vel an vltra hanc directionem effectiuè cõcurrat ad artificiosam dispositionem Logicam in illis repertam.

§. II.

Proponuntur sententiæ.

3. PRima asserit Logicam solũ directiuè cõcurrere ad omnes actus aliarum scientiarum: iuxta quam sententiam Logica solum extrinsecè tradit regulas, vt aliæ scientiæ illis vtantur. Ita Hurtado disp. 2. logicæ, sect. 3.

Pe-

Petrus à Ieiu, aliàs Serna, disp. 1. sect. 2. q. 4. ar. 1. Caue. tract. 1. disp. 4. dist. 2. nu. 8. Patet Vazquez, Arriaga, & alij quam plurimi.

4. Secunda, cum diuisione procedit, & affirmat Logicam docētē directiuè concurrere ad actus omnes analyticos, topicos, & sophisticos aliarum scientiarum; vtentem vero effectiuè concurrere non ad omnes; sed solum ad topicos, & sophisticos. Pro hac stant Complutenses, disp 1. procemialium, q. 1. Fonseca 2. met. quæst. 2. sect. 6. Coimbricenses in præsenti, & fere omnes moderni.

5. Tertia, docet Logicam vtētem effectiue cōcurrere ad actus omnes aliarum scientiarum: atque ideo diuisionem Logicæ in docentem, & vtentem esse intelligendam tam secundum partem topicam, & sophisticam, quā secundum analyticam. Ita Rubio in præsenti. Gallego q. 3. cōtrouers. 2. & omnes doctissimi nostræ familiæ in manuscriptis: in huius sententiæ obsequium sit.

§. III.

Conclusio.

6. LOgica vt vtens effectiuè concurrit quoad formam Logicam artificiosam ad actus probabiles, sophisticos, & demonstrabiles aliarum scientiarū. Hæc conclusio in duas est diuisa partes, & quoad vtramque constat ex definitione artis à Philosopho 6. ethic. cap. 4. tradita, & etiam ex libr. 1. de partibus animalium. Deinde probatur ex D. Tho. 1. p. q. 14. ar. 8. in corp. vbi ait. *Scientiam Dei esse causam rerū, quia se habet vt scientia artificis, quæ concurrit ad artefacta, sicut calor ad calefactionem.* Hæc Diuus Thom. Ex quibus verbis sic argumentor. Secundum Diuum Thomā scientia Dei cōcurrit ad effectus creatos nedum extrinsecè in genere causæ exemplaris, sed Physicè in genere causæ effectiuæ, vt calor ad calefactionem, quia se habet vt ars existens in mente diuina, sed Logica est ars in ordine ad omnes actus aliarū scientiarum; ergo ad illos effectiuè concurrit, cum secundum Philosophum: *propter quod vnū quodque tale, & illud magis.*

7. Rursus probatur ratione. In actibus aliarum scientiarum non solum reperitur propria obiecti cognitio, sed etiam artificiosa logicæ dispositio; ergo hæc effectiuè dimanat à logica. Consequētia prpbatur, ex eo actus Philosophiæ, v. g. dimanat effectiuè à Philosophia, quia est cognitio entis mobilis, quod est Philosophiæ obiectum, sed etiam talis actus vt artificiosè dispositus, vel vt conformis regulis logicæ est cognitio secundarum intentionum, quæ sunt obiectum logicæ; ergo vt sic effectiuè dimanat à logica. Ni dicas alias scientias excedere sphæram sui obiecti

cti adæqu·ti, & pertingere ad obiectũ formale logicæ. ¶ Confirmatur, ex eo Logica effectiuè concurrit ad omnes actus in propria materia, quia in illis datur recta modi sciendi dispositio, sed hæc etiam datur in omnibus actibus aliarum scientiarum; ergo propter eandem rationem debet ad illos effectiuè cõcurrere, cum recti modi sciendi dispositio sit eiusdem rationis in omni materia.

8. Contra Patres Complutenses deinde probatur. Logica non valet concurrere effectiue quoad substantiam ad actus aliarũ scientiarum: tum quia sunt in esse intelligibili specie diuersi: tũ quia non potest extrahi extra latitudinem sui obiecti adæquati; ergo propter eandem rationem aliæ scientię non possunt effectiuè cõcurrere quoad dispositionem rectam modi sciendi ad actus aliarum scientiarum.

9. Quoad secundam partẽ specialiter probatur conclusio. Ex eo Logica cõcurrit ad actus topicos, & sophisticos aliarum scientiarum, quia in illis est recta modi sciendi dispositio, & quia sunt iuxta regulas Logicæ facti, sed totum hoc datur in actibus analyticis aliarum scientiarum; ergo ad illos Physicè concurrit. Cõfirmatur. Actus topicus sicut est cum sophistico oppositus, ita cum demonstratiuo; & ramẽ prima oppositio (quia materialis est, & non formalis: ideſt, ratione materiæ, & non ratione formæ) non obstat, vt artificium in illis repertum à Logica effectiue dimanet; ergo nec secunda obstabit, cum etiam sit materialis.

10. Vlterius probatur ad hominem contra Patres Carmelitas. Ex eo Logica in opinione horum Doctorum non debet Physicè concurrere ad actus demonstratiuos aliarum scientiarum, quia de medio tollerentur aliæ scientiæ, sed non tollunt alię opiniones; etiam si Logica, vt opinatiua efficienter concurrat ad actus opinatiuos aliarum sciẽtiarum; ergo si concursus Physicus effectiuus in actus opinatiuos nõ tollit opiniones à Logica opinatiua distinctas; nec etiam cõcursus Physicus effectiuus in actus demõstratiuos debet tollere sciẽtias, à Logica distinctas.

11. Respondebis cum Cõplutensibus assignando discrimẽ inter actus probabiles, & demonstratiuos aliarum scientiarum respectu Logicæ, nam ad probabiles aliarum scientiarum (in horum Doctorum opinione) valet Logica cõcurrere nedum quoad formam, sed etiam quoad materiam, ex eo quod conclusio probabilis metaphysica, v. g. valet probabiliter inferri ex principio Logico; at vero conclusio analytica metaphysica nullo modo valet inferri ex principio Logico; & ideo ab illa nõ valet dimanare.

Contra est primo, nam ex hac solu-

solutione non sequitur, quod Logica non valeat effectiuè cõcurrere quoad formam, sed solum quod non possit effectiuè cõcurrere quoad materiam in actus analyticos aliarum scientiarum; quod libenter concedimus.

Contra est secundo, Conclusio probabilis aliarum opinionum dimanans ex principio Logico non spectat ad opinionem à Logica distinctam (vt fatentur Complutenses in hac solutione) & similiter conclusio probabilis dimanans ex principijs Metaphysicis non valet ad Metaphysicam spectare; ergo nullæ conclusiones probabiles possunt spectare ad opiniones à Logica distinctas. Consequentia est euidẽs à sufficienti partium enumeratione. Antecedens quoad secundam partem probatur, nam (in opinione horum Patrum) si Logica effectiuè cõcurreret quoad formam ad conclusiones demõstratiuas aliarum scientiarum, talis cõclusio nõ spectaret ad alias scientias, sed ad Logicam, sed Logica (in horum auctorũ opinione) concurrit effectiue quoad formã ad cõclusiones opinatiuas deductas ex principijs Metaphysicis; ergo tales conclusiones non spectant ad Metaphysicam, sed ad Logicam; ergo nullæ conclusiones probabiles possunt spectare ad opiniones à Logica distinctas. ¶ Vrgetur hæc ratio, ex eo quod conclusio probabilis dimanans ex principijs Logicæ spectet ad Logicã quoad formam, & materiam, non inferunt hi Doctores conclusionem probabilem dimanãtem ex principijs Metaphysicis nõ posse efficienter dimanare à Logica quoad formam; ergo nec ex hac ratione debent inferre conclusionem analyticam non posse dimanare à Logica quoad formam.

§. IV.

Argumenta primæ sententiæ.

12. PRimum. Logica solum cõcurrit effectiue ad modum sciendi, sed actus Philosophię, v.g. non est modus sciendi, cum non sit tendentia in secundam intentionem obiectiuam, sed solum in ens mobile; ergo ad illum Logica non concurrit effectiuè.

Cõfirmatur. Logica sicut omnis scientia solum concurrit effectiuè ad actus conclusionis, quibus actibus generatur, sed Logica nõ generatur per actus Philosophiæ; ergo ad illos effectiuè non concurrit.

Vt respondeas nota ex q. 2. cõclusione 2. §. 4. nu. 11. & ex q. 3. §. 8. num. 28. in responsione ad primum argumentum secundæ sententiæ, quod sicut actus Logicus potest considerari primo, & secundo intentionaliter, sic actus Philosophiæ, v.g. valet accipi primo intẽtionaliter in quã-

tum dimanat à Philosophia in ordine ad cognitionē entis mobilis, & secundo intentionaliter, in quantum est conformis regulis Logicæ; vel quatenus est in forma definitionis, diuisionis, &c. in prima acceptione non est modus sciendi, nec generat Logicam; bene tamen in secunda. Per quod patet ad argumentum cum sua confirmatione. Vnde in forma respondetur concedendo maiorem, & distinguēdo minorem, actus Philosophiæ non est modus sciendi, vt actus Philosophiæ est, vel vt tendit in ens mobile, concedo maiorem, vt est actus Logicæ, vel vt est cōformis regulis Logicæ nego minorem, & consequentiam.

Ad confirmationem concedo maiorem; & distinguo minorem eodem modo, quo minor argumenti fuit distincta; & nego consequentiam, nam si nullum datur inconueniens in hoc, quod vnus effectus secundum diuersas formalitates dimanet partialiter à duplici causa; vt constat in duobus portantibus lapidem; & in actu supernaturali vitali qui in opinione probabili dimanat vt vitalis ab intellectu, & vt supernatutalis ab habitu supernaturali, quare dabitur in hoc, quod actus Philosophię, v. g. dimanet à Philosophia quoad substantiam, & à Logica quoad formam modi sciendi?

13 Secundum. Philosophia moralis respicit vt obiectum actus voluntatis, seu virtutum moralium; sicut Philosophia rationalis, seu Logica actus intellectus, seu virtutum intellectualium, sed Philosophia moralis nō concurrit efficienter neque quoad materiam, neque quoad formam ad actus virtutum moralium; ergo nec Logica aliquo ex his modis debet concurrere efficienter ad actus virtutum intellectualium. Respondetur distinguendo minorem. Philosophia moralis dirigit actus virtutum moralium, sicut rationalis virtutum intellectualium, ly *sicut* dicēs omnimodam proportionem, nego maiorem, aliquam proportionem, concedo maiorem, & minorem; negoque consequentiam: tum quia Philosophia moralis non habet rationem artis, sicut Philosophia rationalis: tū quia moralis nō existit sicut rationalis in eodē subiecto cum obiecto ab ipsa directo. Ex hac solutione apette constat artem mechanicam in mente existentem non concurrere effectiue ad artificium ab ea directum, nam materia circa quam operatur est extra intellectum; & ideo vltra artem datur in membro exteriori artificis virtus effectiua, quæ possit circa talem versari materiam.

14. Dices: vt constat ex dictis in quæstiuncula quæstionis 7. assertione 1. §. 9. num. 61. moralis Philosophia non solum dirigit actus voluntatis, seu virtutum

mo-

moralium in voluntate existentium, verum etiam intellectus, seu virtutū moralium in illo existentium; & tamen talis Philosophia moralis non concurrit effectiuè, sed solum directiuè ad act⁹ virtutum intellectualium; ergo ex eo quod Logica, seu Philosophia rationalis sit in intellectu, cum actibus aliarum virtutum intellectualium, non sequitur, quod debeat ad illos effectiuè concurrere.

Respondetur concedēdo maiorem, & minorem, & distinguēdo consequens, ex eo quod Philosophia moralis sit in intellectu cum actibus aliarum virtutum intellectualium, non sequitur, quod ad illos effectiue concurrat, ex eo præcisè, concedo consequentiam, ex eo, & quia vlterius obtinet perfectionem artis, nego cōsequentiam, nam (vt dixi in corpore quæstionis, & in 6. & 7. quæst. huius disputationis) Logica non solum est scientia in quantum demonstrat passiones demodo sciendi obiectiuo; sed etiam ars, in quantum tradit regulas ad operis efformationem; de ratione autem artis est efficere opus, quando materia est intra eandem potentiam, in qua est ars; & ideo Philosophia rationalis concurrit effectiue ad artificium Logicum, quod est in propria, & aliena materia, cum vtrūque eiusdem rationis sit, & in eadem sit potentia; at verò prudētia nō habet rationem artis; etiā si sit in ratione practica, quatenus applicat rationem rectam ad aliquem finem. Audi Magistrum Angelicum 22. q. 47. art. 2. ad 3. vbi sic decantat. *Ad tertium dicendum quod omnis applicatio rationis rectæ ad aliquid factibile pertinet ad artem; sed ad prudentiam non pertinet nisi applicatio rationis rectæ, & ad ea, de quibus est consilium: & huiusmodi sunt, in quibus non sunt viæ determinatæ perueniendi ad finem: vt dicitur in 3. Ethic. quia ergo ratio speculatiua quædam facit, inde est, quod respectu horum potest saluari ratio artis, non autem ratio prudentiæ.* Hæc Diuus Thomas. Ex quibus apertè cōstat doctrina à nobis præfixa.

15. Tertium. Actus virtutum intellectualium supernaturalium sunt in forma modi sciendi dispositi, & tamen Logica non valet effectiuè ad illos concurrere, nec quoad materiam, nec quoad formam; ergo nec ad alios aliarum scientiarum naturalium. Consequentia constat à simili, maior est per se nota, minor probatur quoad primam partem, actus harum virtutum sunt quoad substātiam supernaturales; ergo Logica, quæ est habitus naturalis, & acquisitus non valet effectiuè illos producere quoad materiam. Quoad secundam etiam probatur, nam forma modi sciendi in his actibus reperta, vel est imbibita saltim realiter cū substantia actuum, vel sapit naturam horum actuum; ergo Logi-

ca, quæ habitus acquisitus est, non valet effectiue concurrere ad formam horum actuum.

Hoc argumentum nullam habet efficatiam in sententia asserente modum sciendi formalem in actibus Logicis repertum esse rationis, nec in asserente esse reale à substantia actuum distinctum; in nostra vero docente esse realiter in distinctum à substãtia actuum aliquam vim habet in actibus harum virtutum; nullam tamẽ in obiectis horum actuum: vbi modus sciendi est rationis, & omnino indistinctus à substantia obiecti, vt sic possit à Logica efficienter dimanare.

Nihilominus non obnubilat claros nostræ assertionis radios, nam non inconuenit, quot tota substãtia actus supernaturalis dimanet à virtute supernaturali; & quod tota hæc à Logica naturali acquisita disponatur iuxta regulas Logicæ: non aliter ac non inconuenit, quod ars domifactoria disponat effectiue lapides, & ligna secundum regulas artis, vel secundum formam artificiosam; etiam si quoad substantiã nullomodo valeãt ab arte effectiuè dimanare. Ratio vtriusq; est eadẽ, nam prædicta efficientia non cõsistit in hoc, quod producantur entitates; sed in hoc quod istæ entitates fiant secundum connotationem ad regulas artis: non aliter ac in materia de Eucharistia dicitur à Theologis Corpus Christi fieri ex pane præcisè per hoc, quod terminet actionẽ conuersiuam, vel per hoc quod connotet desitionem panis, cuius vices gerit.

Quo supposito respondetur cõcedendo maiorẽ, & negando minorẽ quoad secundam partem: ad probationẽ distinguo antecedẽs, forma modi sciendi in actib⁹ supernaturalibus est imbibita cum substãtia actuũ realiter entitatiuè cõcedo antecedẽs, realiter expressiuè, nego antecedens, & cõsequentiã, nam licet verum sit in opinione Thomistarũ, quod virtus naturalis non valeat proximè efficere formalitatem aliquam effectus supernaturalis; potest tamen illa disponere iuxta regulas artis; sicut aliæ artes naturales valent disponere iuxta regulas proprias entitates naturales ab ipsis improducibiles quoad substantiam.

16. Quartum. Logica essentialiter est habitus cognoscitiuus, cum sit habitus intellectualis; ergo ex eo, quod actus aliarum scientiarum sint in forma modi sciendi dispositi, non sequitur, quod illos quoad formam producat; sed solum, quod illos quoad formam cognoscat.

Respondetur distinguendo antecedens, Logica est habitus cognoscitiuus, & simul productiuus, concedo antecedens, cognoscitiuus tantum, nego antecedens, & consequentiam, nam Logica non solum est habitus speculatiuus, sed etiam practicus, quatenus

tenus obtinet artis rationem; & ideo ad eum spectat non solum cognoscere, sed producere artificiosam modi sciendi dispositionem. ¶ Adde hoc argumentum multum probare, nam ex illo sequitur Logicã non esse in propria materia sui obiecti productiuam, quod absque dubio est falsum.

17. Quintum. Influxus effectiuus secundarum intentionũ potest ab alijs scientijs prouenire; ergo ab illis, & non à Logica dimanat. ¶ Admisso, pro nunc, & non concesso antecedẽti (quia aliæ scientiæ non habent rationem artis) respondetur negando consequentiam, nam ex eo, quod influxus effectiuus secundarũ intentionum possit dimanare ab alijs scientijs, non sequitur, quod de facto dimanet ab illis; sicut ex eo, quod effectus creati possint à Deo creari, vel produci absque concursu causæ secundæ, non sequitur, quod de facto sine illo à Deo producantur.

§. V.

Argumenta secundæ sententiæ.

18. PRimum desumitur ex Aristot. 1. topic. vbi sic loquitur. *Proprium est Logicæ de qualibet re probabiliter disputare*; ergo Logica ex mente Philosophi solum respicit actus probabiles, nõ vero demonstratiuos aliarũ scientiarum. ¶ Secundum est Diui Thom. 4. met. lect. 4. vbi sic fatur. *In parte Logicæ, quæ dicitur demonstratiua, sola doctrina pertinet ad Logicam; vsus verò ad Philosophiam, & ad alias scientias particulares; in parte vero Logicæ, quæ dicitur topica vsus, & doctrina pertinet ad Logicam.* Ex qua auctoritate validissimum efformatur argumentum, nam ex hac auctoritate sequitur, quod Logica solum per doctrinam cõcurrit ad actus demonstratiuos aliarum scientiarum, sed in doctrina solum est concursus directiuus, non verò effectiuus; ergo Logica solum directiue concurrit ad actus demonstratiuos aliarum scientiarum.

19. Vt auctoritatibus respondeas, & vt radicitus mentem Angelici Præceptoris penetres, nota, quod actus aliarum scientiarum, siue scientifici, siue opinatiui sint, possunt bifarie accipi, primo quoad materiam, secundo quoad formam; hoc ergo versatur discrimen inter actus demõstratiuos, & topicos, quod isti nõ possunt à Logica effectiuè produci quoad materiam, cum Logicum principium sit extraneum, & conclusio demonstratiua debeat oriri ex principijs intraneis; at vero actus topici aliarum scientiarum possunt effectiuè dimanare à Logica quoad materiam, cum in illa dentur principia, ex quibus metaphysicus actus, vel metaphysica conclusio, v. g. probabiliter possit inferri,

v. g. ex hoc principio Logico, *quæ conueniunt definitioni, conueniunt definito*, infert probabiliter hanc conclusionem metaphysicam; ergo homini conueniunt tationes animalis, & rationalis.

20. Nota secundo tunc Logicam concurrere Physicè ad materiam alicuius cõclusionis, quãdo tribuit principium, ex quo dimanat. Ratio est, nã non alia ratione Metaphysica concurrit ad suas conclusiones, nisi quia tribuit principia, ex quibus dimanant, vbi enim principium, ibi conclusio spectat.

21. Ex quibus ad auctoritates respondetur Aristotelem, & Diuum Thomam loqui de concursu effectiuo Logicæ in ordine ad materiam actus topici extranei; non vero in ordine ad formam, quam effectiue præstat tam actibus topicis, quam demonstratiuis aliarum scientiarum.

Ex quo infero Logicam effectiue concurrere & quoad formam, & quoad materiã ad actus topicos aliarum scientiarum ex principijs logicis deductos; ad demonstratiuos vero solum effectiue quoad formam, & directiue quoad materiam: quatenus docet *quod ex principijs intrinsecis, & necessarijs dimanat conclusio euidens, & necessaria.*

22. Quod ergo hæc sit legitima mens Angelici Præceptoris constat ex verbis subsequentibus: vbi ait. *Hoc ideo est, quia vsus demonstratiuæ partis consistit in vtendo principijs rerum, quæ ad scientias reales pertinent, non vtendo intentionibus Logicis.* Vbi expresse decet loqui de vsu quoad materiã, cum loquatur de vsu, qui datur in alijs scientijs medio principio intrinseco. ¶ Quod vero alijs scientijs in hac parte analytica non tribuat vsum quoad formam, constat ex vltimis verbis relatis, vbi affirmat principia demõstratiua prouenire à scientijs realibus, à quibus Logicæ intentiones non dimanant; ergo sentit intentiones, seu dispositiones Logicas in alijs scientijs repertas non dimanare effectiue ab illis, sed à Logica.

23. Secundum à ratione sic se habet. Logica non habet vsum in parte demonstratiua sui obiecti; ergo nec in parte demõstratiua aliarum scientiarum. Antecedens probatur, in parte demõstratiua Logicæ doctrina nõ est ab vsu distincta, sed vsus (de quo in præsenti loquimur) debet à doctrina distingui; ergo Logica non habet vsum in parte demõstratiua sui obiecti. Maior probatur, Logica non aliter tradit regulas ad probandum genus esse prædicabile, quam per efficiẽtiam demonstrationis; ergo doctrina partis demonstratiuæ est ab vsu distincta.

24. Etsi respondeas, quod in prædicto casu datur doctrina ab vsu distincta, nam doctrina est generis, & vsus demonstrationis. ¶ Contra insurges primo, nam licet solutio sit vera, quãdo vsus, & do-

& doctrina sunt circa diuersa logicæ instrumenta; non tamen quando doctrina, & vsus sunt circa idem instrumentum; quod potest contingere, quando tradit regulas ad constructionem demonstrationis media demõstratione; ergo in hoc casu doctrina non est ab vsu distincta.

In primis dico hanc obiectionem non probare vsum demonstrationis in propria materia non dimanare effectiue à Logica; sed solum dari vsum à doctrina distinctum à Logica effectiuè dimanantem; ex quo nihil contra nostram conclusionem.

Secundo respondetur, quod in hoc casu etiam distinguitur vsus à doctrina: tũ quia doctrina debet antecedere: tum quia tradit regulas ad demonstrationem vt sic, media demonstratione particulari, sicut definit definitionem vt sic, media definitione particulari, demonstratio enim particularis est à demonstratione vt sic distinctione inadæquata distincta; vel distinctione includẽtis, & inclusi; si ergo regulæ sint ad demonstrationẽ particularẽ, dico distingui etiam vsum à doctrina, nam tunc docet hunc syllogismum in *Dari*, v. g. *omnis homo est animal; Petrus est homo: ergo Petrus est animal*, constare ex his terminis, & postea illũ eformat, aliãs cæco modo procederet; ergo hic actus doctrinę absque dubio est distinctus ab vsu. Vnde nõ solum vsus distinguitur à doctrina quando sunt in ordine ad diuersa instrumenta; sed etiam quando sunt in ordine ad vnum.

25. Insurges secundo, omnis doctrina debet dari in aliquo instrumento Logico, videlicet in propositione, definitione, vel demõstratione; ergo vsus intrat ad constitutionem doctrinę.

¶ Respondetur concedendo de facto doctrinam non posse dari absque vsu, vt videre est in doctrina demonstrationis vt sic, quæ datur in vsu demonstrationis particularis: sicut definitionis, in definitione particulari. Ex hoc autem non sequitur, quod vsus intret ad doctrinę cõstitutionem; sed solum quod in exercitio nõ detur doctrina sine vsu: non aliter ac in exercitio nõ datur species, quæ non sit in individuo; etiam si individuatio non sit de essentia speciei.

DISPVTATIO SECVNDA DE NATVRA ENTIS RATIONIS.

ENTIS rationis indagatio magis ad metaphysicum, quam ad Logicum spectat; sed quia in proœmialibus de secundis intentionibus rationis passim egimus, & quia introductio Porphyrij ad Aristotelis prædicamenta innumerabilia entia rationis continet, & denique quia inter Doctores hæc consuetudo inualuit; ideo à Metaphysica ad Logicam præsentem transfero disputationem.

QVÆSTIO I.

An sit, & quid sit ens rationis?

§. I.

Lux tituli.

1. PRO difficultatis luce nota, quod ens rationis, seu *ens in anima* vt placuit Sãcto Doctori opusculo 48. tract. 2. cap. 10. sumit suam denominationem ab intellectu, qui alio nomine ratio dicitur, & sic omne id, quod aliqualiter dependet ab intellectu, seu ratione ens racionis appellatur, quod tripliciter accipitur: Primo effectiue, in quantum respicit intellectum, seu rationem vt causam, in quo sensu actus intellectus, & omnia entia artificialia entia rationis appellãtur. Secundo subiectiuè, in quã tum respicit rationem, seu intellectum vt subiectum inhæsionis, in quo sensu actus intellect⁹, & habitus intellectuales, qui sũt in ratione tanquam in subiecto materiali, & proprio entia rationis nominãtur. Tertio obiectiuè in quantum per modum mensuræ exrrinsecæ terminat rationis actum. ¶ Difficultas non procedit in duplici sensu priori, cum in hoc sint verè, & proprièe entia realia sed in tertio, in quo accipitur obiectiuè, in quantum in genere causæ formalis extrinsicæ obiecti, seu mensuræ extrinsecæ

secæ terminat rationem, & rationis actum. In hac autem tertia acceptione dupliciter etiam valet vsurpari ens rationis, nam sunt aliqua obiecta, quæ ita terminant actum rationis, vt extra rationem habeant esse verum, & reale; vt *homo, lapis*; alia vero, quæ ita terminant actum rationis, vt extra rationē nullum habeant esse, vt *mons aureus*; de hoc ergo in hac secunda acceptione sumpto præsens procedit quæstio, & inquirit: an sit, & quid sit hoc, quod solum habet esse in anima?

§. II.

Prima conclusio.

2. REsolutorie dico de facto dari entia rationis. Est communis, & vnica probatur ratione. Plura cognoscit intellectus, quæ in illo solum habent esse, sed illud, quod solum habet esse in intellectu, est ens rationis; vt constabit ex secunda conclusione; ergo de facto dantur entia rationis. Minor, & consequētia sunt certæ: maior probatur: tum quia multoties cognoscit genus ordinari ad speciem, & speciem ad individua; tum quia intellect' apprehendit cæcitatem per modum entis positivi: cum non valeat cognoscere nisi id, quod subinduit rationem entis intellectū terminantis per modum obiecti adæquati, sed omnia hæc extra intellectum nullum esse habent; ergo cognoscit intellectus plura, quæ in illo solum habent esse.

3. Dices ingenioſe satis. Si de facto dantur entia rationis, de facto etiam debent admitti duæ contradictoriæ simul veræ; quod implicat; ergo de facto non dantur rationis entia. Probatur sequela nam sicut, hæc propositio, *negatio entis rationis non est ens rationis*, est vera: sic hæc, *negatio lapidis non est lapis*: & etiam cōtradictoria huius propositionis est vera, cum negatio entis rationis sit ens rationis; sicut negotialucis, vel visus est ens rationis; ergo si de facto dantur entia rationis, de facto etiam debent admitti duæ contradictoriæ simul veræ.

4. Supposita adæquata entis rationis diuisione in relatiuum, priuatiuum, & negatiuum nota pro obiectionis solutione priuationem, seu negationem dupliciter accipi, primo fundamentaliter pro carentia formæ positiuæ, & hæc priuatio dicitur, si forma est subiecto debita; vel negatio, si forma est subiecto indebita, aut si subiectum est formæ incapax: secundo formaliter pro forma positiua rationis ab intellectu ficta: vnde hæc entia rationis appellantur negationes, & priuationes; non quia formaliter, per rationem tales sint; sed quia fundantur in illis.

Quo supposito respondetur negando sequelam: Ad proba-

tionem dico dari variationē appellationis, nam negatio entis rationis fundamentaliter nō est ens rationis; quanuis formaliter sit ens rationis: vnde in eodem sensu prædictæ propositiones nō sunt veræ, quod erat necessariū, vt essent contradictoriæ. Ratio huius est, nam si vna est vera, in sensu formali, alia in eo sensu est falsa: & similiter si vna est vera in sensu fundamentali, alia est in eodem sensu falsa. Constat hoc, nā in sensu fundamentali prima propositio obiectionis est vera, & secunda falsa: & in formali prima est falsa, & secunda vera.

5. Replicabis primo. Negatio entis rationis formaliter sūpta est ens rationis; ergo negatio entis realis, v.g. lapidis formaliter sumpta erit ens reale. ¶ Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiā, nam negatio formaliter sumpta non datur extra intellectū, quod erat necessarium, vt ens reale diceretur.

6. Replicabis secundo. Negatio entis rationis formaliter accepta est ens rationis; ergo negatio lapidis formaliter accepta erit lapis. ¶ Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, nam negatio formaliter sumpta est dependēs ab intellectu, à quo ens reale, quale est lapis non potest effformari.

(.˙.)

§. III.

Secunda conclusio.

7. ENs rationis est illud, quod tātum habet esse obiectiuum in intellectu. Hæc est Philosophi, 2. Metap. & pro illius intelligentia nota, quod in præsenti non loquimur de denominatione extrinseca cogniti; vel de esse extrinseco, quod extrinsecè dimanat ab intellectione, tā in rebus, quæ sunt à parte rei; quam in rebus, quę tantum habent esse in intellectu, hæc enim licet realis sit, potest entitati nedum reali, sed rationis conuenire, cum nihil intrinsecū ponat in obiecto cognito; sed loquimur de esse intrinseco, vel de entitate intrinseca rationis, seu metaphorica, quæ ab intellectu fingitur media intellectione reali, quę per ordinem ad hoc esse fictum fictio nominatur.

Et quod denominatio extrinseca non sufficiat ad efformationem entis rationis, si vlterius res non accipiāt esse intrinsecum ab actu fingente, constat ex Anselmo nostro in Prosologio, opusc. 3. contra insipientem; vbi sic fatur: *Multa nanque cogitamus non esse, quæ scimus esse: & multa esse, quæ non esse scimus, non existimando, sed fingendo ita esse cogitamus*: ergo ex mente maioris Doctoris ens rationis non fit per hoc, quod actus intellectus apprehendat extrinsecè

fecè rem, si non fingit in ea esse, quod non habet; vt constat ex illis verbis: *non existimando; sed fingendo ita esse cogitamus.*

8. Quo supposito probatur conclusio ex Diuo Thoma 1.p. q.16.art. 3.ad 2. vbi ait: *Ens rationis est, quod cum non sit in rerum natura accipitur vt ens in ratione.* Ex quo celebri testimonio sic meam probo conclusionem. Illa est ratio constitutiua entis rationis, per quam est ens rationis essentialiter distinctum ab ente, quod est in rerum natura, seu ab ente reali, cum ratio constitutiua, & distinctiua sit eadem, sed ens rationis distinguitur essentialiter ab ente reali, per hoc, quod habet esse obiectiuum tantum in ratione, cum ens reale extrà illam habet esse intrinsecum; ergo essentia entis rationis consistit in hoc, quod est tantum obijci intellectui; ergo ens rationis est illud, quod tantum habet esse obiectiuum intra rationem: alias nō esset ab ente reali essentialiter distinctum.

9. Insurges ex Diuo Thoma opusc. 42. vbi sic fatur: *tunc efficitur ens rationis, quādo intellectus nititur apprehendere, quod non est ens, ac si esset ens.* Ex qua auctoritate hanc deduces consequētiam; ergo obiectum, quod concipitur aliter ac est in se, est ens rationis, sed hoc est falsum, nam intellectus humanus pro hoc statu concipit Angelum ad instar rei materialis, absque eo quod efformet ens rationis; ergo per hoc præcisè, quod concipiatur obiectiuū aliter ac est in se, nō efformatur ens rationis.

Respōdetur admittēdo auctoritatem Diui Thomæ, & consequētiā illatam; & negādo minorem, nam quando intellectus hu̇s manus pro hoc statu concipit rē spiritualem ad instar rei materialis, tunc non tribuit Angelo rationem entis, nec rationem entis materialis, cum illum vt materialē non concipiat: aliud enim est, quod concipiatur vt materialis, & aliud, ad instar rei materialis, primum erat necessariū, vt à tali cognitione formaretur ens rationis, & vt aliter ac est in se cognosceretur, secundū nō sufficit, nec vt formetur ens rationis; nec vt cognoscatur aliter ac est in se. Cum ergo pro hoc statu res spiritualis defectu speciei impressæ propriæ nō possit cognosci, vt petit cognosci; ideo ex rebus materialibus visibilibus habētibus aliqualē proportionē cum re spirituali, & inuisibili accipit speciem, vt modo quo potest, hoc est, in enigmate, & quasi in speculo veniat in illius cognitionē.

§. IV.

Argumenta contra vtramque conclusionem.

ARguitur primo. Causa entis rationis, si aliqua est, est intellectus, sed ab isto nequit fin-

gi;

gi; ergo de facto non dantur entia rationis. Minor probatur, intellectus est causa realis per verum, & realem influxum causans, sed causa causans per verum, & reale fieri, petit verum, & reale factum; ergo ens rationis, quod non est factum, sed fictum nequit ab intellectu fingi. ¶ Confirmatur. Omnis effectus productus à causa efficiente libera indiget causa finali, formali, & materiali, sed ens rationis nullam habet; ergo de facto non debet admitti.

Ad argumentum respondetur concedendo maiorem, & negãdo minorem: ad probationem concedo causam realem per verum, & reale fieri producens, exposcere per modum termini primarij effectum verum, & realem; attamen ex hoc non sequitur, quod per modum termini secundarij non valeat terminari ad effectum rationis illum efformando; ab hac ergo productione secundaria intellectus dicitur fingens, & illius intellectio, seu causalitas fictio.

11. Vt ad cõfirmationem respondeamus, nota ex Diuo Thoma, 1.2.q.3.art.1.ad 3. quod intellectus: qui naturaliter cuncta scire desiderat, intendit priuationes, & negationes vt distinctas à proprijs subiectis cognoscere, & ideo illis tribuit aliquam entitatem positiuam rationis, vt ab ipso possint cognosci. Et hæc est prima occasio, seu primus finis, quem habet efformandi entia rationis: secunda, seu secundus est imperfectio nostri intellectus, qui res valde perfectas vnico conceptu cognoscere nequit; & ideo illas in diuersas rationes, seu conceptus diuidit, huiusmodi rationes, seu conceptus ad inuicem referendo, ex quo distinctiones, & relationes rationis necessario oriuntur: tertia, seu tertius dimanat ex fœcunditate nostri intellectus, qui ratione illius ex veris entibus ficta solet conficere.

Quo supposito ad confirmationem respondetur concedendo maiorem, & negando minorem, nam ens rationis habet causam finalem, cum fiat ex aliquo motiuo ex supra relatis, & etiam habet causam formalem indistinctã à propria entitate; ad eum modum, quo causa formalis formæ genitę est ipsa forma genita: & denique habet causam materialem: (nunc sit inhæsionis, vt aliqui volunt: nunc denominationis, vt alij) cum natura generica, quæ solum fundamẽtaliter est genus, denominetur formaliter genus à secunda intentione rationis, quæ genereitas appellatur.

12. Arguitur secundo. Vt intellectus cognoscat obiectum indiget specie impressa in sensibus prius recepta iuxta illud Philosophi: *nihil est intellectu, quod prius non fuerit in sensu*, sed ens rationis nullam habet speciem realem, cum

cum hæc solum deseruiat ad cognitionem entis realis; nec rationis, cum hæc debeat antecedere cognitionem, quam ens rationis nequit antecedere, cum ab illa essentialiter dependeat; ergo ens rationis non potest ab intellectu cognosci.

Respondetur concedendo maiorem, & negãdo minorem, nam sicut actus intellectus realis per se primo respicit cognitionẽ entis realis, & per accidens cognitionem entis rationis; sic species entis realis (nunc sit species fundamẽti, vt aliqui volunt, nunc species entis realis, ad cuius similitudinem fit; vt alij dicunt) per se primo deseruit ad cognitionem entis realis, & per se secundò ad cognitionem entis rationis, ratione similitudinis analogę, quam habet cum fundamento entis rationis, vel cum ente reali, ad cuius similitudinẽ fit. Ita Diuus Thom. 1. p. q. 12. art. 9. non aliter ac species rei materialis deseruit primario ad cognitionem rei materialis, & secundario ad cognitionem rei spiritualis ratione similitudinis analogæ, quam habet res materialis cum spirituali.

13. Replicabis primo: ergo ens rationis, quod nullum habet fundamẽtum, nullam habet speciem propriã, nec alienã. ¶ Respondeo negãdo consequentiam, quoad secundam partem, nã hoc ens rationis, licet non habeat tãtam similitudinem, & proportionem cum ente reali, ac ens rationis in rebus fundatum, tamen aliqualem habet, licet remotam, vt cõstat in proportione reperta in montis, & auri speciebus ad tertiam speciem montis aurei. Et quod hæc proportio sufficiat, vt ab intellectu possit cognosci, cõstat à simili in specie entis materialis, quæ licet minorem proportionẽ habeat cum Deo, quã cum Angelo; tamen pro hoc statu deseruit ad vtriusque cognitionem.

14. Adhuc non quiescis? Spẽcies entis realis repræsentat ens reale, & ens rationis; ergo datur æquiuocatio in mente, sicut in voce, cum ista species repræsentet plura, vt plura, sicut vox *Canis* plura vt plura significat, sed hoc à Thomistica schola non admittitur; ergo species entis realis non repræsentat ens reale, & rationis.

Respondeo negando consequentiam: ad probationem dico æquiuocationẽ non dari per hoc, quod repræsentẽtur plura vt plura, si vnũ repræsentatur directè, & primario, & aliud indirectè, & secundario; sed per hoc, quod æquè repræsententur plura vt plura; vt constat in exemplo ab aduersarijs in obiectione appositio.

15. Iterum replicabis. Si ens rationis fit per intellectionẽ realem; ergo denominatur realiter intellectum, quod est falsum, nã denominatio realis solũ enti reali potest conuenire. ¶ Respõdetur

tur concedendo consequentiam, & negando minorem subsumptã, nã denominatio extrinseca, etiã si realis sit, potest enti rationis iam facto cõuenire, cum nihil intrinsece ponat in illo.

Ex quo colliges rationem entis rationis non consistere in hoc, quod extrinsecè cognoscatur res realiter ac est in se; vel in hoc, quod ens rationis extrinsecè denominetur cognitum, cum ens rationis factum ab homine possit ab Angelo, vel à Deo extrinsecè cognosci, absque eo quod ab illis efficiatur; sed in hoc, quod cognoscatur res aliter ac est in se, vel in hoc, quod cognoscatur per cognitionem quasi productiuã, vel dictiuam, à qua fingatur illud esse methaphoricum, & diminutum.

16. Arguitur tertio. Cognoscibilitas est passio entis realis, sed ens rationis nullum habet esse reale; ergo ens rationis nullã habet cognoscibilitatem. ¶ Respondetur distinguendo maiorẽ, cognoscibilitas est passio entis realis, cognoscibilitas primaria, concedo maiorem: secundaria, nego maiorem, nam ens rationis eo modo quo est; est cognoscibile, seu fundat cognoscibilitatem. Vide quæ dicta sunt, disp. 1. q. 1. §. 13. num. 88.

17. Replicabis. Cognoscibilitas in suo conceptu importat potentialitatem in ordine ad cognitionem actualem, sed ens rationis non habet potentialitatẽ, vt cognoscatur antecedenter ad actualem cognitionem, cum ante illam non sit; ergo ens rationis nec primario, nec secundario est cognoscibile.

18. Vt respondeas, nota primo, quod actio, quæ immediatè est productio entis rationis, potest se habere dupliciter in ordine ad illud, primò, & primario per modum cognitionis productiuæ, vel dictiuæ: secundo, & secundario per modum cognitionis speculatiuę, seu conseruatiuæ: non aliter ac intellectio primario se habet vt dictio, & secundario vt contemplatio verbi mentalis iam producti.

19. Secundò nota vtramq; cognitionem supponere ens rationis vt cognoscibile, nam prima supponit ens rationis in potẽtia; hoc est, cum non repugnantia, vt vt exercitè cognoscatur; nõ aliter ac generatio supponit terminum vt generabilem; secũda verò supponit pro aliquo priori ens rationis factum, seu vt modo practico cognitum à prima cognitione practica, in potentia secũdum quid, vel vt cognoscibile ab speculatiua modo theorico. Vnde omnis cognitio actualis entis rationis supponit illud vt cognoscibile.

In forma ergo respõdetur cõcedendo maiorem, & negando minorem: ad probationẽ distinguo antecedens, ens rationis ante actualem cognitionem non est in potentia, seu in statu possibilitatis,

tatis, nego antecedens: no est in actu, seu in statu existentiæ, concedo antecedens; & nego consequētiam, nam ens rationis, quod est in statu possibilitatis dependēs à fictione possibili, est in potentia, vt actu, & in exercicio cognoscatur modo practico: & viterius hoc ens rationis practicè cognitum est secundum quid in potentia, vt cognoscatur modo speculatiuo.

20. Inquires. An ens rationis ita essentialiter dependeat à fictione actuali, vt illius essentia nec in statu secundum se, possit cōcipi absq; tali fictione? ¶ Respondeo affirmatiuè, nam omne ens rationis in quocumque statu consideretur, dependet à fictione actuali; ita vt nominale depēdeat à fictione actuali nominali, & possibile à possibili, & futurū à futura, & existens ab exercita.

Quod vero ens rationis secundum se depēdeat à fictione actuali, nominali, & signata probatur, nā ens rationis secundum se debet distingui ab ente reali, sed ens reale essentialiter, & secundum se importat esse indepēdens ab intellectu; ergo rationis esse dependens.

21. Dices distingui, quia ens rationis dicit ordinem ad habēdam existentiam depēdenter ab intellectu, quem non dicit ens reale.

Contra est, nam ens rationis non solum per ordinem ad existentiam, sed independenter ab illa; hoc est, in statu secundum se, in quo nullum dicit ordinē ad existētiam debet distingui ab ente reali; ergo per distinctionem à nobis adductam, cum non sit excogitabilis alia.

22. Replicabis. Omnis essentia secundum se præscindit à causa effectiua, solum enim importat prædicata intrinseca, & essentialia, sed fictio nominalis est causalitas causę effectiuæ; ergo ab illa debet præscindere.

Respōdetur distinguendo maiorem: omnis essentia secundum se præscindit à causa effectiua, tanquam à prædicato intrinseco in recto habito, concedo maiorem, tanquam à prædicato extrinsecè connotato, nego maiorem, & concesa minori; & nego consequentiam, nam ens rationis essentialiter connotat intellectum fingentem, tanquam terminū extrinsece connotatum, per quem vltimo constituitur in suo esse specifico: quod nō est speciale in ente rationis, nam actio prædicamentalis, quæ entitas realis est, non potest nec secundum se intelligi absque ordine ad agens, cum eius essentia, prout à passione distincta, consistat in hoc, quod est esse ab agēte: haud aliter in præsenti.

QVAESTIO II.

An denominatio extrinseca sit realis, vel rationis?

§. I.

§. I.

Explicatio tituli, & quæstionis.

1. PRo tituli intelligẽtia nota primo, quod in præsenti nõ loquimur de denominatione prout pertinet ad ordinẽ nominis, quia in hac acceptione denominatio idem est, ac nominatio, seu nominis impositio, in quo sensu omnis denominatio est rationis; sed de illa, prout ad ordinem rerum spectat: in qua acceptione denominatio supponit pro causalitate formæ respectu subiecti, termini, vel obiecti exercita.

2. Nota secundo duplicem esse formarum denominationem; intrinsecam vnam, & extrinsecam aliam: intrinseca est, quæ dimanat à forma media causalitate intrinseca in subiecto intrinsecè denominato exercita: extrinseca est, quę ab eadem forma dimanat media causalitate extrinseca in obiecto, vel termino extrinsecè denominato exercita. Vndè ad rationem formalem denominationis intrinsecæ opus est, quod forma sit intrinsecè in subiecto denominato; at vero ad rationẽ formalem extrinsecæ denominationis non opus est, quod sit intrinsecè in obiecto, vel termino denominato; sed in alio, quod denominat intrinsece.

3. Nota tertio, quod in denominatione extrinseca (sicut in intrinseca) dantur quatuor: videlicet obiectum denominatũ, forma denominans, communicatio formæ ad obiectum, & denique concretum ex subiecto denominato, & ex forma extrinsecè cõmunicata resultans. Explicatur hoc in denominatione visi, vbi paries, est obiectum, vel terminus denominatus, forma denominãs est visio, tendentia formæ in parietem est communicatio extrinseca formæ, & denique visum est concretum resultans.

4. Nota quarto, quod inter cõcreta accidentalia dantur aliqua, quæ ex parte formæ sunt realiter entitatiuè distincta; & alia, quæ solum formaliter expresiuè sunt distincta. Inter hæc non leue versatur discrimen, nam primę exigunt realem formæ distinctionẽ; at verò secundę solum expræsiuam formæ distinctionem. Constat hoc in entitate actionis, quæ vt exprimit expresionem actionis constituit agens; & vt passionis, constituit passum: sic visio, vt dicit expræsionem actionis, cõstituit potentiam videntem, & vt dicit expresionem passionis *secundum dici*, constituit parietem visum absque eo, quod ex parte formæ detur realis, seu entitatiua distinctio.

Notanter dixi *secundum dici*, nam actiones, quæ sunt de genere actionum immanentium (in quo est visio) solum circa potentiam exercent expresionẽ passionis secundum esse.

5. No-

5. Nota quinto, quod concreta accidentalia ab eadem forma dimanantia possunt dici absolutè duo, etiam si ex parte formæ non sint realiter entitatiue duo. ¶ Ratio huius doctrinæ sumitur ex dictis in parua summa libr. 1. c. 19. de appellatione, nu. 11. vbi dixi, quod nomina numeralia adiectiuis applicata solum appellãt supra significatum materiale, illud que tantum multiplicant: vnde hæc propositio: *video duo alba* facit hunc sensum, *video duo subiecta albedinem habentia*, quę propositio esset etiam vera, si eadẽ albedo esset in duobus subiectis.

6. Nota sexto, denominationes extrinsecas esse in duplici differentia, nã aliæ sunt, quæ dimanant à formis, quæ obiecta denominata reali respiciunt tendẽtia; vt denominationes visi, & cogniti; aliæ vero sunt, quæ obiecta denominata nullo reali respiciunt respectu; sed ad summũ rationis; vt denominationes dextræ, vel sinistrę, quę dimanant à manibus animalis nullum realem respectũ dicentibus ad columnam dextrã, vel sinistram denominatam, nam ex eo præcisse, quod homo sit in tali positione, denominatur columna dextra, vel sinistra.

§. II.

Referuntur sententia.

7. PRima sententia in hac re celebris affirmat omnẽ denominationem extrinsecam esse ens rationis. Ita Rubio, tract. de ente rationis, q. 2. Arauxo lib. 3. met. q. 1. a. 1. & a. 2. cõcl. 1. Collegium Complutense in præsenti, Scotus in 1. distin. 36. q. 2. Vazq. to. 1. in 1. p. disp. 114. & alij quã plurimi ex nostra familia.

8. Secũda asserit denominationẽ extrinsecam ab actibus rationis dimanantem esse aliquid rationis; denominationem verò ab actibus aliarum potentiarũ prouenientem esse aliquid reale. Ita Durandus in 1. dist. 19. q. 5. ar. 1.

9. Tertia tenet omnem denominationem extrinsecam esse aliquid reale. Ita Suarez disput. 54. sect. 2. Petrus à Iesu, aliàs Serna, disp. 1. sect. 4. art. 2. & ex nostra familia aliqui doctissimi.

10. Quarta docet denominationẽ extrinsecã in obiectis, ab actibus, vel formis cum obiectis aliquam connexionem, vel respectũ realem dicentibus dimanantẽ esse realem; denominationem vero in obiectis resultantẽ ex formis, vel ex rebus nullam connexionẽ, vel respectum realem cum obiectis exprimentibus esse rationis. Hæc quoad primam partẽ à tertia non distinguitur, & quoad secundam deducitur ex rationib⁹, quibus tertia suam probat cõclusionẽ: & ideo in fauorẽ huius sit.

§. III.

Prima conclusio.

11. Denominatio extrinseca

dimanans à forma, quæ realem dicit respectum ad obiectum, vel terminum est formaliter realis.

Pro conclusionis intelligentia notãdum venit effectũ formæ nõ distingui ab ipsa forma subiecto communicata: vnde communicatio, quæ est causalitas, vel actus secundus formæ est illi indispensabilis, vt subiecto propriam tribuat perfectionem, denominationẽ, vel effectum. Constat hoc in forma intrinseca v. g. *in albedine*, quæ subiecto propriã non tribuit perfectionem, vsque dum illi per inhærentiam intrinsecam communicetur: sic vt denominatio extrinseca in obiecto resultet, opus est, quod forma obiecto, vel termino sit communicata per causalitatẽ extrinsecam, vel per actum secundum extrinsecum, qui consistit in respectu transcendentali, seu prædicamentali, quo forma existens intrinsecè in subiecto terminum, vel obiectum respicit. Et quod iste respectus sit communicatio, causalitas, exercitium, & actus secundus formæ extrinsecè denominantis, vt extrinsecè denominet, ab omnibus Doctoribꝰ tertiæ sententiæ admittitur, & probatur hæc doctrina. Nam si *visio v. g.* non respiceret *parietem hunc, v. g.* illum non denominaret extrinsecè visum, etiam si visio sit forma, quæ extrinsecè posset illũ denominare visum; ergo respectꝰ transcẽdentalis visionis est ei indispensabilis per modum actus secundi, exercitij, seu causalitatis, vt parieti extrinsecum præstet effectum.

12. Quo supposito primo probatur cõclusio ratione fundamẽtali. Tunc effectus formæ est realis, quando forma est realis, & exercitiũ, seu cõmunicatiõ formæ est etiã realis, sed in denominatione extrinseca dimanante à forma realiter rendente non solum forma est realis (vt aduersarij admittunt) sed etiam exercitium, seu communicatio formæ est realis, cum communicatio sit realis tendentia formæ in obiectum, vel terminum; ergo denominatio extrinseca sumpta à forma, quæ realem dicit respectum, est realis formaliter.

13. Secundo probatur ratione efficaci. Implicat potentiam esse realiter, & formaliter videntem, & obiectum nõ esse realiter, & formaliter visum, sed potentiã esse videntem non fingitur ab intellectu; ergo nec obiectum esse visum, cum vterquè effectus possit à potentia visiua irrationali, à qua nihil fingitur, prouenire. Maior probatur, nam quãdo potentia realiter, & formaliter videt, aliquid realiter, & formaliter videt, sed illud aliquid, quod realiter, & formaliter videt, dicitur realiter, & formaliter visum: aliàs passio actioni non corresponderet; ergo obiectum esse formaliter visum est aliquid reale.

14. Tertio probatur cõclusio.

Quod

Quod forma intrinsecè non sit in subiecto, non obstat ad hoc, vt realiter formaliter possit denominare; ergo denominatio extrinseca realis formaliter potest dimanare à forma in obiecto, vel termino in quo intrinseca nō est. Antecedens probatur, calefactio non est intrinseca, sed extrinseca igni; & tamen denominat ignem realiter, & formaliter calefacientem, cum fiatè non calefaciat, ridiculum enim esset affirmare ignem realiter, & formaliter non calefacere lignum; ergo ex eo, quod forma non sit intrinsecè in obiecto extrinsecè denominato, non sequitur, quod non valeat illud formaliter, & realiter denominare.

15. Huic difficili rationi communiter respondent aduersarij prædictam denominationem esse realem, quia licet calefactio intrinseca non sit in igne; tamen ab illo intrinsecè dimanat: at vero *visio, v.g.* nec est in pariete, nec ab illo intrinsecè dimanat.

Sed cōtra est ergo ad denominationem realem formaliter extrinsecam non est opus, quod forma sit intrinsecè in re denominata, quod est nostræ rationis intentum.

16. Quarto probatur conclusio. Ex eo (in opinione contrariorum) denominatio extrinseca nō datur formaliter, sed solum fundamentaliter à parte rei, quia ad hoc est opus, quod forma denominans intelligatur vt intrinsecè afficiens subiectum, vel obiectum denominatum, sed forma intrinsecè afficiens obiectum, vel subiectum non causat denominationem formalem extrinsecam, sed formalem intrinsecam, vtique quia aduersarij cum communi sententia docent denominationem extrinsecam distingui ab intrinseca in hoc, quod hæc, & non illa dimanat à forma intrinsecè in subiecto recepta; ergo denominatio, quam vt rationis assignant, non est extrinseca: (de qua in præsenti) licet sit intrinseca in extrinseca fundata.

17. Dices denominationem extrinsecam non esse formalem, vsque dum forma extrinseca intelligatur vt intrinseca obiecto cōmunicata.

Sed contra est, nam ly *formalem*, seu *formaliter* debet sumi intra limites denominationis extrinsecæ: aliàs non erit formaliter denominatio extrinseca, sed intrinseca: vnde Auctores contrariæ sententiæ non respondent quæsito, dum in titulo inquirunt, an denominatio extrinseca sit realis, vel rationis, & in conclusione respondent esse rationis, quia formaliter dimanat à forma per rationem intrinsecè termino denominato communicata, denominatio enim, quæ ab illis vt rationis assignatur, non est extrinseca, sed intrinseca, de qua in præsenti non disputamus.

(.·.)

§. IV.

Secunda conclusio.

18. DEnominatio extrinseca, quæ dimanat à forma, quæ nullum dicit ordinem realē ad rem denominatam nō est realis, sed rationis. Hæc est in gratiam quartæ sententiæ, & his terminis à nullo defenditur Doctore; licet consequenter debeat ab auctoribus tertiæ patrocinari. Constat hæc nostra conclusio ex dictis in notabilibus, & etiam ex ratione prima primæ conclusionis, & nunc iterum probatur.

Vt effectus sit realis, opus est, quod communicatio, seu exercitium formæ realis sit reale, sed forma, quæ nullum respectum dicit ad entitatem denominatam, nullam habet realem communicationem; ergo denominatio ex tali forma dimanans est rationis. Probatur minor, talis forma non habet vnionem realem intrinsecam, nec extrinsecam cum termino denominato, cum *manus hominis, v. g.* à qua columna dicitur dextra, vel sinistra, non sit intrinsecè in columna denominata, nec habet vnionem extrinsecam, seu tendentiam realem ad columnam extrinsecè denominatam; ergo denominatio extrinseca dimanās à forma, quod nullum dicit respectum realem ad rem denominatam, non est realis; ergo necessarium est, quod ab intellectu fingatur tendentia manus ad columnam, vt possit ab illa denominationes extrinsecas dextræ, vel sinistræ accipere.

Confirmatur, si visio ad parietem non esset ordinata, paries realiter non esset visus, sed manus *animalis, v.g.* realiter non respicit columnam; ergo ab illa non denominatur columna realiter dextra, vel sinistra.

19. Ex quo colliges, quod ad hoc, vt detur denominatio extrinseca rationis formaliter à forma reali realiter non ordinata, non est opus, quod forma per rationem apprehendatur vt intrinsecè recepta in obiecto denominato (vt tenent aduersarij) sed sat est, quod per rationem apprehēdatur, vt tendens in obiectum denominatum, hoc enim solum est necessarium ad denominationem extrinsecam formalē, vt ab intrinseca condistinctam.

§. V.

Aliquæ obiectiones.

20. OBijcies primo. *Paries, v. g.* nō dicitur extrinsecè visus ab actione, quę tēdit ad parietem; ergo ab alia forma ab intellectu ficta. Antecedēs probatur, visio vt tendens ad parietem formaliter exprimit formalitatē actionis, sed visio vt actio non denominat parietem visum, cum de-

denominatio visi non sit agere, sed pati; ergo paries non dicitur extrinsecè visus à visione, quę tendit in parietem.

Respondetur distinguendo antecedens, non est formaliter visus ab actione, vt exprimit formalitatem actionis, concedo antecedēs, ab actione, vt exprimit formalitatem passionis secūdum dici, nego antecedēs: ad probationem distinguo maiorem, visio vt tendens exprimit formalitatem actionis, tantū, nego maiorē, actionis, & passionis secundū dici, simul cōcedo maiorem, & minorem; & nego cōsequentiam, nam in actione tendente datur vtraque formalitas, actionis, quatenus est tēdentia egrediens; passionis secundum dici, quatenus tendentia terminatur ab obiecto denominato: vnde denominatio extrinseca non sumitur à tēdentia secundum quod est egrediens, secundum quam rationem exprimit formalitatē actionis; sed secundum quod ab obiecto terminatur, secundum quam rationem exprimit formalitatem passionis secundum dici.

21. Obijcies secūdo, est què præcedentis obiectionis replica. Visio vt exprimit formalitatē passionis secundum dici, vel vt tribuit parieti visi denominationē, est forma accidentalis realē exigens inhærentiam, sed realiter nō inhæret; ergo per rationem. Minor probatur: hæc forma non inhæret realiter in potentia, cum ei non tribuat visę denominationē, implicatorium enim est, quod forma intrinsecè sit in aliquo subiecto, & quod ei non tribuat realem denominationem, nec etiam in obiecto, cum realiter obiecto non sit vnita; ergo talis forma realiter non inhæret.

22. Hæc obiectio ab aduersarijs debet solui, nam in eorū opinione forma tribuens denominationem extrinsecam fundamentalem realis est, quanuis communicatio sit rationis. De hac ergo forma idem argumentum potest efformari.

Pro omnibus ergo respondeo distinguendo maiorem, realē petit inhærētiam ad denominationem intrinsecam, concedo maiorem, ad extrinsecam iterum sub distinguo maiorem, ad extrinsecam petit inhærentiam transcendentaliter, & quia accidens est, concedo maiorem, formaliter, & quia talis forma est, nego maiorem, & minorem: ad probationē nego antecedens quoad primam partem, nam multoties forma nō tribuit omnem denominationē, quam præhabet subiecto propter subiecti incapacitatem; vt cōstat in anima rationali in manu existente; & in actione in passo recepta.

23. Replicabis, ergo secundum formalitatem, secundum quam tribuit visi denominationem, nec est in subiecto, nec exprimit ordinem ab subiectum.

Respondeo negando consequen-

quentiam quoad primam partē, & concedendo illam quoad secūdam, nam in prima appellatio cadit supra entitatem materialem formæ, quæ quia accidens, exigit subiectum; in secūda vero appellatio cadit supra formalitatē formæ denominantis, quæ expresse non exprimit ordinem ad subiectum; sed ad terminum, vel obiectum; non ergo implicat, quod forma accidentalis secundum aliquam formalitatem non exprimat ordinē ad subiectum; dummodo entitative, & materialiter sit in illo. Constat hoc in relatione, quæ vt talis non dicit ordinē ad subiectum, sed ad terminum; & in actione, quæ vt talis nō petit esse *in*, sed esse *ab*.

§. VI.

Argumenta contrariorum.

24. PRimum sic se habet. Per istam propositionē: *Deus est dilectus*. Aliquid significatur, quod non significatur per istam, *voluntas est diligens*, sed hoc aliquid, quod significatur, non datur à parte rei; ergo denominatio extrinseca dilecti, quæ significatur per hanc *Deus est dilectus*, est aliquid rationis.

Respondetur distinguēdo maiorē, aliquid significatur formaliter, expresiue distinctum, concedo maiorem, realiter entitatiuè distinctum, nego maiorem, & minorem, nam per primam de-

formali significatur dilectio vt egrediens, & per secundam etiam eadem dilectio, vt ab obiecto dilecto terminata.

25 Secundum. Si ex forma extrinsecè denominante, & ex obiecto denominato resultat aliquid reale; ergo ex cognitione diuina extrinsecè denominante, & ex obiecto creato extrinsecè denominato resultat aliquid reale, hoc implicat; ergo illud, ex quo sequitur. Minor probatur, quod resultat, vel est creatū, vel increatum; neutrum potest dici, quia ad inuicem se excludunt; ergo ex cognitione diuina extrinsecè denominante, & ex obiecto creato extrinsece cognito, seu denominato non resultat aliquid reale.

Respondetur concedendo antecedens, & distinguendo consequens, ex obiecto creato, & ex forma increata extrinsecè denominante resultat aliquid reale, intrinsecum, nego consequētiam, extrinsecum, concedo consequētiam: ad probationem dico concretum resultans esse increatum ex parte formæ, & creatum ex parte materiæ denominata; nullum nāque inuenio incōueniēs in hoc, quod ex re creata, & increata resultet concretum extrinsecum, si enim in opinione contrariorum non datur in hoc, quod resultet ex ente reali, & rationis, quare dabitur in hoc, quod resultet ex ente creato, & increato? sicut enim inter ens creatum & increa-

in creatum datur distantia immensa; sic inter ens reale, & rationis.

¶ Potest que hoc argumentum instari, nam si in contrariorum opinione ex cognitione increata Dei, & obiecto creato extrinsece cognito resultat saltim fundamentaliter hoc concretum cognitum absque aliqua repugnātia, quare dabitur in hoc, quod idem concretum in sensu resultet formali?

26. Tertium. Tendentia actionis in obiectum est sufficiens fundamentum, vt intellectus concipiat actionem, v. g. *visionem*, vt intrinsecam parieti, sed talis conceptio est fictio ex parte actus, & ens rationis ex parte obiecti; ergo denominatio extrinseca est aliquid rationis.

Respondetur concedendo maiorem, & minorem, & negando consequentiam, nam antecedēter ad talem fictionem datur denominatio extrinseca formaliter, quæ est huius entis rationis fundamentum.

27. Quartum. Præcisè per hoc, quod visio tēdat in obiectum resultant ex illa duo concreta, scilicet videns, & visum, sed multiplicatio concretorum exigit formarum multiplicationem, alias non duplex, sed vnum esset concretum; ergo forma, quæ constituit secundum, scilicet visum, est rationis. Consequentia probatur, forma, quæ constituit hoc cōcretum *visum*, est distincta à forma, quæ constituit primum, scilicet *videns*, sed forma huius concreti est realis, scilicet visio; ergo alterius, est rationis; vel si non est rationis, assigna illam vt à visione realiter distinctam.

Respōdetur iuxta dicta in notabilibus absolutè concedendo maiorem, vel illam distinguendo claritatis gratia: sunt duo concreta, ex parte subiecti, concedo maiorem, ex parte formæ, iterum sub distinguo maiorem, sunt duo, formaliter expressiuè, concedo maiorem, realiter entitatiuè, nego maiorem; & distinguo minorem, multiplicatio concretorum exigit multiplicationem formarum, in concretis substantiuis, concedo minorem, in adiectiuis, nego minorem, & consequentiā, nam videns, & visum non sunt substantiua, sed adiectiua; vt ex se constat, sicut agens, & patiens, in quibus realis formarum distinctio non datur; sed ad summum expressiuè: sub quibus autem expressionibus visionis forma hæc duo constituat concreta, constat ex dictis in discursu quæstionis.

QVÆSTIO III.

Vtrum efformatio entis rationis intellectui repugnet diuino?

§. I.

1. PRima non solum relegat à Deo efficientiam; sed & cognitionem entis rationis. Ita sub-

subtilissimus Vazquez tom. 1. in 1. par. disp. 118. cap. 4.

2 Secunda ex diametro opposita intellectui concedit diuino nedum cognitionem, sed etiam efficientiam entis rationis. Ita Scotus, in 1. dist. 36. quæst. 1. Durandus, Henricus, Torres, 1. p. quæst. 28. art. 1. Fonseca, 4. met. cap. 146. sect. 14. Arauxo lib. 3. met. quæst. 1. art. 3. concl. 1. Aluelda 1. par. quæst. 15. art. 2. & Didacus à Iesu in præsenti.

3. Tertia intellectui diuino denegat vt repugnantem efficientiam entis rationis, eique concedit illius cognitionem. Ita Caietanus 1. p. q. 15. art. 1. Capræolus in 1. dist. 8. quæst 4. Suarez 2. met. disp. 54. sect. 2. Hurtado disp. 2. met. sect. 2. Rubio tract. de natura entis rationis num. 27. Ioânes à Sancto Thoma quæst. 18. art. 2. dub. 1. in cuius gratiam sit.

§. II.

Prima conclusio.

4. INtellectus diuinus perfectissimè entia rationis cognoscit. Est contra Patrem Vazquez. Et constat illius veritas ex Diuo Thoma 1. part. quæst. 14. art. 9. in corp. vbi quærens, *an Deus cognoscat non entia*, respondet affirmatiuè, & docet *Deum cognoscere quidquid imaginabile est à quolibet intellectu inferiori*; ergo secùndum Diuum Thomam Deus cognoscit entia imaginabilia ab intellectu humano; ergo entia rationis ab ipso imaginabilia.

5. Et probatur ratione intellectus diuinus cognoscit cognitione comprehensiua omnes actus intellectus humani tam in communi, quâ in particulari; nedum vt sunt cognitiones entis realis; sed etiam vt sunt fictiones entis rationis: aliàs illos cognitione comprehensiua nó cognosceret, cum hæc secundum mentem Doctoris Sancti non solum exposcat totius obiecti cognitionem; sed etiam quod obiectum totaliter cognoscatur, id est, omnibus modis quibus potit cognosci, sed actus nequeunt comprehensiuè cognosci absq; eo, quod illorum obiecta cognoscantur; cum actus essentialiter sint ad obiecta ordinati: ergo intellectus diuinus cõprehensiuè, seu totaliter cognoscẽs actus intellectus humani, cognoscit nedum ens reale, quod est cognitionis obiectum; sed etiam ens rationis, quod est fictionis obiectum.

Confirmatur. Deus comprehendit capacitatem nostri intellectus, actionẽ, qua fingimus ens rationis, & speciẽ expressam ens rationis repræsentantem; ergo cognoscit etiam ipsum ens rationis. Probo consequentiam, non potest comprehendi potentia factiua entis rationis, actio factiua eius, similitudo expressa obiectũ formaliter repræsentans, quin cognoscatur ens rationis vt factibile, vt factum, & vt repræsentatũ;

ergo

ergo Deus cognoscit ens rationis vt factibile ab intellectu nostro, vt factum ab intellectione nostra, & vt repræsentatum ab specie expressa.

6. Primo respõdet Pater Vazquez intellectum diuinum cognoscere nostrum intellectum, & actionem illius quantum ad perfectiones in eis repertas, secº verò quantum ad imperfectiones. ¶ Sed hæc solutio facile euanescit, nam intellectus diuinus non ignorat imperfectiones omnes nostri intellectus; ni dicas Deum illum non comprehendere.

7. Secundo respondet intellectum diuinum nõ cognoscere ens rationis, quod est obiectum secũdarium nostri intellectus; sed solum ens reale, quod se habet vt obiectum primarium illius. ¶ Sed contra est primo, nam licet intellectus creatus per se primò non cõnectatur ordine primario cum entibus rationis, sed cum realibus; tamen per se secundo cum illis cõnectitur; ergo intellectus, qui comprehensiuè illum cognoscit, necessario debet illum cognoscere, ne dum in ordine ad obiectum primarium, sed etiam in ordine ad secundarium: alias illum non comprehenderet, vt cõstat in Omnipotentia diuina, quæ non comprehenditur, vsque dum cognoscantur omnia possibilia, etiam si solum sint obiecta secundaria Omnipotentiæ.

Secundo. Actus intellectus creati, qui est fictio entis rationis, non solum est imago entis realis, sed etiam entis rationis, sed quia est imago entis realis, non potest non respicere ens reale; vtique quia imago naturalis, qualis est actus, essentialiter respicit repræsentatum; ergo quia vel est saltim imago entis rationis, non potest non illud respicere. ¶ Tertio. Species expressa entis rationis (in meliori opinione) per se primo est imago entis rationis, & ad illud ordinatur tãquam ad obiectum primarium; ergo in illa intellectus diuinus cognoscit ens rationis per se primo repræsentatum.

8. Secundo probatur conclusio ad hominem contra Patrẽ Vazquez, nam in opinione huius Doctoris peccatum pro formali est ens rationis, sed Deus cognitione certa infallibili, & vndequaq; perfecta cognoscit actº obliquos voluntatis creatæ; ergo & entia rationis. Denique argumentum potest fieri de bonitate morali actuum, quæ in ipsius opinione etiam est de formali, ens rationis.

9. Tertio probatur. Intellectus diuinus infinito, & perfectissimo modo intelligit quidquid noster intellectus intelligit finito, & imperfecto modo, at intellectus humanus intelligit essentiã, & passiones entis rationis; ergo etiam diuinus; vtique quia intelligere quamcumque rem etiam imperfectissimam est perfectio Deo nõ deneganda.

§. III.

Secunda conclusio.

9. AD ens rationis valet terminari actio purè speculatiua. Pro captu nostræ conclusionis nota duplicem actionem posse versari circa ens rationis; contemplatiuam vnam, & practicam aliam. Contemplatiua est illa, quæ speculatiuè versatur circa naturam, & passiones entis rationis factibilis ab intellectu alieno, ex vi cuius intellectionis ens rationis non accipit esse, nec existentiam. Cognitio practica est illa, quæ non sistit in speculatione entis rationis; sed transit ad communicandum illi esse, seu existentiam.

Explicatur hæc duplex cognitio in scientia Dei, quæ iuxta mentem Doctoris Sancti 1. par. quæs. 14. art. 8. in corpore est causa rerum; & tamen diuiditur in scientiam simplicis intelligentiæ, seu speculatiuam, & in scientiam visionis, seu practicam. Prima scilicet simplicis intelligentiæ non creat rerum existentiam, sed solum secunda, seu visionis: haud aliter in præsenti, scientia speculatiua entis rationis in Deo reperitur; attamen practica solum in creatura. Et ne mittam' manum in messem alienam accipe exemplum Logicum, nam Logica diuiditur in docentem, & vtentem; & tamen vt docens non conficit, sed solum contemplatur entis rationis, seu modi sciendi essentiam; at verò vt vtens illud absque cõtemplatione construit: ecce qualiter in vno diuisionis membro datur contemplatio, & in alio operatio modi sciendi; ergo aliud est contemplari ens rationis, & aliud facere.

10. Ratione probatur primô conclusio. Existentia entis rationis (in meliori Doctorum opinione) nõ spectat ad essentiam entis rationis, sed omnis res valet intelligi sine formalitate, quæ non spectat ad illius essentiam; vt videre est in existentia entis realis, & in alijs pluribus exemplis; ergo essentia entis rationis valet intelligi absque ipsius existẽtia: atqui nulla actio practica respicit essentiam rei sine existentia; ergo actio, quæ cognoscit essentiã entis rationis sine ipsius existentia, est tantum speculatiua; ergo ad ens rationis valet terminari actio purè speculatiua.

Secundo probatur ratione efficaci. Si omnis cognitio entis rationis tribueret illi existentiam, sequeretur quod ens rationis necessario, & ab æterno existeret, hoc est plusquam falsum: tũ quia solus Deus necessario, & ab æterno existit: tum quia Deus nõ necessitatur ad productionem alicuius creaturæ; ergo & illud ex quo sequitur. Sequela constat ex prima conclusione, nam Deus nõ potest cognoscere entia rationis, quin illa ab æterno, & necessario

cog-

cognoscat, cum non possit Deus non cognoscere ea, quæ ab ipso cognoscuntur; ergo si Deus necessario cognoscit ens rationis, & omnis cognitio entis rationis tribuit illi existentiam, sequitur manifeste, quod ab æterno, & necessario existat.

§. IV.

Tertia conclusio.

12. EFformatio entis rationis intellectui repugnat diuino. Est in gratiam tertiæ sententiæ. Et probatur primo ex Diuo Patre nostro Bernard. 5. de consideratione ad Eugeniũ, cap. 13. vbi sic fatur. *Entia aut distinctiones rationis, quas de Deo efformamus esse, quia videmus in ænigmate, & per speculum, quas dicimus non esse in nobis futuras, quando cum videbimus sicuti est*; ergo ex mente Patris nostri Bernardi ideo entia rationis efformantur à nostro intellectu, quia non videt res, sicuti sunt, sed intellectus diuinus omnia videt sicuti sunt, cũ ei' oculis omnia sint nuda, & aperta; ergo efformatio entis rationis Deo repugnat.

13. Secundo probatur ratione communi, in efformatione entis rationis absque dubio datur aliquod figmentum, vtique quia secundum Diuum Thomã opusc. 42. in corp. & 1. par. quæst. 16. ar. 3. ad 2. & alibi. tunc fit ens rationis, quando fingitur ad modum entis id, quod non est ens, sed figmentum diuinæ repugnat perfectioni; ergo & entis rationis efformatio.

14. Tertio probatur ratione non despicienda. Admisso, & non concesso, quod in ente rationis nullum interueniret figmentum, adhuc illius efformatio repugnaret Deo: quod sic ostendo, distinctio rationis, quæ est rationis ad Logicum spectans non valet à Deo efformari; ergo nec alia rationis entia. Cõsequentia est certa, cum non detur maior ratio in vno, quam in alio: antecedens probatur, distinctio rationis tũc datur, quando intelligitur vt distinctum id, quod in re est indistinctum, sed perfectioni diuinæ repugnat intelligere vt distinctum id, quod in re est vnũ, cum à Deo debeant intelligi res creatæ cum modo intelligendi magis perfecto, vel ad minus cum modo intelligendi æquè perfecto ac ipsæ res sunt in se; ergo distinctio rationis non valet à Deo efformari: ni dicas distinctionẽ vnitate esse perfectiorem.

15. Nec valet dicere, quod hęc distinctio non se tenet ex parte modi cõcipiendi; sed ex parte rei conceptæ, & sic non ponere imperfectionem in Deo concipiẽte, sed in re concepta. ¶ Non (inquam) valet nam distinctio formalis rationis in obiecto necessario infert distinctionem formalẽ in conceptibus: quare opus est, quod diuersis cõceptibus formalib' percipiatur idem obiectum,

vt distinctio formalis rationis valeat ab ipsis causari in rebus conceptis.

16. Nec satis est dicere hanc formalem conceptuum multiplicitatem ad distinctionem rationis causandam non esse necessariam in Deo ob suam eminétiam; sed solum in creatura ob suam limitationem. ¶ Non (inquam) satis, nam distinctio formalis rationis ita necessario exigit multitudinem conceptuum, ac discursus; sed discursus essentialiter exposcit distinctionem formalem conceptuum, ob quam rationem Deo repugnat; ergo distinctio essentialiter etiam exigit multitudinem formalem conceptuum Deo repugnantem. Probo consequentiam, ex eo discursus non valet intelligi absque multitudine conceptuum, quia discursus est de vno cognoscendo ad aliud cognoscendum cursus, sed distinctio rationis essentialiter importat cognitionem vnius extremi sine alterius extremi cognitione; ergo potiori iure distinctio rationis, quam discursus exigit formalem cõceptuum distinctionem.

17. Ex his sequitur cum Diuo Thom. 1. part. quæst. 43. art. 4. ad vltimum intellectum diuinum nõ formare distinctionem rationis inter diuina attributa, nec inter illa, & essentiam diuinam, nã intellectus diuinus, vt infinitus, & purus actus essentialiter, & necessario intelligit essentiam, & attributa cum eadem perfectione ac sunt in se, sed in se habent simplicem vnitatem; ergo in intellectu diuino eandem possidét vnitatẽ: ni dicas intellectum diuinum imperfectiorem esse essentia diuina, & attributis diuinis.

18. Quarto probatur conclusio ratione speciali. Si intellectus diuinus entia rationis posset efformare, testimonium Dei nõ esset infallibile, & verax, sed hoc Deo repugnat; ergo id, ex quo sequitur. Sequela probatur secũdum D. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 1. vt testimonium Dei sit verax, opus est, quod Deus non possit fallere, nec falli, sed si entia rationis efformaret, posset fallere, & falli; ergo si intellectus diuinus entia rationis posset efformare testimonium Dei non esset infallibile, & verax. Prima pars minoris constat ex secunda: secunda probatur, veritas in cognoscendo, vel cognitionis veritas consistit in conformitate actus cum obiecto vt est in se; sicut falsitas in deformitate actus cũ obiecto prout est in se; vt docet Anselm. in dialogo de veritate, cap. 3. *Si ergo vera, & recta est cogitatio non ob aliud, quam quia putat vt esse, quod est, aut non esse, quod non est: non est aliud eius veritas, quam rectitudo*, sed cognitio effectiua entis rationis non haberet conformitatem cum obiecto prout est in se, cum cognosceret relationem in re absoluta, in qua non est relatio, & distinctionem in rebus iden-

identificatis, in quibus nō est distinctio; ergo ex cognitione effectiua entis rationis sequitur Deū posse falli, quod veritati in cognoscendo repugnat.

Confirmatur, & explicatur hęc ratio, nā vt cōstat ex Diuo Thoma locis supra citatis, tunc efficitur ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere quod non est ens, ac si esset ens: id est, quando apprehendit, ne dum ex parte modi cōcipiēdi; sed ex parte rei conceptæ id, quod non est distinctum, vt distinctum; vel id quod est absolutū, vt relatiuum; vel id, quod est priuatio entis, vt ens, sed hoc est falli; cum sit non conformari cum obiecto prout est in se; ergo si Deus efformare posset entia rationis, posset falli; & consequenter fallere, quod implicat; ergo non potest efformare entia rationis.

19. Si dicas, Deum non falli in cognitione entis rationis, quia non procedit iudicando rem esse aliter ac est in se, in quo nō datur fallatia, nec falsitas, iuxta illud Philosophi. *Abstrahentium non est mendacium.* ¶ Contra est primo; nam primæ veritati in cognoscendo repugnat, nedum iudicare; sed apprehendere rem aliter ac est in se; ergo solutio nulla. Probo antecedens, primæ veritati in dicendo repugnat dicere quomodocumque sit etiam per modum simplicitatis rem aliter ac est in apprehensione; vtique quia ex se, vt talis est, exigit conformari cum obiecto prout est in mente loquentis; ergo primæ veritati in cognoscendo repugnat cognoscere adhuc per modū apprehensionis obiectum aliter ac est in se: tum quia hæc veritas in cognoscendo, vt talis exigit conformari cum obiecto prout est in se: tum quia Deus non minus est verax in cognoscendo, quam in dicendo. ¶ Contra est secundo, nam ex eo Thomistæ cum ferè omnibus Logicis asserunt necessariam esse Logicam ad primā intellectus operationem; quia in illa valet dari falsitas per modum apprehensionis, quæ consistit in hoc, quod apprehēdatur res alio modo ac est; ergo si Deus valet apprehendere rem aliter ac est in se, valet falli.

20. Dices: quod obiectū cognoscatur aliter ac est in se, nō est imperfectio intellectus cognoscentis; sed obiecti cogniti; sicut nō est imperfectio intellectus diuini, quod futurum conditionatum, de quo Deus nihil decreuit, non appareat Deo, vt infallibile physicè; sed solum moraliter: hęc enim imperfectio solum cadit supra futurum cognitum; non vero supra cognitionem Dei.

Sed contra est, nam futurum conditionatum, de quo Deus nihil determinatè decreuit, nō habet nisi euidentiam moralem, vel conditionalem: & sic cognoscēdo in illo hanc euidentiam, cognoscit illud vt est in se; & vt petit cognosci, in quo nulla datur im-

per-

perfectio ex parte cognoscentis, at vero quod obiectum cognoscatur aliter ac est in se, est cognoscentis imperfectio, quia obiectum solum petit cognosci, vt est, cum cognoscibilitas sit proprietas non in non esse; sed in esse obiecti fundata.

§. V.

Obijciuntur aliqua contra conclusionem.

21. OBijcies primo. Intellectus diuinus est infinitus in causando; ergo potest entia rationis efformare. ¶ Respondetur negando consequentiam, nã ens rationis est veracitati diuinæ oppositum, & ideo nequit ab intellectu diuino efformari, etiam si sit infinitus in causando: non aliter ac voluntas diuina nequit actus peccaminosos elicere, etiam si sit infinita, quia sunt bonitati diuinæ oppositi, productio enim defectus, non est potentia, sed impotentia, vt eleganter docet noster Anselm. Auscultà illũ, in prosologio, cap. 7. vbi hæc habet verba. *Sed & Omnipotens, quomodo est, si omnia non potest? aut si non potest corrumpi, nec mentiri, nec facere verum esse falsum, aut quod factum est, non esse factum; quomodo potest omnia? an hæc posse, non est potentia, sed impotentia?* & paulo post concludit *qui ergo sic potest non potentia potest, sed impotentia.*

22. Obijcies secundo. De ratione cognitionis comprehẽsiuæ est, quod obiectum cognoscatur omnibus modis, quibus est cognoscibile, sed cognitio Dei est comprehensiua; ergo cognoscit obiectum reale, nedum est in se; sed etiam aliter ac est in se, cum vt sic sit cognoscibile.

Primo probabiliter respõdẽt aliqui distinguendo maiorem, de ratione cognitionis comprehensiuæ est, quod obiectum cognoscatur omnibus modis, quibus est cognoscibile absolutè, & simpliciter, vel secundum se, negant maiorem, quibus est cognoscibile respectu cognitionis infinitæ, concedunt maiorem: vel iterum distinguunt maiorem, dummodo cognoscibilitas obiecti non exigat imperfectionem in fieri comprehensiuo, concedunt maiorẽ, si exigit imperfectionem, negãt maiorem, & concedunt minorẽ, & negant cõsequentiam, nam de ratione cognitionis infinitæ solum est, quod cognoscatur obiectum omnibus modis, quibus fũdat cognoscibilitatem cognitioni infinitæ non repugnantẽ: aliàs obiectum creatũ deberet à Deo cognosci cognitione discursiua: cum vt sic etiam sit absolutè, & secundum se cognoscibile.

23. Sed hæc solutio est petitio principij, quia non assignat rationem, quare obiectum cognoscibile aliter ac est in se, non fundet cognoscibilitatem respectu infinitæ cognitionis. ¶ Vnde secundò, & forsan melius respondetur

detur distinguendo maiorem, de ratione cognitionis comprehensiuæ est, quod obiectum cognoscatur omnibus modis, quibus est cognoscibile; ideſt, quibus potest ab omni intellectu cognosci, nego maiorem, ideſt, quibus petit cognosci, concedo maiorem, & minorem; & nego consequentiam, nam obiectum non fundat cognoscibilitatem, vt cognoscatur aliter ac est in se, cum obiectum solum sit id, quod est; non verò quod non est: & ideo solum exigit cognosci secundum quod est; non vero secundum quod nõ est: tum quia cognoscibilitas sequitur ad esse: tum quia nulla res exigit cognosci vt alia.

Ex quo infero quod obiectum cognosci aliter ac est in se, non dimanat ex exigẽtia obiecti; sed ex imperfectione nostri intellectus aliter non valentis obiectum cognoscere.

24. Obijcies tertio. Ens rationis petit cognosci cognitione speculatiua, & practica; ergo à cognitione comprehensiua Dei debet omnibus his modis cognosci. ¶ Respondetur negando antecedẽs quoad secundam partem respectu cognitionis diuinę, nam ens rationis non fundat cognoscibilitatem practicam respectu illius; sed solum respectu cognitionis creatæ, & defectuosæ propter tationem allatam: nõ aliter ac ens reale, vt per discursum cognoscibile non fundat cognoscibilitatem practicam; sed solum speculatiuam respectu cognitionis infinitæ: & non aliter ac peccatum non fundat cognoscibilitatem practicam; sed solum speculatiuam respectu intellectus diuini; licet respectu intellectus creati, tam discursus, quam peccatum valeant illius terminare operationem practicã. ¶ Et vt solutionẽ penetres, nota, quod ens rationis potest bifariè accipi, vel per ordinẽ ad nostrum intellectum, hoc est, vt ab illo factum; vel antequam ab illo sit factum, vt habens esse fundamentale in entitate reali: in prima acceptione non exigit cognitionẽ practicam intellectus diuini, cũ id, quod semel est factum, nõ exposcat iterũ fieri; in secunda vero acceptione etiam non exigit cognitionem immediatam, cum fundamentum, à quo in hac acceptione non distinguitur, non exigat cognosci aliter ac est in se: licet intellectui deficiẽti præstet fundamentum, vt aliter ac est in se cognoscatur.

§. VI.

Argumenta Patris Vazquez.

25. IN fauorem primæ sententię contra primam cõclusionem primo insurgit Magister Vazquez. Deo repugnat efficẽtia entis rationis; ergo & cognitio, cum totum esse entis rationis sit cognosci.

Respondetur concedendo antece-

tece lens, & distinguendo consequens; ergo & cognitio, speculatiua, nego consequentiam, practica, concedo consequentiã: ad probationem dico essentiam entis rationis non cõsistere in quocumque cognosci; sed in cognosci practico. ¶ Ex eo autẽ, quod intellectꝰ diuinus cognoscat ens rationis à nostro intellectu factũ, non sequitur, quod decipiatur; nec quod practicè intelligat rem aliter ac est in se, quia tunc solum intelligit intellectum nostrũ decipi, & falli: vnde hæc cõsequentia non tenet: *ego cognosco Petrum decipi, falli, & facere ens rationis; ergo ego fallor, decipior, vel facio ens rationis:* sicut nec hæc, *Deus cognoscit me discurrere; ergo Deus discurrit*; Deus enim tunc solum speculatiuè cognoscit intellectum nostrum cognoscere rẽ aliter ac est in se; non verò ipsam rem aliter ac est in se practicè cognoscit.

26. Dices ingeniosè satis. Deus media intelectione creata cognoscit ens rationis, sed ens rationis est res aliter ac est in se; ergo media intellectione creata cognoscit rem aliter ac est in se; ergo media intellectione creata entia rationis efformat, cum media illa rem aliter ac est in se cognoscat. ¶ Respõdetur distinguendo maiorem, media cognitione creata cognoscit ens rationis, cognitione practica, nego maiorem, cognitione speculatiua, concedo maiorem, & minorem; & distinguo consequens, media cognitione creata cognoscit rem aliter ac est in se, per solam denominationem realem extrinsecam, concedo cõsequentiam, per aliquam intrinsecam obiecto concesam, nego consequentiam, nam ens rationis à Deo cognitum non denominatur factum; sed solum cõtemplatum: non aliter ac peccatum cognitum à Deo non denominatur factum, sed contemplatum.

27. Secundo. Cognitio Dei non est temporalis; sed æterna, iuxta illud Augustini *non aliter Deus facta, quã fienda cognouit*; ergo si nunc cognoscit entia rationis à nostro intellectu facta, ab æterno illa cognouit: tum sic. Ab æterno illa non cognouit, vt ab intellectu creato facta, cum tunc nõ essent; ergo in *nunc* æternitatis cognouit illa immediatè, & cognitione practica; quod idem est.

Respondetur negando minorẽ subsumptam, quia Deus ab æterno cognouit entia rationis media cognitione creata, quæ coexistit in æternitate tanquam in mẽsura superiori, æternitas enim Dei omnia tempora absque successione comprehendit: de quo plura Theologi 1. par. q. 24. adde hoc argumentum multum probare, nam probat Deum ab æterno nõ cognoscere peccatum, vel illud efficere.

28. Tertio. Esse obiectiuum, quod habet ens rationis in intellectu diuino, est adæquatè à solo intellectu diuino; ergo ens rationis,

nis, quod est à Deo cognitum, accipit ab intellectu diuino esse, non reale; ergo rationis. Antecedens probatur, intellect' creatus non est causa nec adæquata, nec inadæquata entis rationis, quod habet esse obiectiuè in intellectu diuino : aliàs cognitio Dei penderet à cognitione creata, quod non dices; ergo esse obiectiuum, quod habet ens rationis in intellectu diuino, est adæquatè à solo intellectu diuino.

Respondetur distinguendo antecedens, est à solo intellectu diuino esse obiectiuum, reale extrinsecum, concedo antecedens, esse obiectiuum, rationis intrinsecum, nego antecedens, & vtrãque consequentiam : ad probationem dico cum Magistro Cornejo intellectum humanum esse causam, vt entia rationis habeãt esse obiectiuum *vt quod* in intellectu diuino : sicut voluntas creata deficiens est causa, vt peccatum habeat esse obiectiuum *vt quod* in intellectu diuino: & sicut intellectus humanus est causa, vt discursus habeat esse obiectiuum in intellectu diuino. ¶ Ratio huius est, nam creaturæ sunt primæ causę defectus. Nec ex hoc sequitur, quod intellectus diuinus dependeat à creatura, nam omnia hæc percipiuntur à Deo speculatiuè in sua æternitate, vel in sua essentia.

(.·.)

§. VII.

Argumenta secundæ sententiæ.

29. PRimum desumitur ab aduersarijs ex Diuo Thoma 1.p.quæst.15.ar.2.ad 3.& 1.cõtra Gentes, cap.54.vbi sic fatur. *Respectus idæales, quibus multiplicãtur ideæ, non causantur à rebus; sed ab intellectu diuino comparante essentiam suam ad res*, sed respectus idæales à Deo secundum Diuum Thomam causati, sunt rationis; ergo manifestè contradicit Diuo Thomæ, qui negat ens rationis posse fieri à Deo.

30. Vt respondeas, nota ex Diuo Thoma 1.p.q.15.art. 3.in corpore, quod idea stat dupliciter: primò prout est idem ac exẽplar, in quo sensu ideæ pertinent ad scientiam practicam, & sunt determinatæ à decreto suę voluntatis: secundo vt sunt rationes, in quo sensu antecedunt decretum suæ voluntatis, & solum deseruiunt ad scientiam speculatiuam.

Quo supposito dico primo Diuum Thomã loqui de ideis sumptis pro exemplaribus, in quo sensu potest dici causari à Deo formaliter proximè, quatenus medio decreto suę voluntatis determinat ideas ad formalitatem exemplaris.

31. Dices: essentia diuina est, quæ transit de esse ideæ per modum rationis ad esse ideę per modum

dum exẽplaris per decretum voluntatis diuinæ; vt docet Sãctus Doctor, quæst. 3. de veritate art. 6. in corpore, & 1. p. quæst. 16. ar. 3. in corp. sed essentiæ diuinę à se, & non ab alio repugnat fieri, seu causari; ergo solum idea formaliter accepta pro respectu rationis, est quæ potest efficientiam Dei terminare.

Respondetur cõcedendo maiorem, & distinguendo minorem, essentiæ diuinæ repugnat fieri, seu causari, in re, & in veritate, concedo minorem, quoad nostrum modum imperfectum cõcipiẽdi, nego minorem, nam intellectus noster existimat essentiam diuinam aliquid accipere à decreto diuino, quod transit de esse ideæ per modum rationis ad esse ideæ per modum exẽplaris: sicut etiã existimat aliquid accipere, quando medio decreto suæ voluntatis repræsentat vt futurum id, quod anteuertẽter ad decretum repręsentabat vt possibile. Vnde D. Tho. non loquitur de ideis exẽplaribus formaliter acceptis; sed de ipsis fundamentaliter proximè acceptis, in quo sensu à Deo, & non à creatura possunt causari medio decreto suæ voluntatis.

32. Secundo respõdetur ad argumentum principale respectus ideales non causari à Deo formaliter, quatenꝰ ab æterno cognoscit naturam diuinam ordinatam, vel dependẽtem à creaturis, hoc enim esset falli, vel non cognoscere rem vt est in se; sed solum fundamentaliter, quatenus ab æterno cognoscit naturam diuinã vt terminum dependentiæ, vel ordinis creaturarũ, quod solũ præstat fundamentum intelligẽti imperfecto, vt cognoscat naturam diuinam ad creaturas ordinatã.

Et quod ista sit legitima mens Sancti Doctoris constat ex ipsis verbis; vbi non dixit intellectum diuinum *ordinare*, sed *cõparare naturam ad res*, superius enim comparatur ad inferius media connexione; non vero ad illud ordinatur, quia ordo absque dependentia nequit intelligi. Cõstat etiam propria mẽs ex eo quod denegat creaturis efficientiam respectiuã idealium, quam Deo cõcedit, sed respectus ideales formaliter accepti absque dubio in opinione Diui Thomę causantur à creaturis, cũ sint entia rationis; ergo à Deo nõ causatur respectus idealis formaliter, sed fundamentaliter tantum. Maior, & consequentia sunt certæ: minor, in qua est difficultas, constat primò ex D. Thom. 1. p. q. 13. a. 4. in corp. & expresse in solut. ad 3. vbi sic fatur. *Ad tertium dicendum, quod hoc ipsum ad perfectam Dei vnitatẽ pertinet, quod ea, quæ sunt multipliciter, & diuisim in aliis, in ipso sint simpliciter, & vnitæ. Et ex hoc cõtingit, quod est vnus in re, & plures secundum rationẽ, quia intellectus noster ita multipliciter apprehẽdit eum, sicut res multipliciter ipsum repræsentãt*; ergo ex mente D. Tho. multiplicitas formalis in Deo causatur ab intellectu

ctu nostro, quia est secundum rationē; ergo respectus ideales, qui formaliter accepti, sunt rationis, non possunt à Deo causari.

Secundo probatur eadem minor ex disputatis q. 7. de potētia, art. 6. in calce articuli, vbi sic approbat nostram solutionē. *Nihil prohibet, quin ipsa vna essentia omnibus praedictis conceptionibus respondeat, quasi per eas imperfectè repraesentata: & sic omnes rationes sunt quidem in intellectu nostro, sicut in obiecto; sed in Deo sunt vt in radice verificante has cōceptiones*; ergo ex mēte Angelici Præceptoris in esse Dei omnis multiplicitas formalis causatur, nō ab intellectu increato, sed creato, qui per conceptus partitos attingit eminentiam essentiæ diuinæ.

33. Secūdum. Efformatio entis rationis nullam dicit imperfectionem; ergo Deo nō repugnat. Antecedens probatur primo, quia perfectio est intellectus, quod vnū quodq; cognoscat, vt est cognoscibile, sed ens rationis nō est aliter cognoscibile, quam aliter ac est in se; ergo efformatio illius nullā dicit imperfectionē. Secundo, quia intelligere omne intelligibile nullā dicit imperfectionē; ergo nec efformatio entis rationis.

Primo respondetur iuxta dicta, negando antecedēs: ad probationem distinguo maiorē, perfectio est intellectus, quod cognoscat obiectū omnimodo, quo est cognoscibile, si omnis modus cognitionis sit perfectus, cōcedo maiorē, si sit imperfectus, nego maiorē, & minorē, nā (vt dixi) ens rationis solum potest à Deo cognosci vt est in se media cognitione creata. Si ergo argumētum habet vim, etiā probat, quod obiectū quod est per discursū cognoscibile debet hoc modo à Deo cognosci. ¶ Secūdo respōdetur negando antecedēs; ad probationē cōcedo maiorē; & nego minorē, nā ens rationis solum est cognoscibile, vt est in se, si loquamur de exigentia entis rationis facti; si verò loquamur de fundamento ipsius dico nunquā exposcere cognosci aliter ac est in se; licet intellectui imperfecto tribuat occasionem vt sic cognoscatur. Vide solutionem obiectionis tertiæ num. 24.

34. Replicabis. Intellectus diuinus media cognitione creata cognoscit ens rationis vt est in se; ergo ens rationis, quod est aliter ac est in se, nō cognoscit media cognitione creata. ¶ Respondetur cōcedendo antecedēs, & negando consequentiam, ens enim rationis non est aliter ac est in se, sed est cognitio entis realis aliter ac est in se, Deus autem media intellectione creata nō cognoscit ens reale aliter ac est in se; sed cognoscit me cognoscere illud aliter ac est in se, quod est ipsū vt est in se cognoscere, cum verū sit, quòd ego illud sic cognoscā.

35. Tertium. Deus cognoscit verbum procedere per intellectū paternum, & non per voluntatē; & è contra Spiritum Sanctū procede-

cedere per voluntatem, & nō per intellectum, sed à parte rei intellectus diuinus non distinguitur à voluntate diuina; ergo Deus hāc distinctionem rationis cognoscēs entia rationis efformat. ¶ Respondetur distinguendo maiorem quoad primam partem, Deus cognoscit verbum procedere per intellectum, & non per voluntatem entitatiuè, & materialiter, nego maiorem, formaliter, & expressiuè, cōcedo maiorē; & eodē modo distinguo maiorem quoad secundam partem: & concessa minori nego consequentiam, nam Deus solū cognoscit fundamētū, quod habet intellectus creatus vt distinctiones rationis effotmet; non verò eas practicè cognoscit: vnde idē est dicere Deū cognoscere verbū procedere per intellectum, & non per voluntatē, ac dicere; Deum cognoscere verbā procedere per simplicem entitatem Dei, vt realiter exprimit per fectionem intellectus; non verò vt exprimit perfectionē voluntatis; etiam si ab illa identicè, & materialiter procedat.

36. Quartū argumētum sic procedit. Tunc fit ens rationis, quādo cognoscitur ad modum entis id, quod non est ens; sed Deus cognoscit priuationes, & negationes, quę nō sunt, ad modum entis positiui, cum ens sit obiectū potentiæ intellectiuæ; ergo in tali cognitione entia rationis effotmat. ¶ Aliqui respondent concedendo maiorem; sed non bene, nam noster intellectus non effotmat ens rationis, per hoc quod cognoscat rem spiritualē ad modum rei corporalis; vt dixi supra in hac dispu. q. 1. §. 2. nu. 9. ergo absolutè loquendo nō fit ens rationis per hoc, quod cognoscatur ad modum entis quod nō est ens.

Quare aliter respondetur distinguendo maiorem, tunc fit ens rationis, quando cognoscitur ad modum entis id, quod nō est ens, quando sic cognoscitur ex parte obiecti cogniti, cōcedo maiorē, quando sic cognoscitur ex parte modi concipiendi, nego maiorem; & distinguo minorem, Deus cognoscit priuationes ad modum entis ex parte modi intelligendi, concedo minorē, ex parte rei intellectæ, nego minorem, & cōsequentiam, nā Deus triplici modo priuationes ex parte modi intelligendi cognoscit, absque eo quod illas ad modū entis positiui cognoscat: Primo cognoscēdo illas per formā oppositā subiecto debitā. Ita D. Ansel. opusc. contra insipientem, vbi sic loquitur: *Quisquis igitur negat aliquid esse, quo maius nequeat cogitari: vtique intelligit, & cogitat negationem, quā facit, quoniam negationem intelligere, aut cogitare non potest sine partibus eius, pars autē eius est, quo magis cogitari non potest.* Ita etiam D. Th. 1. p. q. 14. a. 9. & 1. contra Gētes, c. 62. Secundo cognoscit priuationem per fundamentum, quod petit forma, qua caret. Tertio media fictione creata absque

eo

eo quod practicè cognoscat illas ad modum entis positiui, causando ex parte obiecti entitatem intrinsecam in priuatione. Vnde colligitur, quod non fit ens rationis, quando cognoscitur id, quod non est ens ad modum entis ex parte modi concipiendi, si aliàs iste modus, qui extrinsecus est obiecto, non applicatur intrinsecè non enti per modum obiecti attacti. Constat hoc in exemplo supra allato: & vlterius in natura cognita sine indiuiduis: vbi non datur ens rationis; sed solum species impressa, & expressa repræsentans naturam in communi, quin aliquod repræsentet indiuiduum: quod totum est quid reale, quia in obiecto solum resultat denominatio extrinseca, à qua obiectum denominatur extrinsecè cognitum; vt ergo resultet ens rationis, vlterius requiritur, quod hoc esse cognitum sine indiuiduis intelligatur ex parte obiecti per modum formæ intrinsecæ in hærentis.

37. Pro quæstionis complemẽto inquires: an intellectus Angelicus entia efformet rationis? Ad quod dico intellectum Angelicum perfectè cognoscere cognitione speculatiua omnia entia rationis, quæ sunt ab intellectu humano facta, vel factibilia; cognitione vero practica non efformare entia rationis respectu entium naturalium, nec etiam respectu Dei, in quantum illum vt est in se cognitione supernaturali quidditatiua cognoscit; bene tamen in quantum eum cognoscit cognitione naturali modo imperfecto per alienas species.

Ratio huius est, nam cognoscendo Deum cognitione naturali potuit illum cognoscere cũ aliqua habitudine ad creaturas, & distinctionẽ rationis in illo fundare; quæ omnia non possunt fingi in Deo cognito vt est in se: ni dicas Deum cognosci ab Angelo beato aliter ac est in se; nec in rebus naturalibus comprehensiuè cognitis: ni dicas posse falli in rebus à se omnibus modis cognitis; ergo Angelus nõ valet efformare ens rationis respectu entis naturalis, nec respectu supernaturalis cogniti vt est in se; benè tamen respectu illius cogniti per speculum, & in ænigmate. Hæc difficultas multa supponit demodo cognoscendi Angelorum: quare illam Theologis relinquamus, ne in alienã messem manum mittamus.

QVÆSTIO IV.

A qua potentia ex creatis fiat rationis ens?

§. I.

Lux tituli, & quæstionis.

1. PRo quęstionis, & tituli captu nota cum Patre Suarez disp. 54. sect. 2. num. 1. in præsenti non disputare de causa materiali,

riali, formali, aut finali entis rationis; sed solum de effectiua, à qua per quandam resultantiã accipit esse obiectiuum: quod ergo inquirimus est, an scilicet talis causa sit solus actus intellectus; vel an possit esse actus alterius potentiæ?

§. II.

Referuntur sententiæ.

2. PRima in hac re sententia extendit efficientiam entis rationis ad omnem potentiã tam internam, quam externam. Sic fere omnes, qui sentiunt denominationẽ extrinsecam esse ens rationis. Et præcipuè Valles p. 1. quæst. 4. cap. 9.

3. Secunda limitat illius causalitatem ad intellectum, & voluntatem. Ita Scotus cum sua schola in 1. dist. 45. q. vnica.

4. Tertia denique limitat entis rationis efficientiam ad solum intellectum. Ita Thomistę cum Diuo Thoma 1. par. quæst. 28. art. 1. & 2. In huius sententiæ gratiam, sit.

§. III.

Conclusio.

5. EX potentijs creatis solus intellectus valet efformare ens rationis. Est Philosophi locis supra citatis, in quibus appellat ens rationis ens in anima, seu in ratione. Est etiã Diui Anselmi, dialogo de veritate, cap. 6. vbi hęc habet verba. Discipulus. *Est quidem in sensibus corporis veritas; sed non semper, nam fallunt nos aliquando, nam cum video aliquando per medium vitrum aliquid, me fallit visus, nam renũciat mihi corpus quod video vltra vitrum eiusdem esse coloris, cuius est, & vitrum cum alterius sit coloris: aliquando verò facit me putare vitrum habere colorem rei, quam vltra video: cum non habeat: multa ergo sunt alia, in quibus visus, & alij sensus fallunt.* Magister. *Non mihi videtur hæc veritas, vel falsitas in sensibus esse; sed in opinione: ipse namque sensus interior se fallit, non illi mentitur exterior. Probat hoc experientia his verbis: cum enim puer timet sculptum Draconem aperto ore, facilè cognoscitur, quod hoc non facit visus, qui nihil aliud renunciat puero, quam sensibus; sed puerilis sensus interior, qui non dum bene scit discernere inter rem, & rei similitudinem;* ergo ex mente nostri Anselmi omnis fictio non à sensibus; sed ab opinione, seu cognitione fit. Et quod nomine opinionis intelligat cognitionem, & non aliquem actum sensus interioris, constat ex ipsis verbis, nam ex vna parte excludit omnes sensus, & ex alia apponit opinionem, quæ discernit inter rem, & illius similitudinem, sed opinio distincta ab omni sensu, & discernens hoc modo est intellectus; ergo nomine opinionis intelligit intellectionem. Est etiam Diui Thomæ 1. p. q. 28.

28. art. 2. vbi definiens relationē rationis docet esse illam, cuius respectus tantum est in ipsa apprehensione rationis: & quod eadem sit ratio in alijs entibus rationis, latè probat Caietanus in eodem loco, §. ad hoc.

6. Ratione probatur. Nulla potentia præter intellectum valet apprehendere id, quod non est ad modum entis, sed apprehendere quod realiter non est ens ad modum entis, est indispensabile ad entis rationis efformationem, vt cōstat ex Diuo Thoma opus. 52. cap. 1. ergo nulla potētia præter intellectum valet efficere ens rationis.

Confirmatur, & explicatur hæc ratio. Potentia apprehendens id quod nō est ad modum entis terminatur ad non esse sub ratione entis, sed solus intellect⁹, qui habet pro obiecto ens, valet apprehendere nō esse ad modum entis: tum quia solus intellectus est potentia inquisitiua, reflexiua, & collatiua vnius cum alio: tū quia aliæ potentiæ supponunt pro aliquo priori proprium obiectum: tum quia omnes aliæ si sensitiuæ sunt terminātur ad peculiare sensibile, & non ad non sensibile ad modum sensibilis; ergo solus intellectus valet efformare ens rationis.

7. Secundo probatur conclusio. Nec voluntas, nec aliæ potētiæ sensitiuæ siuè interiores, siuè exteriores valent efficere ens rationis; ergo solus intellectus illud efficit. Cōsequentia est certa: antecedens probatur, nam volūtas solum terminatur tāquam ad obiectū ad id, quod pro aliquo priori est ab intellectu propositum, cum nihil sit volitum, quin prius sit præcognitum: & similiter omnes potentię sensitiuæ præsupponunt pro aliquo etiam priori sua obiecta, cum potentiæ sensitiuæ non tribuant suis obiectis propriam sensibilitatem; ergo pro illo priori voluntas, & aliæ potētiæ sensitiuæ: siuè interiores, siuè exteriores supponūt esse suorum obiectorum; ergo tale esse nō est ab illis factum.

§. IV.

Primæ sententiæ argumenta.

8. PRimum primę sentētiæ argumentū sic se habet. Sēsus corporeus, scilicet potentia visiua ex lucis reflexione percipit aliqua admodū coloris, quæ quidem in re colorata non sunt; vt *viride*, quod apparet in *iride*; & *rubrum*, quod apparet in alijs rebus, quando per vitreum rubrum transit lux; ergo in his, & similibus casibus potentia visiua efficit ens rationis. Consequentia constat à simili, nam ex eo intellectus efficit ens rationis, quia apprehendit id quod non est ens ad modum entis; ergo si potētia visiua percipit id quod nō est coloratum ad modum coloris, efficit ens rationis.

Respondetur negando antecedens, nam potentia visiua in huiusmodi perceptione nihil fingit, cum totum id, quod ab illa percipitur, præsupponatur ante illi⁹ visionem. Cōstat hoc ex eo, quod nullo intellectu cōsiderante, nec potentia videnti existit species repręsentans talem colorē: (vtrū autem talis repræsentatio fiat ex lucis permixtione, vel ex alia causa parum ad præsens refert) tum quia constat talem repræsentationem antecedere actus tam potentiæ intellectiuæ, quam visiuæ: tum quia potentia visiua non iudicat illum colorem esse in aëre; quod necessarium erat ad ens rationis formaliter fingendum: vt constat ex Diuo Thoma loco supra relato.

9. Secundum sic procedit. Phātasia, seu imaginatiua valet efformare ens in rerum natura non existens, vtique quia vt cōstat ex Diuo Thoma 1. p. q. 12. art. 9. ad 2. imaginatiua ex speciebus *montis, & auri* format tertiam speciem *montis aurei*; ergo in tali efformatione datur de formali verum ens rationis, cum ex tali fictione non resultet ens reale.

Respondetur negando antecedens, vel illud distinguendo claritatis gratia, imaginatiua valet formare ens in rerum natura non existens, fundamentaliter, concedo antecedens, formaliter, nego antecedens, & consequētiam, nam imaginatiua non cognoscit id, quod non est sensibile, ac si esset sensibile; nec efformat sensibilitatem chimæricam formaliter; sed solum occasionaliter, seu fundamentaliter; quatenus cognoscit vnico actu in tertia illa specie ab ea formata sensibilitatem *montis aurei*. Vnde licet illa tertia species quantum est ex se non solum repræsentet sensibilitatem *montis aurei*; sed etiam tribuat intellectui fundamētum ad hoc, vt cognoscatur talis sensibilitas cum ordine ad non esse ipsius; tamen tale fundamentū non deseruit imaginatiuæ, quia ex se solum respicit sensibile determinatum: non aliter ac licet species colorata in aëre recepta habeat esse intelligibile; tamen respectu aëris talis intelligibilitas est quasi non esset propter aëris incapacitatem.

10. Ex quo colliges potentiam intellectiuam ratione propriæ latitudinis, & perfectionis terminari tanquam ad obiectum proprium ad ens, & ad non ens sub ratione entis; at verò sensus interni, & externi ratione suæ limitationis tantum valent terminari ad sensibile determinatū absque eo, quod terminentur ad non sensibile subratione sensibilis, quod ad efformationem entis rationis est necessarium; vt constat ex Diuo Thoma opusc. 52. cap. 1.

§. V.

Secunda sententia fundamentum.

11. FVndamentum Scoti sic se habet. Multoties vo-

luns

luntas deficiens fertur in bonum apparens, ac si verum esset bonum; ergo in voluntate habet obiectum bonitatem, quã in re non habebat; ergo voluntas tunc efformat ens rationis, cum diligat vt bonum id, quod in re non est bonum. ¶ Confirmatur primò. Voluntas ex se habet virtutem comparatiuam, cum diligat unũ propter aliud, sed relatio rationis resultat per virtutem comparatiuam; ergo voluntas, quæ valet comparare, valet efformare ens rationis relatiuum. ¶ Confirmatur secundo. Voluntas ex se ordinat ad aliud id, quod ex se ordinẽ non dicit, cum multoties ordinet Deum ad creaturas, sed hoc est efficere relationem, vbi non est relatio; ergo hoc est efficere ens rationis.

Respondetur ad fundamẽtum Scoti distinguendo antecedens, voluntas fertur in bonum apparens ab intellectu propositum, concedo antecedens, ab ipsa fabricatum, nego antecedens, & vtramque consequentiam, nam licet verum sit, quòd voluntas aliquando terminetur ad bonum apparens; immò ad ens formaliter rationis; tamen tale ens non fit à voluntate; sed ab intellectu, qui tale ens proponit voluntati deficienti, anteuertenter ad illius actum.

Ad primam confirmationẽ respõdetur negando maiorem, nam intellectus, & non voluntatis est comparare vnum cum alio; vnde si voluntas vult vnum propter aliud, non est, quia voluntas talem efformet comparationem, sed quia intellectus illam voluntati proposuit.

Ad secundam confirmationem respondetur negando maiorem, nam *ordinare* non est actus voluntatis, sed intellectus; vt docet Diuus Thomas 1.2.q.17.art.2. in corpore vbi sic fatur. *Respõdeo dicendum, quod imperare nihil aliud est, quam ordinare aliquem ad aliquid agendum: ordinare autem est actus proprius rationis.* Vnde cum voluntas diligit vnum propter aliud, ad quod ex se non dicebat ordinẽ, non fingit ordinẽ, sed illum supponit ab intellectu fictũ. 12. Dices. Licet sub ratione veri sit ab intellectu ordinatum id, quod à voluntate percipitur; tamẽ sub ratione boni ab illa iterum ordinatur; ergo sub hac ratione entia rationis efformat. ¶ Respondetur negando antecedens, nam voluntas non fingit sub ratione boni alium respectũ rationis; sed fictum ab intellectu sub tali ratione percipit: quo modo etiam solet respicere bonitates apparentes vt veras, non quia ab ipsa fingantur; sed quia ab intellectu sic ei proponuntur. Sic Diuus Thomas 1.p.q.16.art.1.

QVÆSTIO V.

An rectè diuidatur ens rationis cum fundamento in re in priuationem, negationem, & relationem?

§. I.

Præmittuntur aliqua.

1. PRo quæstionis captu nota primo entia rationis in duplici esse differentia : alia enim sunt, quæ habent fundamentum in re, ex eo quod fiunt ex occasione à rebus concessa; vt quod homo species denominetur fit ex fundamento, quod natura hominis apta de pluribus dici, tribuit intellectui; alia vero sunt, quæ nullum habent fundamentum in re, ex eo quod fiunt ex mera intellectus apprehensione; vt quãdo apprehẽdit chimæram ex mera intelligendi cupiditate. ¶ In præsenti ergo non disputamus de his secundis, quia omnino sunt in vtilia ad scientiarum acquisitionem; sed de primis, quæ communiter diuiduntur in priuationem, negationem, & relationem.

2. Nota secundo, quod priuatio in præsenti accipitur pro carentia formę in subiecto apto nato ad illam habendam, v.g. *pro cæcitate*, quæ dicitur carentia visus in subiecto apto, scilicet in homine; negatio verò sumitur pro carentia formæ in subiecto non apto; vt *pro cæcitate*, quæ dicitur carentia visus in subiecto nõ apto, scilicet in lapide.

3. Nota tertio, quod per negationem nõ intelligimus negationem entis realis; vt aliqui volunt, cum omne ens rationis, siuè cum fundamento, siuè sine fundamento in re exprimat essentialiter entis realis negationem; sed solum intelligimus negationem alicuius formæ in particulari. ¶ Hæc autem negatio, & priuatio formę in particulari dupliciter sumitur: Primò secũdum rationem; quam ex propria natura important; & sic nec sunt entia realia, nec rationis; sed carentia formæ realis à parte rei in subiectis reperta: Secundo vero modo vsurpantur prout concipiuntur ab intellectu ad modum formę positiuę realis: & isto modo sunt formaliter entia rationis.

4. Nota quarto cum omnibus ens rationis in tota sua latitudine partiri in ens rationis cum fundamẽto in re, & in ens rationis absque fundamento in re : sed quia hoc secundum diuisionis membrum ad Logicum non spectat; ideo solum inquirit quæstionis titulus de diuisione entis rationis cum fundamento in re, alio relicto vt in vtili ad scientias.

§. II.

Prima conclusio.

5. ENs rationis cum fundamento in re prima sui diuisione diuiditur tanquam in species subalternas in relationem, & negationem vt sic. Constat hæc conclusio expresse ex Angelico Magistro q. 21. de veritate, art. 1. in corpore vbi sic ait. *id autem, quod*

quod est ens rationis tantum, non potest esse nisi duplex, scilicet negatio, vel aliqua relatio; ergo ex mente Diui Thomæ ens rationis diuiditur in negationem, vel relationē, sed nō potest loqui in præsenti de diuisione entis rationis in species infimas, vt constabit ex dicendis in secunda cōclusione; ergo loquitur de diuisione entis rationis in species subalternas.

6. Secundo constat ex eodem Diuo Thoma, q. 3. de malo, art. 7. vbi affirmat negationem bifariè posse vsurpari: primo in communi, prout valet dici, & prædicari per modum cuiusdam carentiæ de priuatione, & negatione particulariter acceptis, vel prout est relationi rationis oppositæ: secundo in particulari prout est priuationi in particulari oppositæ, vel prout opponitur carentiæ formæ in subiecto apto; ergo secundum Diuum Thomam antequam diuidatur ens rationis cum fundamento in re in priuationē, & negationem tanquam in species infimas debet diuidi in negationem, & relationem tanquam in species subalternas: vtiq; quia omne diuisum prius respicit species subalternas, quam infimas.

Confirmatur. Carentia vt sic, seu remotio entitatis vt sic prædicatur de negatione, & priuatione in particulari, & non è contra; vtique quia de priuatione lucis in aëre tenebroso verificatur carentia vt sic: & similiter de negatione visus in lapide verificatur etiam carentia vt sic, & tamē de carentia vt sic non verificātur priuationes, seu negationes in particulari; vt ex se constat; ergo ens rationis vt sic prius diuiditur in relationem, & negationē vt sic, tanquam in species subalternas, quam in negationes, & priuationes in particulari; vtique quia prius participant diuisum species subalternæ, quam infimę.

7. Dices cum Patre Suar. disp. 54. sect. 4. Ens rationis prius, & immediatius diuiditur in positiuum, & negatiuum, quam in relatiuum, & negatiuum vt sic: vtique quia relatio non solum participat rationem entis rationis, sed etiam rationē entis rationis positiui negationi oppositæ; ergo ens rationis non contrahitur tāquam per species subalternas per relatiuum, & negatiuum vt sic; sed per positiuum, & negatiuum.

Respondetur negando antecedens, nam ratio entis rationis positiui communis est ad relationem, & negationem vt sic, cum hæc de formali sit ens metaphoricum positiuum, sicut illa. Vnde licet verum sit, quod negatio de materiali, & a parte rei fiat pro remotione, seu pro carentia entitatis positiuæ; tamen de formali, & per ordinem ad intellectum fingentem fiat pro ente positiuo; & ideo eodem modo ac relatio participat rationem entis rationis positiui per se primo, & immediatius, tanquam species relationi consubalterna.

§. III.

§. III.

Secunda conclusio.

8. ENs rationis cum fundamento in re nõ diuiditur in relationem, priuationẽ, & negationem specialiter acceptam tanquam in species infimas: vt docet Magister Lerma cum petitioribus Thomistis in præsenti q.6. concl.2. sed quodlibet mẽbrum ex his est vlterius diuisibile, vt species subalterna in infimas. Est specialis, & meo videri manifestè sequitur ex prima. Et probatur quoad omnes suas partes. Ex eo in opinione Thomistarum, & fere omnium Doctorum ens rationis cum fundamento in re diuiditur tanquam in species subalternas vlterius diuisibiles in relationem, & negationem vt sic, quia negatio vt sic est vlterius diuisibilis in priuationẽ, & negationem specialiter sumptã, sed priuatio etiam vlteriꝰ est diuisibilis in diuersas specie priuationes; vtique quia priuatio lũcis, quæ est in aère specie differt à priuatione visus, quæ est in homine cæco: idemquè dicẽdum est de negatione specialiter accepta, & relatione, cum illa sit diuisibilis in negationes specie diuersas, scilicet in negationẽ visus, & intellectus respectu lapidis; & hæc in diuersas specie relationes; videlicet in genus, & speciem; ergo quodlibet diuisionis membrum est vlterius diuisibile in species infimas; ergo ens rationis cum fundamento in re non diuiditur in relationem, priuationẽ, & negationem specialiter dictas. Tãquam in species infimas, sed solum tanquam in species subalternas.

9. Secundo probatur contra Patrem Lerma. Relatio rationis assignatur ab isto Doctore in secunda conclusione vt species subalterna entis rationis cũ fundamento in re; ergo in consequẽter in tertia conclusione assignatur ab ipso vt species infima; vtique quia eadem species eodem modo accepta respectu eiusdem diuisi non valet subijci diuiso, vt species subalterna, & infima. Confirmatur, &, explicatur in consequentia huius Doctoris ex eo negatio vt sic non assignatur à Magistro Lerma vt species infima, quia contrahitur per priuationem, & negationem specialiter acceptas, tanquam per species inferiores, sed etiam relatio vt sic contrahitur per relationes generis, speciei, &c. Tanquam per species inferiores; ergo in cõsequenter assignatur relatio vt sic vt species infima, & atoma entis rationis cũ fundamento in re.

§. IV.

Obiectiones contra conclusiones.

10. OBijcies primo. Priuatio assignatur à Philosophis

phis vt principium entis naturalis, sed principia entis naturalis dantur independenter à fictione nostri intellectus; ergo priuatio non diuidit ens rationis.

Confirmatur. Aër à parte rei est tenebrosus, & carens luce; ergo ante fictionem intellectus datur priuatio. ¶ Respondetur ad obiectionẽ distinguendo maiorem, priuatio est principium entis naturalis, formaliter accepta, nego maiorem, fundamentaliter accepta, concedo maiorem, & minorem; & distinguo consequens, priuatio non diuidit ens rationis, priuatio fundamentaliter sumpta, concedo consequẽtiam, formaliter sumpta, nego consequentiam, nam vt dixi §. 1. num. 3. huius quæstionis priuatio à parte rei, & vt principiũ entis naturalis non est ens reale, nec rationis; sed solum carentia entis realis, quæ tribuit intellectui fundamentum, vt concipiat talem carentiam ad instar formæ positiuæ. Vnde principium entis naturalis non est priuatio formaliter accepta, seu per modum entis positiui; sed est priuatio sumpta pro carentia, seu remotione formæ positiuæ; per quod patet ad confirmationem.

11. Obijcies secundo. Omne ens rationis includit relationem; ergo trimembris diuisio coincidit in vno relationis membro. Consequentia est certa: antecedens probatur, omne ens rationis essentialiter includit respectum ad intellectum fingentem, & ad subiectum, quod afficit; ergo omne ens rationis includit relationem.

Respondetur distinguendo antecedens, omne ens rationis includit relationem secundum esse, vel secundum dici, concedo antecedens, secundum esse semper, nego antecedens, & consequentiam, nam licet verum sit, quod omne ens rationis respiciat intellectum, & obiectum relatione transcendentali; non tamẽ respicit illum relatione prædicamentali; sicut respicit relationis membrum. Ratio est, nam ens rationis respicit intellectum tanquam causam effectiuam, & subiectum tanquam causam materialem; at vero relatio rationis respicit aliud tanquã purum terminum; & ideo nõ sequitur, quod membrum relationis coincidat cum alijs duobus, quę solum respiciunt relatione secundum dici, seu quasi transcendentali intellectum, & subiectum. Constat à simili in actione, quæ etiam si respiciat agens per modum causæ, non cõstituitur, formaliter in genere relationis realis.

12. Obijcies tertio. Ens rationis diuiditur in priuationem, negationem, & relationem tanquã in species subalternas; ergo proportionaliter valet diuidi in substantiam, quantitatem, & qualitatem, &c, cum non sit maior ratio

tio vnius quam alterius. ¶ Respondetur negando consequentiam, nam intellectus nullum habet fundamentum, vt efformet substantiam, & quantitatem rationis; & ideo talia entia rationis non stabunt, sub diuiso, quod solum est ens rationis cum fundamento in re. Quare si intellectus efformat talia entia rationis, erit ex fœcunditate ipsius; & non ex occasione ab ipsis rebus concessa; & sic stabunt sub ente rationis chimerico, & sine fundamento in re confecto, de quo non disputat Logicus.

DISPVTATIO TERTIA DE NATVRA VNIVERSALIS.

QVM ea, quæ docet Aristoteles, præcipuè in prædicamentis, non ita facilem aditum habeant, Porphyrius tractatum quendam de quinque vocibus; ideſt, de immediatis ſignificatis Generis, ſpeciei, differentiæ, proprij, & accidentis à Chryſauro diſcipulo rogatus diſpoſuit; in quo ſubtili penicillo prædicabilium eſſentias, & proprietates delineauit, vt ſine difficultate valeamus Ariſtotelis attingere prædicamenta, ſeu ſeries prædicatorum eſſentialium; videlicet generum, ſpecierum, & differentiarum: hic igitur ordo cognitis eorum quæ prædicari poſſunt naturis, facile à dialecticis poterit agnoſci. Cum ergo adeò ſit neceſſaria vniuerſalium indagatio ad perfectam prædicabilium cognitionem, vt vix ſine illa valeat hæc obtineri; ideo quæſtiones aliquas de vniuerſali in communi, communis dialecticorum proponit ſchola.

QVÆSTIO PRIMA.

An vniuerſalia ſint à parte rei à ſingularibus ſeparata?

§. I.

Explicantur aliqua valdè vtilia.

1. QVia vox *vniuerſale* ambiguè, & æquiuocè vſurpari ſolet in exordio huius diſputationis, vt clarius procedamus, & de qua vniuerſalitate, ſermonem inſtituimus, intelligatur, operæ prætium erit acceptiones huius vocis aperire. Vniuerſale namq; ordinem vni^e ad plura exprimit; & ideo tot modis dicitur vniuerſale, quot vnum plura reſpicere valet. Primo diuiditur in vniuerſale complexum, & incõplexum: vniuerſale complexum dicitur propoſitio vniuerſalis, in quan-

quantum plura singularium sub se continet; & de hoc non est sermo: vniuersale incomplexum est vnum simplex, quod multa respicit; & hoc vniuersale communiter diuiditur in vniuersale in causando, significando, seu repræsentando, & in essendo, seu prædicando: vniuersale in causando dicitur causa, quæ plures respicit effectus specie distinctos; vt Deus, Sol, & quælibet alia causa æquiuoca, quę non est ad vnum determinata: vniuersale in significando, seu repræsentando dicitur vox, vel imago, quæ plura significat, vel repræsentat; vt species, vel voces plura repræsentãtes, & significantes: & de his nõ est sermo: vniuersale denique in essendo, seu prædicando; de quo in præsenti disputamus, appellatur, quod in pluribus existit, & prædicatur.

2. Hoc vniuersale in essendo, seu prædicãdo fuit à Philosopho variè in diuersis locis definitum, nam 7. met. tex. 45. dixit *vniuersale esse, quod pluribus aptum est inesse*, & 1. de interpretatione cap. 5. affirmat *vniuersale esse, quod de pluribus prædicari natum est*. Vtrãque verò definitionem si nul apposuit lib. 1. de posteriori resolutione cap. 10 tex. 25. dicẽs: *Vnũ de pluribus rebus dicere necessarium est, non enim erit vniuersale, nisi hoc sit; oportet igitur aliquid vnum, idẽque pluribus inesse.* Ex his definitionibus hanc colligunt Dialectici, *vniuersale est vnum aptum esse in multis, seu de multis*: in qua, duplex definitio quasi virtualiter continetur: prima est, *vniuersale est vnum aptum esse in multis*: secunda est, *vniuersale est vnum aptum prædicabile de multis.*

3. Hę definitiones aliquas cõtinent particulas hic breuiter, & in sequentibus latè examinãdas: pro quarum intelligentia primò notandum est ex Aristotele 5. met. cap. 6. & ex Diuo Thom. 1. p. q. 11. art. 3. vnum formaliter indiuisionem dicere, *est enim vnũ indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio*: hoc est: *vnum est ens carens diuisione*, nunc in recto importet carentiam diuisionis, & in obliquo entitatem; nunc vero in recto dicat entitatem, & in obliquo diuisionis carentiam: quod verius iudico cum peritioribus Dialecticis.

4. Vnum ergo seu vnitas prima sui diuisione diuiditur in propriam, & impropriam: propria est illa, qua res singularis, vna est essentialiter per identitatẽ quomodo essentiæ communiter dicuntur indiuisæ, & vnæ: impropria est, quæ diuisione propria nõ caret; qualis cernitur in rebus illis, quæ vnũ dicuntur ex eo, quod ad aliquid vnum ordinantur: vt grana tritici, ad aceruum, & milites, ad exercitum.

Ad rationem verò vniuersalis non sufficit impropria vnitas, quę ex multitudine, & ordine resultat, nam natura vniuersalis non debet prædicari de multis per par-

partes, sed secundum se totam, quo modo nō valet prædicari id, quod impropriè est vnum; vt ex se constat.

5. Secundo diuiditur vnitas propria ad vniuersale necessaria in formalem, & materialem: formalis est entitas, quæ importat carentiam diuisionis per principia formalia, quæ dicitur generica, si carentia diuisionis sit per principia generica; & specifica, si carentia diuisionis sit per principia specifica: dicitur autem hæc vnitas formalis, quia datur per ordinem ad principia formalia. Materialis est illa, quæ importat carentiam diuisionis per principia materialia numerica: dicitur autē talis vnitas materialis, quia indiuiduatio sumitur à materia, & constabit ex dicendis in 2. p. Philosophiæ, lib. 1. dis. 2. q. 4.

6. Particula *in multis* valet accipi dupliciter. Primo, ita vt eadē natura, quæ vniuersalis denominatur, in diuisa manēs, in multis sit; non aliter quam si vnum numero accidens diuersis subiectis vniretur. Secundo, ita vt eadem natura, quæ vniuersalis dicitur, indiuisa inse, in multis sit diuisa: hic posterior sensus est ver', & germanus huius definitionis: quod probatur euidenti ratione, nā prior ille sensus est impossibilis, & absurd'; ergo posterior est verus, & germanus. Consequētia constat, nam nō est imaginabilis alius sensus: antecedēs probatur, quia ex priori sensu sequeretur in rebus creatis reperiri maius misterium, quam mysterium Trinitatis; vtique quia si in Benedicto, Placido, Mauro, & alijs esset eadem numero natura, & essentia, eodem modo omnes homines essent vnus homo, quo Pater, Filius, & spiritus Sanctus sunt vnus Deus, minus que erit tres personas in eadem numero natura, & essentia, quam tot millia hominum in vna eadēquè numero natura, & essentia conuenire; ergo prior sensus est impossibilis, & absurdus.

Ex quo constat naturam diuinam in tribus personis existentē non esse vniuersalem, quia ad rationem vniuersalis non solum est necessarium, quod natura sit in pluribus; sed quod sit in pluribus diuisibiliter, & non in pluribus indiuisibiliter; qualiter est natura diuina in tribus supositis. Vt docet Parens Anselmus in Monologio cap. 37. *Nam certum est vnicuiq; singulatim, & vtrisque simul in esse quidquid sunt in essentia; vt & singulatim perfectum sit in ambobus; & tamen pluralitatem non admittat in duobus.*

7. Particula *aptum* potest vsurpari dupliciter. Primò pro aptitudine positiua, quę cōsistit in positiuo respectu, quo natura respicit inferiora, in quibus est diuisibiliter. Secundò pro aptitudine negatiua, quæ consistit in quadā non repugnantia in natura reperta, vt in pluribus sit, & de pluribus prædicetur: prima aptitu-

do est necessaria ad vniuersale Logicum; secunda verò ad metaphisicum.

§. II.

Referuntur sententiæ.

8. His suppositis prima sententia est aliquorum Philosophorũ, qui ante Aristotelis tẽpora vixerũt, quos ipse citat 4. met. cap. 4. tex. 22. Hi fuerunt Heraclides & Cratylus, qui asserunt nihil in rerum natura esse vniuersale; sed omnia singularia, & corruptibilia; proinde que scientificam cognitionem, ac stabilẽ negant: horum gressus longo post tempore secuti sunt, quos Diuus Thomas 1. p. q. 14. ar. 15. Nominales appellat, qui nullam rẽ cõmunem, & vniuersalem, de qua scientia esse posset, agnouerunt; sed quia eas radicit' euellere absurdum eis visum fuit, illas de solis nominibus, seu vocibus statuerunt.

9. Secunda sententia huic ex diametro oppositа tribuitur Platoni ab Aristotele 1. & 7. met. citato, qui vniuersalia appellat rationes, quasdam, seu ideas à singularibus separatas incorruptibiles, & per se existentes independentes à loco, tempore, & motu, quas affirmat esse de essentia, & quidditate singularium, quibus corruptis adhuc manebat natura vniuersalis separata ab alijs; non aliter ac sygillum manet corruptis sygillationib', quæ ab ipso fiunt in cera, vel in alia simili materia.

Multi conantur Platonem ab hoc delirio vindicare, & affirmãt Platonem idearum nomine non intellexisse substantias cõmunes à singularibus separatas; sed exẽplaria, seu ideas existentes in mẽte diuina, sic Platonem interpretantur Eustratius 1. ethycorum, cap. 6. Seneca epist. 66. & Diuus Augustinus libr. 22. de ciuitate, cap. 26. Sed Aristoteles in locis supra citatis Diuus Thomas 1. p. q. 15. ar. 1. & q. 84. ar. 1. Abulens. cap. 25. in Matthæum, q. 572. & alij scholastici manifestè demõstrant Platonem stare pro hac secunda sententia. Nec credẽdum est, Aristotelem dementiam hanc Magistro suo imponere voluisse: nec æquum est, vt dum Platonem intendimus liberare à nota istius figmenti', in aliam infidelitatis Magistrum, & Principem Philosophorum inurere.

10. Tertia sententia docet cõtra primã naturas à parte rei esse fundamentaliter vniuersales; & contra secundam astruit non esse à singularibus separatas. Est cõmunis, & in illius fauorem sit.

§. III.

Prima conclusio.

11. A Parte rei existunt naturæ, quæ possunt denominari vniuersales. Pro cõclusionis in-

intelligétia nota, quod in hac cõclusione solum intendimus esse à parte rei id, quod pro materiali dicit hoc concretum vniuersale, quod nihil aliud est, quàm natura præhabens fundamentum ad vniuersale formale ab intellectu cõfictum. Est Philosophi 1. met. c. 6. & etiam 4. met. cap. 5. vbi ex professo refellit, & reprehendit Heraclium, & Cratyllum, eo quod dicerent nihil esse præter singularia, est etiam Diui Patris nostri Anselmi in libro de Incarnatione verbi, cap. 2. cuius verba placet referre. *Cautissimè* (inquit Theologorum Magister) *ad sacræ paginæ quæstiones accedant, qui non nisi flatum vocis putant esse vniuersales substantias, qui enim non intelligit, quomodo plures homines in specie sint vnus homo, qualiter in illa sacratissima, & altissima natura comprehendet, quomodo plures personæ, quarum singula quæque est perfectus Deus, sit vnus Deus?*

12. Deinde probatur contra Heraclidem, & Cratyllum scientiæ (vt docet Arist. 7. met.) non sunt de singularibus, sed de vniuersalib⁹; ergo qui negat naturas vniuersales, scientias è medio tollere necessum est; ergo ne tale cõcedatur absurdum, tenẽdum est, à parte rei dari naturas fundamentaliter saltim vniuersales.

13. Rursus probatur cõtra Nominales, nam vt constat ex definitione Philosophi, *vniuoca sunt, quorum nomen est commune, ratio vero importata per nomen omnino eadem*, sed ratio omnino eadem nihil est aliud, quam natura ab inferioribus participata; ergo cum hæc non possit esse singularis, nec singularium aggregatio erit vtique vniuersalis; ergo essentiæ rerum, & non voces, seu conceptus sunt à parte rei vniuersales.

14. Deinde probatur contra eosdem Nominales. Illud est vniuersale, quod prædicatur de inferioribus, sed natura *animalis* v. g. (& non voces, seu conceptus significãtes, seu repræsentantes) est, quę de inferioribus prædicatur, vtique quia de homine, & equo non prædicatur actio intellectus, seu vox *animal*, sed natura animalis; ergo essentię, & non voces, seu conceptus sunt denominabiles à secunda intentione vniuersales.

15. Vltimo probatur conclusio, nam quãdo per definitionem dicimus *hominem esse animal rationale*: & per demonstrationem demonstramus *hominem esse risibilem*, tunc nec definitio explicat naturam vocis; nec demonstratio infert proprietates vocis, sed rei explicatæ per definitionem, & demonstratæ per demonstrationem; ergo natura est, quæ propriè dicitur vniuersalis, & non vox naturam significans. Antecedens probatur, quia vox *homo* v. g. non est *animal rationale*; nec est radix, seu principium *risibilitatis*; ergo nec definitio hæc explicat naturam vocis; nec scientia de illa demõstrat proprietates; ergo so-

la natura est, quæ definitur, & de qua passiones demonstrantur; ergo sola hæc est vniuersalis, cum secundum Philosophum in lib. de posteriori resolutione, definitio, & demonstratio versentur per se circa vniuersalia.

§. IV.

Secunda conclusio.

16. NAturæ, quæ vniuersales valent denominari, non dantur à parte rei ab inferioribus separatæ, nec possunt dari de potentia Dei absoluta. Est cõtra secundam sententiam, & probatur quoad primam partẽ. Primò quidquid est in rerum natura vel est creatum, vel increatum; sed in rerum natura solus Deus est increatus; ergo ideæ à Platone excogitatæ erunt creatæ; ergo singulares, & non vniuersales, seu ab inferioribus separatæ; vtique quia actio creatoris vt pote dimanans à suppposito singulari est singularis, & solum valet terminari ad terminum singularem.

17. Dices talem ideam, seu naturam ab inferioribus separatam esse improducibilem negatiuè in eo sensu, in quo aliqui Thomistæ precipuè ex nostra familia in manu scriptis sentiunt essentias secundum se habere ab æterno entitatem positiuam, negatiuè in producibilem. ¶ Sed contra est primò, nam Plato posuit naturam ab inferioribus separatã nedum in esse nominali, vt docent hi Thomistæ; sed in esse participiali, quod est vbicleph error.

¶ Contra est secundò, nam in opinione horum Thomistarum, licet connexio prædicatorum essentialium sit realis, & positiua; tamen status, in quo datur talis connexio positiua, non est realis: at verò Plato hanc anachoreticã naturã in eremo finxit realij; quod est omnino impossibile.

18. Secundo probatur quoad eandem partem, qura vt docet Diuus Thomas opusc. 55. vera prædicatio fundatur in identitate, sed essentiæ, quæ vniuersales possunt denominari, prædicantur de inferioribus; vtique, quia essentia hominis prædicatur de Benedicto, & Placido; ergo est in illis per identitatem; ergo non est ab illis realiter separata, cum separatio sit in reali distinctione, & nõ in reali identitate fundata.

19. Tertio probatur. Impossibile est aliquid esse de alicuius essentia, & quod in eo realiter non sit; ergo impossibile est dari naturam ab inferioribus separatam, quę sit de illorum essẽtia, cũ vnaquęq; res sit nedum identicè, sed formaliter sua essentia.

20. Ex his euidenter cõstat secunda pars nostræ conclusionis, nam quidquid implicat contradictionem, non potest fieri per potentiam Dei absolutam; sed implicat contradictionem, quod detur natura ab inferioribus realiter separata, vt visum est; ergo non potest à Deo fieri.

21. Di-

21. Dices. Quidquid potest intellectus humanus, potest Deus sua omnipotentia, sed intellectus humanus separat naturam à singularibus; ergo poterit Deus eã realiter separare.

Primo respondetur negando consequẽtiam, ex eo quod in minori variatur appellatio, ly enim *separat naturam vniuersalem*, in minori appellat supra modum intelligendi, & in consequenti supra modum producendi, & essendi.

Secundò respondetur distinguendo maiorem, quidquid potest intellectus humanus, potest Deus sua omnipotẽtia, quidquid potest intellectus humanus, per modum potentiæ, & perfectionis, concedo maiorẽ, per modum impotentiæ, & imperfectionis, nego maiorem; & distinguo minorem, intellectus humanus separat naturam à singularibus, intellectus humanus, vt explicat rationem impotentiæ, concedo minorem, vt explicat rationem potẽtiæ, nego minorem, & consequẽtiam, nam separare naturã à singularibus dimanat ex limitatione nostri intellectus non valẽtis apprehendere totam perfectionem singularis; & ideo illam diuidit in partes, vt in illius perueniat cognitionem; at vero omnipotẽtia Dei, quæ ex se productiua est per modum potentiæ perfectissimæ, totam entitatẽ producit in singulari immò alio modo illam nõ valet producere, cum illius actio, vt singularis essentialiter terminum respiciat singularem: diuidere autem entitatem in partes ad illius cognitionem, non est potentia; sed impotentia nostri intellectus, cum oriatur ex defectu virtutis cognoscitiuæ: non aliter ac cognoscere per discursum dimanat ex defectu eiusdem potentiæ nõ valentis attingere simul essentiam, & proprietates rei.

§. V.

Argumenta primæ sententiæ.

22. PRimum primæ sic se habet. Vniuersale (vt constat ex illius definitione) est vnũ; ergo non valet cum pluribus idẽtificari. Probo consequentiam: vnum, & plura opponuntur, cum vnum dicat carẽtiam diuisionis; ergo si vniuersale identificatur cum pluribus, nõ est vnum; ergo si est vnum, non identificatur cũ pluribus; at neutrum valet dici: ergo tenendum est nõ dari à parte rei naturas vniuersales.

Respondetur distinguẽdo antecedens, (loquẽdo de vniuersali fundamẽtali, & materiali de quo præsens procedit difficultas) vniuersale fundamentale est vnum fundamentaliter, concedo antecedens, formaliter, nego antecedens, & consequentiam: ad probationem distinguo antecedens, vnum, & plura opponuntur in eodem sensu, concedo antecedens: in diuersis nego antecedens, &

consequentiam, nam non implicat, quod eadem natura sit vna fundamentaliter, & plures formaliter: argumentum autem solum probat non dari à parte rei naturam formaliter vniuersalem; non vero non dari à parte rei naturam fundamentaliter vniuersalem, seu naturam ab intellectu denominabilem formaliter vniuersalem, nam sicut intellectus habet vim distinguendi vnita, sic habet vniendi dispersa; quare valet naturam in singularibus pluryficatam vnire, absque eo quod talis vnitas per rationem sit opposita multiplicitati reali.

23. Primæ secundum sit procedit. Quidquid est productum, seu creatum, est singulare: ergo nihil est à parte rei, quod sit vniuersale.

Respondetur concedendo antecedens, & distinguendo consequens, nihil est à parte rei, quod sit vniuersale formaliter, concedo consequentiam, fundamẽtaliter, nego consequentiam, nam in entitate singulari comproducuntur rationes, quæ licet à parte rei sint singulares; tamen per intellectum valẽt prascindi à singularitate, vt vniuersales denominentur.

24 Tertium primæ sic proponitur in fauorem Nominalium. Vniuersalia tantum in vocibus reperiuntur; ergo non in rebus. Antecedens probatur ex Philosopho cap. de substantia: vbi docet substantias secundas significare *quale quid*, sed hoc quod est significare non conuenit rebus, sed vocibus, ergo secũdum Philosophum voces sunt propriè denominabiles à secunda intentione vniuersales.

Respondetur negando antecedens: ad probationẽ dico Philosophum nõ dixisse secũdas substãtias significare *quale quid*, quia existimauerit esse voces; alioquin idem conuinceretur existimasse de primis, quas ait significare *hoc aliquid*; sed significare dixit *quale quid* ad denotandum nõ esse substantias separatas, vt asseruit Plato; sed esse substantias in singularibus existentes.

§. VI.

Argumenta secundæ sententiæ.

25. PRimum pro sentẽtia Platonis sic procedit. Ista prædicatio *Petrus est homo* est vera, & formalis, sed in illa nõ prædicatur natura hominis, quæ est in illo; vtique quia esset propositio identica, & non formalis; ergo prædicatur natura ab illo separata, quæ de omnibus valet prędicari indiuiduis.

Respondetur cõcedendo maiorem, & negando minorem, nam de *Petro, v.g.* solum valet prędicari natura, quę est in illo; aliàs prędicatio esset falsa, cum verbum *est*, quod vnit prædicatum cum subiecto, identitatem exposcat. Nec ex hoc sequitur, quod prædicatio

dicatio sit identica, nam identitas prædicati cum subiecto non tollit sensum formalem propositionis, si datur diuersus modus concipiendi prædicatum à subiecto.

26. Secundum. Scientiæ non specificantur à singularibus corruptioni subiectis, sed ab vniuersalibus perpetuis, & incorruptibilibus; atqui essentiæ rerum, vt sunt à parte rei singularibus coniunctæ, sunt corruptibiles; ergo solum vt separatæ ab illis valent scientias specificare; ergo vt sic dantur à parte rei: ni dicas dari à parte rei scientiam sine obiecto.

Respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem. essentiæ vt singularibus vnitę sũt corruptibiles, per accidens, concedo minorem, per se, nego minorem, & consequentiam, nam *animal*, & *homo*, quæ sunt in Petro, non corrumpuntur ratione sui; sed ratione singularitatis, cũ qua identificantur, sunt enim aliqua prædicata, quę conueniunt primò, & per se vniuersalibus, & ratione eorum singularibus quasi secundario; vt *esse rationalem* primò, & per se conuenit homini, & secundario Petro, nam ideo *Petrus est rationalis*, quia *homo est rationalis*; alia verò prædicata sunt, quæ primò, & per se conueniunt singularibus, & secundariò vniuersalib⁹; vt generari, & corrumpi, &c. primo, & per se conueniunt singularibus, & secũdario vniuersalibus, & propter hoc vniuersalia dicuntur non esse generabilia, & corruptibilia: circa has autem naturas vniuersales versantur scientiæ, licet non sint à parte rei formaliter, sed solum fundamentaliter vniuersales.

Solutio hæc exprèsse traditur à Diuo Thoma q. de veritate ar. 5. ad 14. vbi habentur hæc verba. *Hoc quod dicitur vniuersale esse perpetuum, & incorruptibile, Auicena exponit dupliciter: vno modo, vt dicatur perpetuum, & incorruptibile ratione particularium, quæ nunquam inceperunt, nec deficient, secundum tenentes mundi æternitatem: alio modo vt dicatur perpetuũ, quod non corrumpitur per se, sed per accidens ad corruptionem indiuidui.* Ergo ex mente Diui Thomæ ex eo vniuersalia sunt incorruptibilia, quia per se, & ex natura sua non sunt principia prima corruptionis.

27. Dices. Corruptibilitas est passio hominis, & cuiusuis naturæ compositæ ex forma, & materia sublunari, cum materia secundum Philosophum sit principiũ corruptionis; ergo essentiæ nedũ per accidens, & ratione singularium; verum per se, & ratione sui sunt corruptibiles.

Respondetur distinguẽdo antecedens, corruptibilitas est passio hominis, in indiuiduo, concedo antecedens, secundum se: iterum subdistinguo antecedẽs, secundum se, est passio hominis, in potentia, concedo antecedens, actu, nego antecedẽs, & vtramque consequentiam loquendo de

corruptibilitate in actu, nã hæc non competit homini secundum se; etiam si secundum se cõstet ex materia sublunari, quia corruptibilitas actualis respicit ens in existentia, quæ non cõuenit nisi singulari, optimè enim stat, quod potentia conueniat essentiæ secundum se; & quod actus tantum ei conueniat in statu existẽtiæ; vt videre est in hominis natura, cui cõuenit in statu secundum se potentia ad intelligendum; & tamẽ actus intelligendi ei non competit nisi in statu existentiæ.

QVÆSTIO II.

Vtrum natura à parte rei habeat aliquam vnitatem formalem communem?

§. I.

Explicantur aliqua valdè vtilia.

1. VIdimus iam non dari naturam vniuersalem ab inferioribus separatam: nunc quod disputamus est, an detur natura, quæ habeat vnitatem pluribus communem?

2. Et vt clarius procedamus primo aduertendum est cum Magistro Arauxo lib. 3. metaphysicæ, quæst. 3. art. 3. quod cum vnitas sit passio entis: & in Petro, v.g. duplex reperiatur ens essentiale, seu formale vnũ; *vt animal rationale*; & indiuiduale, seu materiale aliud; *vt Petreitas*: sic in illo datur duplex vnitas; formalis vna, quæ dimanat ex principijs essentialibus, seu formalibus: & materialis alia, quę dimanat ex principijs indiuidualibus, seu materialibus.

3. Secundo est aduertendum, quod vnitas formalis dupliciter potest considerari, nam vno modo solet appellari vnitas formalis illa, quæ opponitur vnitati virtuali, aut fundamentali; & in hoc sensu omnis vnitas, quæ reperitur actu à parte rei, seu per operationem intellectus dicitur formalis: alio modo, & magis proprio appellatur vnitas formalis illa, quæ opponitur vnitati materiali, & numericæ; & in hoc sensu tantum vnitas, quę dimanat ex principijs essentialibus dicitur formalis.

4. Tertio est aduertendũ, quod sicut distinctio virtualis, aut fundamentalis propriè nõ est distinctio; sed distinctionis fundamentum, ita vnitas virtualis, aut fundamentalis propriè non est vnitas; sed vnitatis fundamentum; vtique quia res, quæ virtualẽ, seu fundamentalem habent vnitatẽ, actu, & realiter sunt distinctæ.

5. VItimo est aduertendum naturam posse in triplici statu cõsiderari: primò in statu secundum se, in quo dicit prædicata essentialia, & proprietates illis essentialiter connexas: secundo in statu contractionis, in quo natura actu est coniuncta cum singularibus: tertio in statu præcisionis, seu abstractionis, in quo natura concipitur sine singularibus, cum

quis

quibus in re est communicata.

6. Inter hos status est latum discrimen, nam quidquid positiuè cõuenit naturæ in statu secundum se, vel negatiuè ratione alicuius prædicati positiui, ei in omni conuenit statu; quod verò naturæ conuenit in alijs statibus, in statu secundum se non conuenit; immo nec quod conuenit in vno, conuenit in alio: vnde naturæ in statu secundum se nec conuenit singularitas, quæ ei in statu contractionis conuenit, nec vniuersalitas, quæ in statu abstractionis naturæ conuenit; sed ab illis tãquam à prædicatis accidentalibus abstrahit.

7. Dices: status naturæ secundum se importat prædicata essentialia à singularibus spoliata, sicut status præcisionis; ergo non sunt distincti. ¶ Respõdetur distinguendo antecedens, importat prædicata essentialia, diuerso modo, concedo antecedens, eodem modo, nego antecedens, & consequentiam, nam status secũdum se in recto importat prædicata essentialia naturæ, & in obliquo præcisionem; at vero status abstractionis in recto importat abstractionem, & in obliquo naturã: ex quo colliges statum naturæ secundum se non esse realẽ, sed rationis; etiam si natura, quæ est in tali statu, sit realis.

§. II.

Referuntur sententiæ.

8. Prima asserit naturam in statu secundum se habere quandam vnitatẽ realem, & positiuam ad essendum in pluribus, quã ad inferiora descendere non permittit. Ita Pater Fonseca 3. met. q. 3. sect. 2. & q. 5. sect. 2.

6. Secunda, quæ est subtilissimi Scoti, affirmat *naturam à parte rei ex se habere vnitatem formalẽ minorem vnitate numerica pluribus cõmunem; ita vt natura ex se non repugnet esse in alio, quam in eo in quo est.* Hæc sunt Scoti verba in 2. dist. 3. q. 1. num. 9. vbi respondet ad auctoritatẽ Damasceni. Scotistæ diuersimodè Magistrum interprætantes in pluribus modis dicendi sunt diuisi, nam aliqui asserunt Scotum sensisse eandem naturam à parte rei esse actu positiuè pluribus communem. Ita Antonius Andreas 5. met. q. 16. Paulus Venetus in philosophia, c. 20. Alij sentiunt naturã à parte rei habere ex se vnitatem formalem pluribus positiuè communẽ, non actu, sed aptitudine, quatenus ex se vt ex natura rei à conditionibus indiuiduantibus distincta non magis hanc, quam illam exposcit hæcceitatem. Ita Lichetus in 2. dist. 2. q. 1. §. adhuc. Alij qui magis accedunt ad mentem subtilis Doctoris, docent naturam contractam, & determinatam ad vnam singularitatem esse ex se negatiuè communem pluribus indiuiduis, nam quantum de se est non repugnat esse in indiuiduo alio, ab illo in quo realiter est. Ita moderni doctissimi.

10. Tertia docet naturam ex se habere repugnātiam positiuā, & negatiuam vt actu, vel aptitudine sit in pluribus per modum vnius; etiam si habeat vnitatem absolutam formalem, & positiuam, cui nec repugnet esse à parte rei in plurib⁹ per modum plurium, nec esse per intellectum vnā vnitate rationis relatiua. Hæc sententia est communis, licet his terminis ab omnibus non explicetur: expressè tamē defenditur à D. Tho. opusc. de ente & essentia, cap. 4. in cuius fauorem sit.

§. III.

Prima conclusio.

11. NAtura in omni statu habet vnitatē formalem, absolutam, realem, & positiuam, quā alij transcendentalem appellant. Est Diui Thomæ opusc. de natura generis cap. 7. vbi sic loquitur. *Vnde sciendum est, quod aliquando est vnitas à parte naturæ subsistēti intentioni vniuersalitatis præter istam, quam facit intellectus*; ergo ex mente Diui Thom. præter vnitatem relatiuam vniuersalitatis eō fictam ab intellectu datur in natura alia absoluta, & positiua.

12. Ratione probatur. Vnitas formalis (vt constat ex notabilibus) est entitas carens diuisione per principia formalia, sed *natura humana* v. g. in quocumq; statu cōsideretur, est entitas vera realis, & positiua carens diuisione per principia formalia, cum non possit vlterius diuidi per ninnibile & rugibile, vel per alia principia formalia; sed solum per principia materialia; ergo natura in omni statu habet vnitatem formalem absolutam, realem, & positiuam.

Confirmatur. Entitas carens diuisione per principia materialia est vna vnitate materiali positiua; ergo entitas carens diuisione per principia formalia erit vna nedum vnitate formali negatiua, sed vnitate formali positiua, sed natura specifica in omni statu caret diuisione per principia formalia, cum solum sit diuisibilis per diuersas singularitates; ergo natura specifica in omni statu habet vnitatem absolutam, realem, & positiuam.

13. Dices cum omnibus Thomistis naturam ante fictionem intellectus solum habere vnitatem formalem negatiuam à formali positiua distinctam in hoc, quod illa solum exposcit carentiam diuisionis per principia formalia; hæc verò vltra hanc exposcit carentiam diuisionis per principia materialia, quam carentiam natura in statu contradictionis non habet.

Sed contra est primo, nam hæc voluntaria solutio in primis non negat naturæ secundum se vnitatem positiuam, cum in illo statu careat diuisione per principia materialia; ergo consequenter hæc vni-

vnitas non valet denegari naturę in omni statu. Probo hanc consequentiam, quidquid positiuè cõuenit naturæ secundum se, in omni statu debet ei cõuenire, (vt aduersarij docent contra Patrem Fonsecam) sed natura in statu secundum se habet iuxta hanc solutionem vnitatem formalem positiuam, cum in illo statu careat diuisione per principia materialia; ergo hæc debet ei in statu cõtractionis, & in omni conuenire.

Contra est secundo. Carentia diuisionis per principia materialia tribuit entitati (in opinione contrariorum) vnitatem numericam, seu materialem positiuam; ergo carentia diuisionis per principia formalia debet ei tribuere vnitatem formalem positiuam.

14. Obijcies primo. Natura fit positiuè vna ab intellectu; ergo non est realiter positiuè vna, nec in statu contractionis, nec in statu secundum se. Hæc consequentia constat ex Dino Thoma. cap. 4. de ente, & essentia: vbi expresse ait *natura ex se nec esse vnã, nec plures*; ergo non est realiter positiuè vna nec in statu contractionis, nec in statu secundum se.

Respondetur distinguendo antecedens, natura fit positiuè vna ab intellectu, vnitate relatiua, seu specifica formali, concedo antecedens, vnitate absoluta, seu specifica fundamentali, quã alij trãscendentalem appellant, nego antecedens; & distinguo consequẽs eodem modo; quando ergo Diuus Thomas docet naturam ex se nõ esse vnam nec plures, dico loqui de vnitate relatiua, quæ naturæ conuenit ex intellectus fictione. Ratio est, nam ibi loquitur de vnitate pluralitati oppositа, quæ solum est relatiua; non verò de positiua absoluta, quæ in individuis absque oppositione est pluri-ficata.

15. Obijcies secundo. Natura in statu cõtractionis est singularis; ergo à parte rei solum habet vnitatem numericam ab entitate *Petri* v. g. in quo non sunt duę entitates, sed vna, dimanantem.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequẽtiam: ad probationem inclusam distinguo antecedẽs, in Petro nõ dantur duę entitates, realiter entitatiuè distinctæ, concedo antecedẽs virtualiter distinctæ, nego antecedens, & consequentiã, nam in statu contractionis datur in Petro entitas specifica, à qua pullulat vnitas formalis positiua: & entitas numerica, à qua pullulat vnitas materialis.

16. Obijcies tertio. Vnitas formalis est eadem cum numerica; ergo potest de illa prędicari.

¶ Respondetur concedendo antecedens, & distinguendo consequens, potest de illa prædicari, identicè, concedo consequentiã, formaliter, nego consequentiam: nam sicut natura specifica identicè potest de propria hæceitate prædicari; sic vnitas formalis de materiali, cum qua identificatur.

17. Inqui-

17. Inquires primo: quomodo natura, quæ ex se est vnitate formali, absoluta, & positiua vna, fiat vna vnitate relatiua? ¶ Respõdeo esse vnã per esse *in* relatiũ relationis, nam relatio vniuersalitatis secundum esse *in* reddit naturam vnam, & secundum esse *ad* illam refert ad inferiora: nã sicut in diuinis eadem relatio secũdum esse *in* relatiuum constituit primã personam, & secundum esse *ad* refert illam ad secundam: sic genereitatis relatio v.g. secundum esse *in* facit naturam animalis vnã: & secundum esse *ad* refert illam ad species.

18. Inquires secundò, quid hęc vnitas relatiua addat supra vnitatem absolutam. ¶ Respondeo addere exigentiam positiuam ad essendum in pluribus, nam natura ex se vt vna vnitate absoluta, & positiua solum habet non repugnantiam ad essendum in pluribus; at verò vt vna vnitate relatiua dicit exigẽtiam ad formalitatem *ad* relationis, per quam plura respicit: vnde licet vt vna relatiuè non sit positiuè apta ad essendum in pluribus, neque ad illa positiuè ordinetur (quod idem est) tamen pro aliquo priori rationis exigit per formalitatem *in* hãc aptitudinem positiuam, formaliter ei communicatam, per formalitatem *ad* ipsi relationis.

§. IV.

Secunda conclusio.

19. Natura in statu secundum se, vel solitudinis nullam habet vnitatem realem, & positiuã ad inferiora non descendentem. Est contra Patrem Fonsecam. Et probatur primò, nam secundum communem Philosophorum cõsensum omnis formalitas positiua, quæ naturæ conuenit in statu secundum se, debet ei in omni statu conuenire; ergo impossibilia proponit Fonseca, dum ex vna parte docet hanc vnitatem realem, & positiuam conuenire naturæ secundum se; & ex alia ait non descẽdere cum natura ad indiuidua.

20. Secundo, nam illud est prædicatum reale, quod conuenit rei à parte rei, hoc est, in statu existentiæ, sed Pater Fõseca ait hãc vnitatem esse realem; ergo tenetur concedere naturæ conuenire in existentia, quę solum competit indiuiduo; implicatorium enim est, quod aliquod prædicatũ positiuum, & reale conueniat essentiæ secũdum esse essentiæ, & quod non conueniat secundum esse existentiæ.

Confirmatur. Implicatoria asserit Fonseca, dum dicit illã vnitatem realem esse, & non posse existere à parte rei, quia illud dicitur ens reale existens, quod à parte rei veram, & realem habet existentiam, & illud dicitur ens reale possibile, quod à parte rei potest existere, quamuis realiter non existat, sed huiusmodi vnitas neque existit, neque potest realiter existere; ergo nullo modo est rea-

realis, & vera, sed fictitia, & chimerica; ergo implicatoria asserit Fonseca, dũ ex vna parte ait hãc vnitatẽ esse realem, & ex alia affirmat non posse existere à parte rei.

21. Tertio probatur. Omnis vnitas realis vel est formalis, vel materialis, cum omne ens, quod in *homine* v. g. valet reperiri sit formale, vel materiale, sed hæc vnitas, quæ ad inferiora non descendit (vt admittit ipse Fonseca) neque est formalis, neque materialis; ergo est vnitas ab ipso, absquè fundamento conficta.

22. Dices cum Patre Fonseca, Diuum Thomã esse pro suo modo dicendi opusc. 42. cap. 8. vbi sic ait. *Quod natura ante omne esse, quod habet in intellectu, & indiuiduis, habet quandam vnitatem, quæ cũ ea ad inferiora non descendit*; ergo secundum mentem Angelici Aquinatis naturæ secundum se cõuenit vnitas cõmunis; vtiq; quia quælibet alia vnitas descendit ad inferiora.

Respondetur D. Thomam loqui de vnitate vniuersali, & relatiua, quę naturæ secundum se negatiuæ conuenit absque eo, quod ad inferiora cum tali vnitate descendat, hęc enim vnitas negatiua solum cõsistit in hoc, quod natura careat prædicato tali vnitati opposito, scilicet multiplicitati, cum ergo natura secundum se nõ sit multiplicata in indiuiduis vnitati relatiuæ oppositis; hinc est, quod secũdum se habeat hanc vnitatem negatiuam, quia indiuiduis caret; & quod in indiuiduis illam non habeat, quia cum illis est.

Nec hic habet locum illud cõmune, *quidquid conuenit naturæ secundum se, debet ei in omni statu cõuenire*. Nam hoc proloquium solum habet locum in prædicatis positiuis, quæ naturæ conueniunt secũdum se, vel in negatiuis, quę dimanant ex forma positiua, quæ ei in tali statu positiuè conuenit; non vero in negatiuis, quæ solum verificantur de illa, quia non habet formam oppositam: vnde idẽ est esse vniuersalem, vel vnã vnitate relatiua negatiuè, ac non esse singularem: & idem est esse negatiue singularẽ, ac non esse vniuersalem; sicut enim per vniuersalitatem naturæ per intellectum aduenientẽ, amittit singularitatem negatiuam; sic per singularitatem à parte rei ei aduenientem amittit vnitatem negatiuam.

23. Replicauis. In hac propositione: *natura secundum se est negatiuè vniuersalis, vel vna relatiuè*, natura supponit personaliter; ergo valet descẽsus ad inferiora. ¶ Respondetur negando antecedens, nam prędicatum non appellat supra naturã absolute, quod est necessarium ad suppositionem personalem; sed supra illam restrictè sumptã in solitudinis statu. ¶ Instato argumentum, in hac propositione *natura secundum se non est singularis*, natura non supponit personaliter, non alia ratione, nisi

quia

quia absolute non appellat supra significatū naturæ; sed supra naturam reduplicando statum.

24. Ex quo deduces aliā regulam ad cognoscendum id, quod naturæ debet in omni statu conuenire, nam quidquid naturæ secundum se conuenit ratione sui, & non ratione status, id in omni statu debet ei conuenire; at vero quod ei conuenit ratione status, non debet ei in omni statu conuenire: aliàs non posset ab statu secundum se exire.

§. V.

Tertia Conclusio.

25. NAturę materiali, seu vniuersali fundamentali ex se repugnat esse à parte rei in pluribus per modū pluriū: quod idē est ac dicere, quod naturæ in omni statu reali repugnat vnitas formalis pluribus cōmunis. Est cōtra Scotū, & suos discipulos. Et pro ei' inteligētia nota ex D. Th. 1. p. q. 50. art. 4. naturas spirituales completas, esse ex se pluribus incommunicabiles; ita vt eis repugnet capacitas, vt pluribus realiter communicentur: & à contrario naturas materiales esse ex se pluribus communicabiles; ita vt in eis detur capacitas ad minus negatiua, vt pluribus saltim per modum plurium realiter communicentur: rationemque assignat, quia illę carent materia qua istę constant.

26 Nota secundo vnitatē formalem negatiuam consistentem in non repugnantia ad essendum in pluribus bifariè posse naturæ cōuenire. Primo ad essendū realiter in illis per modum plurium, in qua acceptione libēter tribuo naturę in statu secūdum se vnitatem realem negatiuam; non vero in statu contractionis, quia in hoc statu taliter est determinata per differentiam individualem, vt sit alteri positiuè incommunicabilis. Hanc doctrinā accepi ex Philopho. 7. met. tex. 45. contra Platonē, vbi sic ait. *Substantia cuiusq; rei est propria illi, cuius est, & nō in est alij.* Secundo in ordine ad essēdū in pluribus per modū vnius, quę non repugnantia etiam potest dupliciter accipi; vel in ordine ad statum contractionis, vel in ordine ad statum præcisionis. Scotistæ cum Scoto naturę ratione sui concedunt hanc vnitatē formalem negatiuam per ordinē ad statum cōtractionis, nunc cōsiderando illam in statu secundū se, nunc in statu contractionis, prout distinctam ex natura rei à propia hęcceitate: Thomistę vero cum Angelico duce solum cōcedunt vnitatem relatiuam similem huic per ordinem ad statum præcisionis.

27. Quibus suppositis prima pars cōclusionis, scilicet, quod ea dē natura actu non sit vna in inferioribus, constat ex auctoritate Philosophi supra allata, & etiam ex dictis in summulis, libr. 1. cap. 19. de

19. de appellatione. n. 11. nã nomina numeralia concretis substãtiuis applicata non solum multiplicant significatum materiale, sed formale; ergo vt sint plures homines v. g. non sufficit quod hęcceitates sint distinctæ; sed vlteriꝰ requiritur quod humanitates sint realiter distinctæ. ¶ Cõfirmatur. Ex eo in diuinis non sũt tres dij, sed vnus Deus; quia eadẽ natura diuina in tribus suppositis est actu vna; ergo si natura humana est in omnibus indiuiduis actu vna, non erunt plures homines, sed vnus homo, quod est ridiculum.

28. Quoad secundam partem, scilicet, quod nec positiue, nec negatiue sit apta ad essendum in plurib⁹ per modum vnius, probatur. Potentia positiua positiue ordinatur ad actum, cùm secundum Philosophum frustranea sit potentia, quę nõ reducitur ad actum; & etiã non repugnãtia, quæ est capacitas ad aliquid, habendũ est frustanea, quando non potest haberi id, ad quod est illa capacitas, sed eadem natura nunquam est actu in plurib⁹ indiuiduis per modum vnius; imò nec per potẽtiam Dei absolutam potest esse; vt constat ex dictis; ergo in illa non solum non datur potentia, & non repugnantia, seu capacitas; sed datur in potentia, incapacitas, & repugnantia ad essendum in illis per modum vnius.

29. Dices pro Scoto. Naturę specificatiuè contractę non repugnat esse successiue in alio indiuiduo distincto ab eo, in quo est: non aliter ac materiæ primæ sublunari specificatiuè determinatæ per formã ad vnam speciem non repugnat esse in alia specie per aliam formã. ¶ Cõtra est primo, quia materię sublunari nõ repugnat esse specificatiue sub alia forma, ideo de facto, & successiuè sub diuersis est formis; sed humanitati Petri, v. g. repugnat trãsitus ad hæcceitatẽ Ioãnis, nisi velit Scotus approbare Pythagoricum delirium de transmigratione animarum de vno corpore ad aliud; ergo hæc non repugnantia, quam naturę concedit, vt repugnãs debet reijci. ¶ Cõtra est secundò, natura actuata per hæcceitatẽ Petri ita est realiter per illam determinata, vt non sit entitas, vel formalitas à singularitate ipsius realiter distincta, sed singularitas Petri non potest per Pauli singularitatẽ iterũ actuari, seu determinari; ergo nec natura ipsius, cum ab illa nulla reali distinctione distinguatur.

30. Ex dictis constat vltima pars nostræ conclusionis, vam ex eo naturæ ex se repugnat capacitas ad essendum in pluribus per modum vnius, quia per nullã potentiam potest hęc quasi potẽtia passiua ad actum reduci, sed hæc natura potest, immo de facto est in pluribus per modum plurium; ergo secundum se habet nõ repugnantiã ad essendum in pluribus per modum plurium.

31. Ob-

31. Obijcies. Ex eo natura angelica non est à parte rei in pluribus indiuiduis, quia ex se, vel secundum se non habet positiuã aptitudinem ad essendum in illis, sed natura humana à parte rei est in pluribus indiuiduis; ergo ex se vel secundum se habet aptitudinem positiuam ad esendum in illis. ¶ Respõdetur negando maiorẽ, nam naturam angelicã non esse à parte rei in pluribus per modum plurium nõ dimanat ex carentia aptitudinis positiuę ad essendum in illis; sed ex carentia materiæ, in natura humana essẽtialiter repertæ.

§. VI.

Prima sententia argumenta.

32. PRimum pro Fonseca sic se habet. Natura humana, v.g. non solũ quatenus cõtracta, nec solũ quatenus abstracta; sed etiam quatenus ex se, vel secundum se pręcissa à differentijs indiuidualibus, habet vnitatem realem, cum vt sic non sit plures, nec vna; ergo natura secundum se habet hanc vnitatem pręcisionis ad indiuidua non descendentem.

Respondetur distinguẽdo antecedens, natura secundũ se habet vnitatem realem, absolutã, concedo antecedens, relatiuam, nego antecedens, & consequentiam, nam talis vnitas absoluta (vt dixi in prima conclusione) est etiã in ipsis in diuiduis, cũ hęc ratione essẽtię dicat carentiã diuisionis per principia formalia: vnde fictitia est vnitas alia, quę ad inferiora non descendat, quia (vt constat ex secunda conclusione) omne id, quod positiuè conuenit essentiæ ratione essentiæ, debet ei in omni statu conuenire.

33. Secundũ sic procedit. Omnis natura est prior suis accidentibus, sed singularitas, & vniuersalitas sunt naturę accidentia, cũ sine illis valeat inueniri in statu secundum se; ergo vt sic habet aliquam vnitatem ad indiuidua non descendentem; vtique quia in tali statu est ens, ad quod aliqua sequitur vnitas.

Respondeo distinguendo maiorẽ, omnis natura est prior suis accidentibus physicis, concedo maiorem, metaphysicis; iterum sub distinguo maiorem, est prior suis accidentibus metaphisicis, prioritate rationis, concedo maiorem, prioritate reali, nego maiorem; & distinguo minorem, singularitas, & vniuersalitas sunt naturę accidentia methaphisica, concedo minorem, physica, nego minorem, & consequentiam, nam licet secundum se natura, vt præcisa ab his accidentibus sit ens, & vna, tamen non est vna, nisi vnitate absoluta positiua, & reali ad inferiora descendente; vt dixi in prima conclusione.

34. Tertium sic proponitur à Patre Fonseca. Impossibile est, quod aliquid multiplicetur, nisi prius sit in se vnum, sed natura rea-

realiter multiplicatur in indiuiduis; ergo prius fuit ſecundum ſe vna; non vnitate numerica, nec vniuerſali; ergo alia vnitate numericę vnitati oppoſita.

Reſpõdetur diſtinguẽdo maiorem: impoſibile eſt, quod aliquid multiplicetur, niſi prius ſit vnum, prioritate ſemper reali, nego maiorem, prioritate reali, vel rationis, concedo maiorem, & minorem; & nego vtramque conſequentiam; nam vt natura plurificetur indiuidualiter in ſingularibus, non eſt opus, quod in aliquo ſtatu habeat vnitatem vnitatibus numericis oppoſitã; ſed ſat eſt, quod habeat in ſtatu ſecũdum ſe, qui rationis eſt, vnitatem formalem cum indiuiduali, identificatam in ſtatu contractionis.

§. VII.

Argumenta ſecundæ ſententiæ.

35. PRimum pro Scoto ſic ſe habet. Natura ſecundum ſe eſt poſitiuè pluribus communis; ergo eſt vna, & vniuerſalis à parte rei. Conſequentia eſt certa: antecedens probatur, natura ſecundum ſe non eſt determinata, & cõtracta: alias non poſſet multiplicari; ergo ſecundum ſe eſt indifferens.

Reſpondetur negãdo antecedens, quia natura ſecundũ ſe nec dicit communitatem, nec ſingularitatem; ſed tantum prędicata quidditatiua, & eſſentialia, quibus accidẽtaliter aduenit, & determinari per ſingularitatem, & vniuerſalia fieri per intellectus operationem: vnde talis natura ſecundum ſe ſolum habet indifferentiam negatiuam, ſeu non repugnãtiam ad eſſendum realiter in pluribus, per modum plurium, & per rationem ad eſſendum in illis per modum vnius.

36. Secundum. Communicabile pluribus poſitiue, & incommunicabile pluribus poſitiue ſũt contradictoriè oppoſita; ergo de quacumque re negatur vnum, affirmatur aliud, ſed natura humana, v. g. non eſt ex ſe poſitiuè incommunicabilis, ſiquidẽ pluribus poſitiuè communicatur, & ab actu ad potentiam eſt legitima conſequentia; ergo eſt ex ſe poſitiuè communicabilis pluribus; ergo de ſe eſt vna, & vniuerſalis. ¶ Reſpõdetur diſtinguendo antecedens, communicabile, & incommunicabile pluribus poſitiuè ſunt contradictoriè oppoſita, inter ſe, concedo antecedens, reſpectu tertij; iterum ſub diſtinguo antecedens, reſpectu tertij, ſpecificatiuè ſumpti, cõcedo antecedens; reſpectu tertij, reduplicatiuè accepti, nego antecedẽs, & conſequẽtiam, in ſenſu diſtinctionis, nam natura ſecundum ſe nec eſt poſitiuè communicabilis, nec poſitiuè incommunicabilis, & ratio eſt, nam ſi ſecundum ſe eſſet poſitiuè communicabilis pluribus, etiam in ſtatu contrac-

tionis esset positiuè communicabilis pluribus, cum in statu contractionis debeat ei conuenire id, quod illi conuenit in statu secundum se; & è contra, si secundum se esset positiue incommunicabilis, nullo modo in statu cõtractionis posset cõmunicari indiuiduis, quod magis implicat; ergo secundum se nec dicit vnũ, nec aliud: non aliter ac album, & non album sunt termini contradictoriè oppositi; & tamẽ neuter conuenit homini essẽtialiter: vnde non valet consequentia; homo secũdum se non est albus; ergo homo secundum se est non albus, quia nec albedo, neque non albedo sunt de essentia hominis.

37. Dices primo: natura à parte rei non est pluribus in cõmunicabilis; ergo est pluribus communicabilis. Consequentia est certa, quia de quacumque re negatur vnum extremum oppositionis contradictoriæ, affirmatur aliud, si argumentum proponitur sine reduplicatione: antecedens probatur, quia si natura à parte rei esset incommunicabilis pluribus non communicaretur actu, sed actu communicatur; ergo nõ est incommunicabilis illis, vtiquè quia (vt dixi) ab actu ad potentiam legitima est consequentia. Respondetur distinguendo antecedens, natura à parte rei non est incommunicabilis pluribus, vt distincta, concedo antecedens, vt vna, nego antecedens, & consequentiam, in eodem sensu, nam natura dupliciter potest dici cõmunicabilis, vno modo propriè; ita vt eadem indiuisa manens pluribus positiuè communicetur: aliomodo impropriè à potentia productiua rerum similium, quæ inter se conueniunt, & distinguuntur, & à possibilitate, seu non repugnantia naturæ ad talem multiplicitatem: primò, modo natura non est actu communicata, nec valet consequentia ab actu ad potentiam: bene tamen secundo modo: aduersarij autem à communicatione impropria ad propriã argumentãtur: vnde nihil valet argumẽtum.

38. Dices secundo. Natura secundum se non est positiuè singularis; ergo est positiuè non singularis; vtique quia ex duobus contradictorijs vna debet ei cõuenire; præcipuè cum arguitur à negatiua de prædicato finito ad affirmatiuam de prædicato infinito.

39. Vt respondeas, nota cum ferè omnibus Thomistis, quod bifariè possumus argumentari à termino finito ad infinitum. Primo cum reduplicatione. Secundo sine illa; ad arguendum ergo sine reduplicatione tres regulæ obseruandæ sunt: prima est à negatiua ad affirmatiuam de prædicato infinito, non valet consequentia, nisi addatur constantia ex parte subiecti affirmatiuę propositionis, quia potest dari, antecedens verum, & consequens falsum;

sum; vt si dicas *homo non est albus; ergo homo est non albus:* quę quidem consequentia esset falsa, si nullus esset homo; vera tamen si addamus constantiam dicendo sic v.g. *homo non est albus, & homo est; ergo homo est non albus.* ¶ Secunda regula est ab affirmatiua de prædicato infinito ad negatiuam valet consequentia; vt si dicas *homo est non albus; ergo homo non est albus.* Cũ reduplicatione vero aliæ duæ regulæ obseruandæ sunt: prima ab affirmatiua de prædicato infinito ad negatiuam valet consequẽtia; vt si dicas *homo est non albus in quantum homo; ergo homo in quantum homo non est albus.* Vnde etiam si antecedens sit falsum, sequitur consequens verum propter modum arguendi. ¶ Tertia regula à negatiua ad affirmatiuã de prædicato infinito non valet consequentia vt si dicas *homo in quantum homo non est albus; ergo homo in quantum homo est non albus:* quare licet verum sit, quod homo in quantum homo non sit albus, tamen cõsequens est falsum, quia reddit hunc sensum falsum; de intrinseca hominis ratione est, quod sit non albus.

Igitur ad obiectionem respondetur negando naturam secundum se esse positiuè singularem, nam natura secundum se nec est positiuè singularis, nec positiuè non singularis; nec affirmatio vnius sequitur ex negatione alterius propter rationes dictas: & quia neutrum est de essentia naturæ: & etiam quia argumentum fit à negatiua ad affirmatiuam de prædicato infinito cum reduplicatione, quæ denotat vtrumque esse de essentia naturæ, quod est falsum; vt constat in exemplo de albo, & non albo respectu hominis secundum se.

40. Tertium argumentum pro Scoto est huiusmodi. Petrus, & Paulus à parte rei non distinguũtur in natura; ergo sunt vnum in illa; vtique quia à parte rei sunt formaliter indiuisi. Antecedens probatur, maiori distinctione distinguitur Petrus à Bucephalo, quam à Paulo, sed à Bucephalo distinguitur in natura; ergo à Paulo nõ distinguitur in illa; præcipuè cum eadem definitione sint definibiles.

Vt respondeas nota ex Caietano, cap. 4. de ente, & essentia, quod aliud est distinctio formarum; & aliud distinctio formalis. Prima enim denotat distinctionem in formis nõ causatam ab ipsis formis; sed ab alio in illis recepto, vel cum ipsis idẽtificato. Secunda vero denotat distinctionem in formis causatam ab ipsis formis, tanquam à principio: vnde distinctio formalis non solum dicit distinctionem formarum; sed diuersitatem, vel dissimilitudinem, quam distinctio formarum non dicit.

Quo supposito respondetur distinguendo antecedens, Petrus & Paul⁹ nõ distinguũtur in natura, distinctione formali, concedo an-

tecedens, distinctione formarum, nego antecedens, & consequentiam: ad probationem concedo maiorem, & minorem; & distinguo consequens, Petrus à Paulo non distinguitur in natura, ratione ipsius naturæ, concedo consequentiam, ratione singularitatis, nego consequētiam: ratio autem quare Petrus, & Paulus sunt eiusdē speciei non est, quia solum habent singularitates distinctas, cum ratione harum humanitates sint etiam realiter distinctæ; sed quia distinctio nō dimanat ex humanitatibus cum diuersitate, & dissimilitudine; quo modo dimanat ex naturis Petri, & æqui; dicuntur enim indiuidua eiusdem speciei, in quantum vnitas opponitur dissimilitudini, vel diuersitati; non vero quatenus opponitur distinctioni. Nec obstat quod vnica definitione definiantur indiuidua eiusdem speciei, nā à parte rei solum sunt fundamentaliter definibilia, in quantum intellectus potest hāc naturam abstrahere, & formaliter definire; definitio enim vnitatem exposcit definiti, quā natura in indiuiduis non habet.

41. Quartum. Singulare datur à parte rei; ergo vniuersale, cum singulare, & vniuersale sint correlatiua. Confirmatur. Natura, quæ est à parte rei, prædicatur de indiuiduis; ergo vt est à parte rei de illis prædicatur.

Ad argumentum respondetur distinguendo antecedens, singulare datur à parte rei, primò intentionaliter, concedo antecedens, secundo intentionaliter, nego antecedens; & eodem modo distinguo consequens, nam singulare solum secundo intentionaliter, (in quo sensu non est à parte rei) est vniuersali oppositum; & est vniuersalis correlatiuum: quare in eo sensu, in quo datur à parte rei singulare, datur etiam & vniuersale.

Ad confirmationem distinguo antecedens, natura, quę est à parte rei, prædicatur de indiuiduis, *vt quod*, concedo antecedens, *vt quo*, nego antecedens, & consequentiam; nam licet verum sit, quod prædicetur *vt quod* natura, quæ est cum inferioribus identificata; tamen ratio prædicandi est vniuersalitas, quam accipit ab intellectu.

42. Quintum. Vniuersale est obiectum intellectionis, sed obiectum antecedit actum; ergo natura est actu vna, & apta ad essendum in pluribus, antequam accedat ad statum præcisionis.

Respondetur primo concedendo maiorem, & distinguendo minorem, obiectum antecedit actum, in genere causæ formalis extrinsecæ vel finalis, concedo minorem, in genere causæ efficientis extrinsecæ, nego minorem, & consequentiam; non enim datur repugnantia in hoc, quod eadem res in diuerso genere causæ sit prior, & posterior. Si enim hoc argu-

argumentum aliquid probaret, probaret etiam nullam scientiã, vel potentiam posse suum obiectũ efficienter producere. ¶ Secũdo respondetur obiectum intellectus non esse vniuersale formale, sed fundamentale in rebus existens; quamuis per modum conditionis exigat abstractionem ab intellectu agente factã. ¶ Tertio respondetur, quod etiam admisso, quod vniuersale formale sit obiectum intellectus; tamen non esset opus, quod præsupponeretur existens in re ante intellectus fictionem; sed solum quod præsupponeretur possibile, quia potẽtia factiua, & habitus practicus non illud præsupponit existens; sed solũ possibile; vt videre est in omni arte sui obiecti productiua.

QVÆSTIO III.

Vtrum in quolibet singulari detur à parte rei aliqua distinctio inter gradus superiores, & inferiores, & singularitatem?

§. I.

Distinctionis vt sic membra.

1. PRæsens certamen inquirit, an ante fictionem intellectus detur aliqua distinctio inter gradus in quolibet indiuiduo siue substantiali, siuè accidentali repertos? in *Petro* v. g. dantur gradus substantiæ, corporis, viuẽtis, animalis, rationalis, & denique indiuidualis differentia, ex quibus humanum indiuiduum integratur, dicũtur enim gradus, quia cum sit vnus alio superior, in illis cognoscendis quasi ascendit, & descendit nostra indefessa intelligendi cupiditas.

2. Distinctio vnitati, & identitati opposita (quæ sicut vnitas est entis passio) essentialiter definitur *per carentiam identitatis*: diuiditur autẽ primò in distinctionem realem, & rationis: *distinctio realis est illa quæ reperitur inter extrema, quorum vnum à parte rei, seu ante operationem intellectus non est aliud*; vt inter Petrum, & Paulũ est distinctio realis, quia à parte rei est verum dicere Petrum non esse Paulum. *Distinctio rationis est illa, quæ reperitur inter extrema, quæ à parte rei sunt idem realiter, per intellectum tamen cognoscuntur vt distincta*; vt inter iustitiam, & misericordiam Dei datur distinctio rationis, quia etiam si à parte rei idem omnino sint; concipiuntur tamen ab intellectu creato vt distincta, & ab illo ratione huius distinctionis efformantur propositiones negatiuæ dicendo, *iustitia non est misericordia*.

3. Quod ergo talis distinctionis diuisio sit adæquata, probatur. Distinctio essentialiter consistit *in identitatis carentia*, seu quod idem est, *in hoc, quod vnum aliud non sit*, sed dupliciter tantum potest accidere, quod vna res non sit alia. Primo, dicendo negationem alterius ante omnẽ in-

intellectus considerationem. Secundo, dicendo illam non esse aliã per solam intellectus fictionem, concipiendo eandem indiuisibilem rẽ sub vna ratione per vnum actum, & sub alia ratione per aliũ, & non est imaginabilis alius modus dicendi negationem; igitur distinctio realis, & rationis sunt suprema, & adæquata capita, & membra diuidentia rationẽ communem distinctionis vt sic.

4. Dices. Ens distinguitur à nõ ente, sed nec distinguitur realiter, cum non ens realiter non sit; nec ratione, cum ante omne opus intellectus ens distinguatur à non ente; ergo non omnes distinctiones reducuntur ad reales, & rationis.

Respondeo negando minorem quoad primam partem: ad probationem dico ens à non ente distingui realiter negatiuè, quia re vera negatio entis nõ est ens, etiam nullo intellectu fingente.

§. II.

Realis distinctionis extrema.

7. Distinctio realis prima sui diuisione diuiditur in distinctionem positiuam, priuatiuam, seu negatiuã. *Distinctio realis positiua illa est, quæ versatur inter extrema realia positiua, quæ à parte rei non sunt idem*; vt inter Petrum, & Paulum. *Distinctio priuatiua, seu negatiua illa est, quæ versatur inter ens, & non ens*: vt inter lucem, & tenebras.

6. Distinctio ergo positiua realis est multiplex: alia enim est, quę versatur inter extrema, seu entia, quæ sunt à subiecto, aut supposito separata; vt inter Petrũ, & Paulum: alia est distinctio realis, quæ versatur inter ea, quæ vnum componunt, & sunt inter se vnica; talis est distinctio, quæ datur inter materiam, & formam, nam ante operationem intellectus materia non est forma, neque forma materia; hoc modo distinguũtur inter se partes cuiuscumque cõpositi, siue cõponant physicè vnum essentiale, siue vnum accidentale & hetereogeneũ, quod tale dicitur, quando totum non est eiusdem rationis cum partibus; vel vnum homogeneum, quod tale etiam dicitur, quando partes sũt eiusdem rationis cum toto. Alia distinctio realis est, quæ versatur inter totum, & partẽ, ex qua coaluescit, quæ communiter appellatur includẽtis, & inclusi: quæ etiã realis est, nam licet totum includat quamcumque partem, ex qua componitur; tamen ante omne opus intellectus totum non est illa pars, nec pars est totum: & hæc distinctio datur inter partes cuiuscumque compositi siue substãtialis, siuè accidentalis, siue homogenei, siue ethereogenei.

§. III.

Distinctionis rationis brachia.

7. Rationis distinctio primo diuiditur in distinctionem ratio-

rationis ratiocinatæ, & ratiocinantis. *Distinctio rationis ratiocinatæ est illa, qua eandem rem diuidimus in diuersos conceptus obiectiuos inadæquatos, quorũ quilibet nõ adæquat quidquid in tali re est cognoscibile*, ad quod est fundamentum ex parte rei conceptæ; vt quando concipio in homine animal, & rationale diuersis cõceptibus, quorum quilibet non adæquat quidquid in homine est cognoscibile, nã homo non tantum est animal; aut rationale; sed animal rationale. Distinctio vero rationis ratiocinantis illa est, ad quam nullum in rebus conceptis inuenitur fundamentum, vt ab intellectu concipiãtur vt distinctæ, quod accidit, quando idem, quod concipitur in vno distinctionis extremo, in alio etiam concipitur; vt quãdo idem diuersis conceptibus cognoscitur secundum totum, quod habet à parte rei; vt si dicat: *homo est homo, Paulus est Paulus*: vbi idem, quod in subiecto cognosco in prædicato, & sine fundamẽto distinguo Paulum à se ipso, denominando illum in vno cõceptu subiectum, & in alio prædicatũ. Sed quia hoc distinctionis membrum parum est vtile ad scientias, censuit Pater Vazquez 1.p.disp. 117. cap. 3. non esse annumerandum inter extrema distinctionis rationis, vt sic, quia in propositione: *Paulus est Paulus* nõ iudicat dari distinctionẽ rationis; sed quãdam repeticionem eiusdem nominis, & conceptus.

Verum quamuis certum sit dari distinctionem rationis ratiocinãtis parum vtilem, & doctrinalem esse; falso tamen asserit Vazquez non esse membrum distinctionis rationis, vt sic, nam quando dicimus: *Paulus est Paulus* non concipimus puram repetitionem eiusdem conceptus, repetitio enim consistit in hoc, quod eadem res semel atque iterum concipiamus; vt si dicam': *Paulus & iterum Paulus*: in quo modo concipiendi, & denominandi nõ applicãtur Paulo diuersæ denominationes, neq; ad modum rerum distinctarum concipitur; at verò quando dicimus: *Paulus est Paulus* diuersa denominatio conuenit Paulo prout primo conceptu significatur, & diuersa prout secundo, nã in primo accipit denominationem subiecti, & in secunda prædicati; ergo non solum est repetitio eiusdẽ cõceptus; sed etiam datur distinctio, quam intellectus effornat eiusdem à se ipso, concipiens alio, & alio modo.

Explicatur, & declaratur hæc ratio. Aliud est rem aliam pluries concipere, & aliud illam vt plures cõcipere. Primum solum est quẽdam eiusdem rei repetitio. Secũdum vero necessario dicit aliquid distinctionis; alias non vt plures conciperetur; ergo quando formamus hanc propositionem; *Paulus est Paulus*; non solum Paulum iterum atque iterum cõcipimus; sed etiã eum ad modum plurium intelligimus: tum quia ei tribui-

mus denominationes subiecti, & prædicati: tum quia illum concipimus ex parte subiecti per modum materiæ, & potentiæ, & ex parte prædicati per modum formæ & actus; ergo non solum datur eiusdem rei repetitio; sed etiã eiusdem rei distinctio.

§. IV.

An sub distinctione reali sit modalis?

9. VT certum suppono cum meliori sentẽtia dari modos reales dependentes à rebus, quas afficiunt, nam in omnium opinione subsistentia est modus substantialis afficiens, & cõplens naturam in esse suppositi: & in opinione Thomistarum existentia est modus extrahens essentiã extra omnes suas causas. Núc quod in hoc §. dubitamus est, an hæc distinctio sit realis? nam non desunt, qui dicunt se non percipere prędictam modorum realitatem vt distinctam à re, quã afficiunt.

10. Sed hoc non obstante tenendum est, distinctionem modalem esse à parte rei sub extremo realis distinctionis. Probatur. Distinctio inter ens, & non ens stat sub distinctione reali; ergo inter ens & entis modum potiori iure debet esse sub eodem distinctionis realis extremo. Antecedens admittitur ab aduersarijs; consequentia vero probatur; si propter aliquam rationem distinctio modalis non esset sub membro distinctionis realis, maximè quod vnum extremum est realitatis imperfectæ, sed maior est nõ entis imperfectio, & tamen talis distinctio est sub ente reali, quãuis cum addito nominetur distinctio realis negatiua; ergo nõ obstante imperfectione modi, distinctio quæ datur inter ens, & modum, erit sub distinctione reali, etiam si cum addito dicatur modalis. Explicatur, & declaratur hæc ratio. Ex eo distinctio negatiua realis est, quia datur à parte rei ante intellectus fictionem, sed modalis distinctio etiam datur à parte rei ante intellectus fictionem; ergo est realis.

Dices primò. Omnis res, quæ ante operationem intellectus est distincta ab alia, essentiam, & entitatem distinctam ab illius essẽtia habet; ergo omnia illa, quæ distinguuntur ante intellectus fictionem, distinguuntur tanquam duæ res; ergo non datur modalis distinctio. ¶ Respõdetur distinguendo antecedens, omnis res, quæ ante intellectus operationẽ est ab alia distincta, habet distinctam essentiam & entitatem modi, vel rei, concedo antecedens, rei semper, nego antecedens & consequentiam, nam modi, licet trãscendentaliter participent rationem entis; tamen propriè non sunt res; sed entis affectiones.

12. Dices secundo. Vbicunquè est distinctio realis positiua ante intellectus opus, sunt duo extrema

ma realia; ergo quodlibet illorū est ens reale per modum rei. Probo consequentiam, quidquid ens rationis non est, ens reale debet esse: sed ens, & res sunt conuertibilia; ergo vbicumquè est pluralitas entium, est etiam pluralitas rerum; tunc sic in his quæ distinguuntur positiuè ante intellectus fictionem, datur pluralitas entiū, & distinctio inter ens, & ens, ergo similiter datur pluralitas rerum: & distinctio inter rē & rem; ergo omnis distinctio, quæ datur ante operationem intellectus, est inter rem & rem. ¶ Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam: ad probationē distinguo maiorē, quidquid ens rationis non est, debet esse ens reale, per modum rei, vel modi, concedo maiorem, per modum rei semper, nego maiorem; & distincta minori eodem modo nego consequentiam, nam res nō conuertitur cum omni ente; sed cum ente perfecto, quod per se, & ratione sui habet esse: modus autem per se, & ratione sui non participat rationem entis; & ideo nō obtinet rei perfectionem.

§. V.

Fundamenta distinctionis rationis.

13. IN præsenti solum dubitamus de fundamento requisito ad distinctionem rationis ratiocinatæ, nā in confesso est apud omnes distinctionem rationis ratiocinantis nullum intrinsecum supponere fundamentum in reb⁹, quæ distingui dicuntur, sed intellectum sua virtute facere illā solo supposito extrinseco fundamēto, ad cuius normam distinctionem hanc efformat.

14. Non omnes conueniunt in fundamento ad distinctionem rationis ratiocinatæ requisito, nam aliqui existimant varietatem actuum inadæquatorum, seu cōceptuum de eadem re habere pro fundamēto distinctionem realem extrinsecam. Huius sententię videtur esse Durandus in 1, dist. 2. q. 43. & aliqui recentiores, contra quos expresè est thomistica schola, vt videre est in Magistro Curiele in commentarijs ad q. 82. 1. par.

15. Alij vero affirmant necessarium non esse recurrere ad distinctionem aliquam realem; sed sufficiens reperiri fundamentum in ipsomet intellectu, qui propter limitatum modum cognoscendi, quo vtitur, dum res cognoscit nō quidditatiuè, & vt sunt in se, necesse habet vnam perfectionē rei sine alia concipere, quia vnico actu adæquare nō valet omnes obiecti perfectiones seu formalitates. Conuincuntur ad hoc, ex eo quod Deus non efficit distinctionem rationis cognoscens se ipsū, & creaturas, quia omnia cognoscit vt in se sunt: & ex eo quod Angelus cognoscit res naturales sine aliqua rationis distinctione,

quia eas vt in se sunt cognoscit; ergo si intellectus distinctiones rationis efformat, non est, quia in rebus adsit fundamentum; sed quia ob imperfectum modum cõcipiendi, & ob virtutis imbecillitatem non cognoscit res quidditatiuè, & vt in se sunt.

16. Sed quamuis verum sit ad distinctionem rationis ratiocinatæ requiri, tum distinctio realis, ad cuius normam distinctionem rationis efficiat intellectus, tum modus cognoscẽdi limitatus nostri intellectus; tamen has nõ esse adæquatas causas, vt intellectus plures conceptus distinctos formet de eadem re, manifestum est; nam si ad solam limitationem nostri intellectus, & extrinsecã distinctionem attendamus, non erit maior ratio, cur de vna eadẽque re, plures cõceptus, quam de alia noster formet intellect⁹, aut quare isti conceptus, & non alij sint bene fundati, nam limitatio nostri intellectus semper est eadem, & similiter extrinsecum fundamentum distinctionis (nẽpè res, quæ realiter distinguuntur) semper est idem; ergo de qualibet re eosdem posset formare cõceptus, & easdem confingere distinctiones, nisi attendamus ad intrinsecum rerum fundamentum; ergo vltra limitationem nostri intellectus, & extrinsecum distinctionis fundamentum, recurrendum est ad intrinsecum, quod præstant res, vt hoc, & non illo concipiantur modo.

Duplex ergo fundamentum in rebus ipsis reperitur, seu duplex distinctio virtualis, quam dum intellectus cõsiderat, efficit formalem, seu rationis. Primum fundamentum est eminentia rei intellectæ, seu perfectio naturæ in se cõtinentis plures perfectiones, seu formalitates, quæ in rebus inferioribus disperse sunt, iuxta illud; *quæ sunt in inferioribus dispersa, in superiori sunt contuncta.* Hoc modo natura diuina propter suam infinitam perfectionem in se ipsa adunat quidquid in rebus creatis est diuisum, & dispersum, nam omnis perfectio creata, cum sit finita, & dependens habet certos terminos, quos transilire non valet, nã sapientia creata, quæ finita est, habet limitatam entitatẽ, à qua excludit conceptum iustitiæ creatæ: vnde per diuersas entitates, & rationes formales habet creatura suam perfectionem integrã, & completam; at vero natura diuina, cum sit infinita, & illimitata in se includẽs omnes entis perfectiones, inde est, quod natura diuina, & iustitia diuina includãt in se misericordiæ, & cuiuslibet alterius attributi perfectionem. Cum igitur intellectus humanus has perfectiones diuinas agnoscat secundum limitationem, & distinctionem, quam habent in creaturis, & per species rerum creatarũ; ideo in Deo distinctiones format rationis, & intelligit misericordiam vt per rationẽ distinctam à iustitia: similiter cum intel-

intellectus humanus non valeat simul cognoscere omnes formalitates, seu perfectiones rei creatæ superioris, ideo illas cognoscit diuinum per species distinctas, vt sunt abillo cognitæ in rebus inferioribus, in quibus sunt dispersæ. v.g. cognouit noster intellectus in plantis perfectionem gradus vegetatiui per speciem distinctã ab ea, qua cognoscebat Leonem, in qua repræsentatur perfectio gradus sensitiui: & rursus in Leone cognouit perfectionẽ gradus sensitiui per speciem distinctã ab illa, qua cognoscebat Hominem, in qua repræsentatur perfectio discursiua: & sic quando accedit ad cognoscendum hominẽ, in quo propter eminentiam suæ naturæ adunat omnes harum rerum inferiorum perfectiones, vtitur earum speciebus, & cognoscit in homine has perfectiones, vt distinctas, & hoc modo formar distinctiones rationis.

17. Dices cum Durando. Essẽtia hominis à parte rei est vna indiuisibilis: sed vnitas, & indiuisibilitas non possunt esse distinctionis fundamentum; ergo in essentia hominis nullum datur intrinsecum fundamẽtum ad distinctionem rationis; ergo solum potest fundari in reali distinctione, ad cuius exemplar fit rationis distinctio. ¶ Respondetur distinguendo maiorem, essentia hominis est vna, & indiuisibilis, formaliter, concedo maiorem, virtualiter, nego maiorem, & distinguo minorem, vnitas, & indiuisibilitas non fundant distinctionẽ rationis, vnitas, & indiuisibilitas, tam formalis, quam virtualis, cõcedo minorem, formalis tantum, nego minorem, & vtramque consequentiam, nam in essentia hominis (vt videbimus infra in toto quæstionis discursu) datur à parte rei cum vnitate formali virtualis distinctio, seu continentia plurium formalitatum, in qua valẽt fundari distinctiones rationis ratiocinatæ.

18. Secundum fundamentum distinctionis rationis ratiocinatæ est fæcunditas diuersarum operationum, quando scilicet res vna propter suam eminentem virtutẽ præstat effectus, & exercet operationes, quæ ab alijs rebus diuanant; sit exemplum operatio vegetandi, quam elicit planta, & sentiendi, quam elicit brutum, & intelligendi, quam elicit Angelus ab vno homine diuanant propter eminentiam, quam in se præhabet. Et quod hoc sit fundamẽtum sufficiens ad hoc, vt noster intellect' distinctiones efformet rationis, constat ex modo intelligendi nostri intellectus, qui differt à modo intelligendi Angeli in hoc, quod Angelus incipit cognoscere rem à substantia, & essentia, & in illa, vt in radice operationes, & effectus contemplatur; at vero humanus intellectus incipit cognoscere rem ab operationibus, & per illas venit in cognitionem substantiæ, & essẽtiæ

qua-

quasi riuulos ad fontem; cum ergo diuersæ operationes diuersos de se petant formari conceptus, conceptus formatus de operatione sentiendi quo non attingitur operatio intelligendi, ad nihil aliud ex parte essentiæ cognoscēdum ducit intellectum nostrum, quam ad cognoscendum principium sentiendi, etiam si in homine, vtraquè operatio ab vno dimanet radicali principio: non aliter ac calefactio solum manudicit ad principium calefaciendi, & nō ad principium illuminandi, etiam si in luce Solis vnum sit radicale principium illuminandi, & calefaciēdi; ergo eadem res ad diuersos effectus, seu operationes comparata valet intelligi ab intellectu vt multiplex, quatenus intelligit, quod essentia hominis vt principium sentiendi non exprimit radicem intelligendi, & similiter quod vt principium intelligendi non exprimit radicem sentiendi.

§. VI.

Referuntur sententiæ.

19. SCotistæ in hac re asserunt gradus superiores, & inferiores in quolibet individuo repertos distingui inter se, & à sua singularitate nō distinctione media, minori distinctione reali, & maiori distinctione rationis ratiocinatæ (vt immerito Thomistæ existimant, indicantes Scotistas affirmare hanc distinctionem non esse sub distinctione reali, nec rationis) sed distinctione formali ex natura rei, sub distinctione reali vt sic contenta; quam Scotistę mediam vocant, non quia nō sit à parte rei ante intellectus operationem; sed quia aliquo modo mediat inter distinctionē realem rei à re; & inter distinctionē rationis ratiocinatæ; ad eum modum quo Thomistæ docent distinctionem modalem mediare inter distinctionem realem rei à re, & inter distinctionem rationis ratiocinatæ. Et quod hæc sit mēs Scoti constat ex 1. dist. 8. q. 4. vbi loquens de attributis diuinis docet diuina attributa distingui inter se, & à natura diuina formaliter ex natura rei his verbis. *Ad quæstionem respondeo, & dico, quod inter perfectiones essentiales non est tantum differentia rationis, sapientia enim in re formaliter, non est bonitas in re; est ergo ibi distinctio tertia præcedens intellectum omni modo: & est ista, quod sapientia est in re ex natura rei, & bonitas est in re ex natura rei; sapientia autem in re formaliter non est bonitas in re*; ergo ex mente Subtilis Scoti ante opus rationis datur à parte rei distinctio formalis ex natura rei.

20. Thomistæ vero cum Angelico Doctore pluribus in locis, præcipuè cap. 3. de ente, & essentia affirmant gradus superiores, & inferiores esse à parte rei inter se, & à sua singularitate indistinctos; nō solum in distinctione entitati-

titatiua; sed formali: solumque esse distinctione virtuali distinctos.

§. VII.

Prima Conclusio.

21. ACtu à parte rei nec natura distinguitur à singularitate, nec vn' gradus ab alio distinctione formali ex natura rei sed solũ distictione virtuali. ¶ Pro cõclusionis luce nota Scotistas affirmare gradus superiores & inferiores, esse inter se ex natura rei distinctos; non solũ, quia vna, & eadẽ entitas ratione suę perfectionis eminentialis sit in ordine ad diuersas operationes, in quo consistit distinctio virtualis; sed quia inter se sunt actu à parte rei formalitates intrinsece distinctę; ita vt ex illis fiat à parte rei rigorosa compositio, ab illis admissa, tam in rebus materialibus, quam in spiritualibus: hę autem formalitates ab omnibus Thomistis realiter indiuisibiles appellantur.

22. Thomistę, qui nostram defendunt conclusionẽ, hac ratione illã probãt. Distinctio vt sic est passio entis vt sic, sed ens vt sic adęquate diuiditur in reale, & rationis, cum nõ detur ens medium inter reale, & rationis; ergo distinctio vt sic adęquate diuiditur in distinctionem realem, & rationis, cum non detur distinctio media inter hoc, quod est esse, vel non esse, ante operationem intelectus distinctum.

23. Hæc ratio absq; dubio fingit hostẽ, quem feriat, nã scotistica schola cum suo Magistro nõ renuit concedere hanc distinctionem ex natura rei dari in formalitatibus eiusdem entitatis ante operationem intellectus, & cõsequenter esse realem secũdum quid sub distinctione reali, vt sic analogicè, vel vniuoce contentam: non aliter ac in schola thomistica accidens, ens secundũ quid appellatur, quia rationem entis non participat ea perfectione, qua substantia; & similiter distinctio modalis solet distinctio media appellari inter realem rei à re, & rationis; etiã si sit sub distinctione reali vt sic.

24. Quare hac ratione relicta sic propiam probo conclusionem ratione philosophica. Absque necessitate non sunt multiplicandę entitates, nec formalitates, sed vt constabit ex solutione argumentorum in pręsenti nulla datur necessitas multiplicandi formalitates eiusdẽ entitatis multiplicitate ex natura rei; sed solum multiplicate virtuali; ergo hæc distinctio graduum, vt superflua debet reiici.

Secundo probatur conclusio. Omnes gradus generici, & differẽtiales dimanant ab eadem forma simplici; ergo non possunt distingui inter se ex natura rei; vtique quia in eadem forma simplici nihil potest reperiri distinctum. Antecedens probatur, ab eadẽ natura humana, v.g. imo & ab

ab eadem anima rationali accipiuntur omnes gradus generici, & differentiales, sed anima rationalis est forma omnino simplex, & vna; ergo hi gradus non valent inter se ex natura rei distingui; ni dicas animam rationalē esse formam realiter ex pluribus formalitatibus compositam.

26. Tertio probatur ratione speciali. Distinctio formalitatum nequit dari absque distinctione entitatum, sed hęc ab Scotistis non admittitur; ergo nec illa debet admitti. Maior probatur, vnus gradus vt ex natura rei distinctus ab alio, nō est nihil, sed est aliquod ens; sed ratio entis, quæ reperitur in vno gradu nō est ratio entis, quę datur in alio; nisi enti cōcedas vnitatem à parte rei pluribus communem, dum fere omnes ei simplicem vnitatem denegant, adhuc per intellectus operationem; ergo inter gradus non valet dari distinctio realis ex natura rei.

27. Quarto. Humanitates Petri, & Pauli (in hac opinione) solum sunt distinctę ratione hęcceitatum, quę ex natura rei sunt ab ipsis humanitatibus realiter distinctæ; ergo istę humanitates solum sunt à parte rei accidentaliter distinctę; ergo essētialiter eadem humanitas est actu à parte rei in omnibus hæcceitatibus, quod nobiliores scotistę renuunt concedere.

28. Quinto. Secundum D. Thomam cap. 4. de ente, & essentia, vt animal prędicetur de homine non solum materialiter, sed formaliter, opus est, quod habeat cum illo nedum identitatem materialem, ad prædicationem materialem requisitam; sed formalē ad formalem necessariam; at *animal* in omnium opinione prędicatur formali prædicatione de homine; ergo cum homine identificatur, nedum entitatiuè sed formaliter.

29. Pater Fonseca pro Scoto respondet has prædicationes non esse veras formaliter; sed tolum esse veras suppositaliter, & personaliter, quatenus suppositū animalitatis, est suppositū humnitatis. ¶ Sed contra est primo, nā hęc solutio nequit ab Scotistis admitti, qui consequenter docent suppositum animalitatis esse actu ex natura rei distinctum à supposito humanitatis. ¶ Cōtra est secūdo, nam iuxta communem omnium Philosophorum consensum maiori rigore prædicatur *animal* de homine, ac *album* de dulci; sed hæc propositio *album est dulce* est vera propter vnitatem suppositi; ergo illa *homo est animal* propter vnitatem suppositi, & formalitatum, seu graduum simul. ¶ Contra est tertio, nam prędictę propositiones sūt in abstracto veræ; vt si dicas; *humanitas est animalitas, albedo est color*; ergo in his datur identitas non subiecti, quod non est; sed formalitatū, seu graduum, qui sunt; cum verbum *est* (adhuc in opinione Scoti denotet) iden-

identitatem.

30. Dices. Has propositiones esse veras propter identitatem entitatiuam graduum. ¶ Sed hæc solutio non eneruat vim nostræ rationis: tum quia (vt supra dixi) identitas entitatiua nequit compati, cũ distinctione ex natura rei graduum: tum quia hæc propositio: *homo est formaliter animal* erit falsa, cum formaliter à parte rei non sint idem.

31 Secunda pars nostræ conclusionis constabit ex argumentis Scotistarum, & nunc probatur. Tunc datur actu à parte rei distinctio virtualis in eadem entitate, seu formalitate reali, quando eadem formalitas potest considerari in ordine ad diuersos effectus, vel operationes, sed actu à parte rei natura *humana* V. g. respicit effectus, vel operationes specie distinctas (vt intuenti cõstabit) ergo actu à parte rei datur inter gradus vnius indiuidui distinctio virtualis.

§. VIII.

Secunda Conclusio.

32 A Parte rei vnitas formalis non est ex natura rei ante operationẽ intellectus distincta ab vnitate numerica. Sequitur ex prima, & illã sequuntur Soncinas 7. met. q. 4. Iauellus 8. met. q. 3. Caietan. de ente & essentia, cap. 4. Suarez, Toletus, & Sotus, & fere omnes recentiores.

33. Probatur primo. Ratio hominis non distinguitur ex natura rei ante operationem intellectus à ratione Petri, aut à ratione alterius indiuidui, in quo existit in rerum natura; ergo neque vnitas formalis distinguitur ante operationem intellectus ab vnitate numerica; vtique quia sicut se habet à parte rei ratio specifica ad singulare in quo est; sic se habet vnitas formalis, quę consequitur rationem specificam ad vnitatem numericam, quæ consequitur ad rationem indiuidualem.

34. Ad hanc rationem potest aliquis respondere negando consequentiam, quia non valet argumentum ab identitate essentiæ, aut graduũ essentialium ad identitatem passionum, quę ad ipsam essentiam consequuntur secundũ diuersitatem virtualẽ graduum; vt videre est in Paulo, in quo ratio corporis, & ratio animalis nõ distinguuntur ante operationem intellectus; & tamen quantitas, quæ consequitur in Petro rationẽ corporis; & potentiæ sensitiuæ, quę sequuntur rationem animalis realiter distinguũtur, est enim essentia radix, & causa passionum, & ab vna eademque simplici radice possunt dimanare effect' realiter distincti: vnde quamuis ratio specifica, & indiuidualis non distinguantur, vnitates, quę consequuntur huiusmodi rationes, realiter possunt distingui. ¶ Sed contra est, nam licet prædicta ratio habeat locum in alijs proprietati-

tatibus; tamen illum non habet in vnitatibus, quia vnitates solũ addunt supra ens, seu supra essentiam carentiam, & defectum; defectus autem, seu carentia nõ possunt distingui inter se à parte rei, nisi ratione positiuæ entitatis, quam consequuntur; reliquæ vero passiones consistunt in positiuo, & valent à parte rei distingui propter limitatum modum essendi, quem habent, etiam si ab eadem dimanent radice.

35. Iterum responderi potest, nam licet verum sit, quod negationes à parte rei proprie nõ distinguantur; tamen non sunt vnũ, & idem in rerum natura, quamuis in eodem reperiantur subiecto, vt constat in cæcitate, & priuatione auditus, quæ licet propriè non distinguantur; tamen nõ sunt realiter idem, quamuis in eodem homine vtraquè reperiatur priuatio; ergo similiter vnitas formalis, & materialis, quamuis propriè non distinguantur à parte rei; non tamen sunt idem realiter; vtique quia non minus repugnat negationib⁹ idẽtitas realis, quam distinctio realis. Sed huiusmodi solutiones non eneruant efficaciam nostræ rationis, quia vnitas (vt communis tenet sẽtentia) supra entitatem nõ addit negationem in recto, sed tantum in obliquo, quia *vnum* in recto dicit ens, connotando negationem; ergo si entitates à parte rei identificantur, etiam vnitates à parte rei erunt realiter idem, cum distinctio, & identitas semper sit attendenda per rectum, & non per obliquum.

36. Secundo probatur nostra conclusio. Impossibile est intelligere aliquid esse idem realiter, & non esse vnum realiter; ergo impossibile est rationem specificam esse idem realiter cum individuo, & quod non habet vnam, & eandem vnitatem à parte rei.

§. IX.

Tertia conclusio.

37. VNitas formalis, quæ est in Petro realiter distincta ab vnitate formali, quæ est in Francisco, vt talis non distinguitur ratione ratiocinata ab vnitate individua, & singulari Petri. Sequitur ex alijs; etiam si prima facie omnibus videatur opposita. ¶ Et pro illius elucidatione nota, quod sicut concipimus rationem hominis secundum se, & hunc, & illum hominem, scilicet Petrum, aut Franciscum, sic possumus concipere vnitatem formalem secundum se, & hanc, aut illam vnitatem formalem, quæ est in Petro, aut Francisco: & sicut ratio hominis secundum se distinguitur à ratione Petri ratione ratiocinata; non tamen ratio huius hominis, quia hic homo dicit prædicata essentialia hominis, & differentiam individualem, quę cõstituunt Petrum in esse Petri: sic ratio vnitatis formalis secundum se

se distinguitur ab vnitate indiuiduali ratione ratiocinata, sed hæc vnitas formalis nullo modo distinguitur ab vnitate indiuiduali, quia se habent sicut definitio, & definitum; nam hæc vnitas formalis explicat vnitatem indiuidualem, per rationem communē, & per rationem quasi differētialem; vnitas vero numerica dicit vtramque, non exprēssando vtrāque rationem.

38. Probatur primo cōclusio. Sicut se habet essentia hominis, ad Paulū, sic se habet vnitas formalis ad numericam, sed essentia hominis *vt hæc* concepta, non distinguitur ratione rotiocinata à Paulo; ergo nec vnitas formalis, quādo concipitur *vt hæc formalis vnitas*, distinguitur ratione ratiocinata ab vnitate numerica, & indiuiduali ipsius Pauli.

Explicatur hæc ratio. Hic homo & Paulus ratione ratiocinata nō distinguuntur; ergo nec *hæc vnitas formalis* distinguitur ratione ratiocinata ab vnitate numerica Pauli.

39. Secundo probātur conclusio, (vt constat ex quēstione præcedēti) A parte rei tot sunt vnitates formales numerice distinctæ, quot sunt indiuidua alicuius naturę; ergo à parte rei, & prout cōcipiūtur omnino determinatę, nō distinguuntur ab vnitate materiali; vtiquè quia de vnitate formali, quæ est in determinato indiuiduo, dicimus; quod *sit hæc*.

40. Ex his colliges primo particulam *Hæc*, significare limitatū modum essendi, quem habet vnitas formalis à parte rei, non vero limitatum modum essendi obiectiuum, quem potest accipere ab intellectu; nam aliquando naturam pluribus communē propter vnitatem, & modum essendi obiectiuum, quem habet ab intellectu, appellamus hanc naturam; sæpè enim dicimus: hęc ratio hominis, quæ de pluribus prædicatur, est vniuersalis, & vna positiuè; cæterum in his propositionibus particula *hæc* non significat limitatum modum essendi, quē habet à parte rei; sed solum, quem habet per rationis opus.

41. Colliges secundo, quod sicut quando prēscindimus per intellectum singularitatem à Paulo, nō manet Paulus, sed homo; sic quādo præscindimus vnitatem indiuidualem à formali, non manet vnitas numerica, sed tantum formalis: vnde sicut Paulus dicit rationem hominis determinatam per differentiam indiuidualem; sic vnitas indiuidualis dicit vnitatem formalem determinatam per vnitatem indiuidualem; quod explicatur conplexè per hunc terminum, *hæc vnitas formalis*.

§. X.

Scoti & Scotistarum obiectiones.

42. PRima sic procedit: prædicata cōtraria opposita nō

valent realiter fundari; in entitate à parte rei indiuisibili, respectu eiusdem termini, sed in Petro v. g. à parte rei fundantur prædicata cõtrariè opposita respectu eiusdem termini, cum sit similis Paulo ratione naturæ, & dissimilis illi ratione singularitatis: & similiter sit similis Bucephalo ratione animalitatis, & dissimilis illi ratione rationalitatis; ergo in Petro dantur formalitates ex natura rei distinctæ.

43. Aliqui Thomistæ recurrũt ad distinctionem rationis, & dicunt has formas cõtrariè oppositas posse fundari in entitate realiter indiuisibili, dũmodo per rationẽ sit diuisibilis in diuersas fõrmalitates. ¶ Sed cõtra est, nã hæ formę contrariè oppositæ dantur inter gradus anteuertẽter ad intellectus considerationẽ; ergo nõ valent fundari in formalitatibus per rationem distinctis: tum quia forma realis nequit fundari in aliquo rationis, neque ad sui existẽtiam indiget aliquo rationis ex parte fundamenti, seu causæ materialis: tum quia hæc distinctio est ipsis formis posterior, cũ prædictæ formæ sint in entitate reali anteuertenter ad intellectus fictionem.

44. Quare fere omnes Thomistæ cõfugiunt ad distinctionẽ virtualẽ, seu potentialẽ in rebus gradibus coalescentibus repertã. Sed non omnes vno ore loquuntur, nã aliqui ex his existimant hanc distinctionem virtualem esse sufficientem ad formas oppositas opãpositione contraria, & etiam cõtradictoria. Quod probãt ex Doctore Angelico 7. de potentia ar. 1. ad 5. vbi respondens D. Th. ad argumẽtũ pro Scoto à nobis propositum, sic fatur. *Ad quintũ dicendum, quod aseo, quod est idẽ re, & differens ratione, nihil prohibet cõtradictoria prædicari: vt docet Philosophus 3. physicorũ. Vnde constat, quod idem punctum re, differens ratione, est principium, & finis; & secundũ quod est principium, non est finis, & è cõtrario.* Hæc Diuus Thomas. Ex quibus verbis inferũt distinctionem virtualem esse sufficientem ad formas contrariè, & contradictoriè oppositas.

45. Sed licet verũ sit, quod distinctio virtualis sit sufficiens fundamẽtũ ad formas cõtrariè oppositas (vt constabit ex dicẽdis infra: cũ ad argumẽtũ respondebimus.) Tamen implicatorium est, quod possit fundare formas cõtradictoriæ oppositas. Primo, quia oppositio cõtradictoria ad distinctionẽ oppositionis contrariæ nõ respicit formalitates entitatis, sed ipsam entitatem: cum ergo implicatorium sit, quod eadem entitas sit, & non sit; sic implicatorium est, quod duæ contradictoriæ verificentur de eadem entitate, etiã si sit virtualiter multiplex. Consequentia est certa: antecedens probatur, nam lex, & natura cõtradictoriarum fundatur in hoc primo, & per se noto principio: *quodlibet est, vel non est*: quod vt

omi-

omnes summulistæ docent respicit entitatem, seu esse rei; ergo oppositio contradictoria respicit entitatem rei.

46. Secundò. Oppositio contraria versatur inter formas positiuas, at verò contradictoria versatur inter formam, & illius negationē; sed negatio, cum sit malignantis naturę remouet à subiecto omnē rationē formę; ergo formæ contradictoriè oppositę nō valēt reperiri in eodem subiecto; etiam si sit virtualiter multiplex.

Nec eis fauet D. Thom. loco supra allegato. Nā ipse (vt intuēti constabit) loquitur de oppositione cōtraria, & non de cōtradictoria, cum loquatur de cōmunicabilitate, quæ conuenit essentiæ diuinæ respectu triū personarū, & de incōmunicabilitate quę proprietati conuenit personali, inter quas solū reperitur oppositio contraria, & nō contradictoria; licet lato modo talis oppositio cōtradictoria dicatur à D. Th. quia de proprietate personali reduplicatiuè accepta valet dici, quod non sit cōmunicabilis: sed hæc magis est ad cognoscēdam naturam talis proprietatis personalis, quam ad asserendum oppositionem cōtradictoriam verificari posse de eadem entitate reali.

47. Vt ergo cū melioribꝰ Thomistis ad argumētum respondeā, dico distinctionem virtualem, seu potentialē solum sufficere ad fundandas formas contrariè oppositas; nam licet verum sit, quod istæ formæ ad inuicem se excludat in entitate omnino simplici, non tamē in entitate virtualiter multiplici, quia sicut eadem entitas propter multitudinem virtualem valet producere plures effectus; sic propter eandem multitudinem virtualem potest esse fundamentum similitudinis, & dissimilitudinis: nō aliter ac in diuinis eadem entitas est tribus personis communicabilis in ratione essentiæ, & incommunicabilis in ratione proprietatis personalis; vt docet Diuus Thom. 7. de potentia, ad 5.

Vnde in forma respōdetur ad argumentum distinguendo maiorem, prædicata cōtrarie opposita non valent realiter fundari in entitate à parte rei indiuisibili, omni indiuisibilitate tā formali, quā virtuali, concedo maiorem: in entitate indiuisibili, sola indiuisibilitate formali, nego maiorem; & distinguo minorem, in Petro fundantur prædicata cōtrariè opposita, in Petro, secundum diuersam virtualitatem, cōcedo maiorem, in Petro, secundum eandem virtualitatem, nego minorem, & cōsequentiam; nam (vt manet probatum) res realiter eadem potest esse similis, & dissimilis propter distinctionem virtualem in ea repertam.

48. Dices primo. Implicat, quod eadem quātitas sit æqualis, & inæqualis alteri, etiam si æqualis solum contrariè opponatur inæquali; ergo oppositio contraria non

potest reperiri in eadem entitate realiter indiuisibili.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequẽtiam, loquendo de formis cõtrariè oppositis, quæ eidem rei conueniunt secundum diuersam virtualitatem, nam æqualitas, & inæqualitas conuenit rei quantę secundum eandem indiuisibilẽ virtualitatem; hoc est, secundum eandem indiuisibilem quantitatem.

49. Dices secundo. Formalitates virtualiter solum distinctę, nõ sunt à parte rei duæ actu, sed coincidunt in vna, eademque indiuisibili entitate, (vtique quia distinctio virtualis, non tollit actualem indiuisibilitatem) sed formæ contrariè oppositæ actu fundantur in hac entitate actuali; ergo si actu est vna, actu de ea verificantur duæ formæ contrariè oppositæ; quod implicat.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem, nam cum indiuisibilitate realiter cõpatitur diuisibilitas virtualis, ratione cuius ipsa valeat diuersos præstare effectus, & oppositas fundare formas.

50. Dices tertio. Hęc oppositio contraria nõ est virtualis, seu potentialis, sed formalis, & actualis; atqui hæc necessario exposcit distinctionem formalem, & actualem: tum quia oppositio fundatur in distinctione: tum quia requiritur proportio inter fundamentũ, & formam; ergo distinctio virtualis non est sufficiens fundamẽtum huius oppositionis.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem, nam distinctio virtualis, seu potentialis, est sufficiens ad hoc, vt fundamentum habeat proportionem cum formis formaliter, & actualiter oppositis in illa fundatis: nõ aliter ac in causa effectiua virtualis, seu potentialis continentia est sufficiens ad hoc, vt formales, & actuales producat effectus. Et ratio est eadem, nam proportio non exigit vniuocationẽ, sed analogiam in rebus proportionẽ dicentibus.

51. Secunda ratio sic se habet. Quando duo identificantur, quidquid verificatur de vno, de alio etiam verificatur; sed natura Petri nec entitatiuè, nec formaliter ex natura rei distinguitur ante operationem intellectus à singularitate ipsius Petri; ergo sicut de natura, ita de singularitate Petri verificabitur, quod sit similis natura Paulo: præcipuè cum similitudo proueniat à forma reali realiter communicata; ergo si subiectum huius formæ est, tam entitatiue, quã formaliter ex natura rei indiuisibile, ei realiter communicabit similitudinem, cum implicatorium sit, quod forma sit subiecto communicata, & quod ei proprium non præstet effectum.

Respondetur distinguẽdo maiorem, quando duo identificãtur, quidquid verificatur de vno, verifica-

tificentur de alio, quando duo idē-tificantur, re, & ratione, vel realiter, & virtualiter simul, cōcedo maiorem, quando identificantur re, & distinguuntur ratione, vel virtualiter, nego maiorem, & cōcessa minori nego vtramquè consequentiam: nam cum forma exposcat ex parte subiecti capacitatem, & subiectum virtualiter multiplex habeat in se portiones, seu quasi partes virtualiter distinctas; ideo potest esse capax formæ secundum vnam portionem, & non secundum aliam: quod manifestum est in casu argumenti, nam similitudinis forma fundatur in conuenientia, quæ est in natura, & non in singularitate; etiam si singularitas à parte rei non distinguatur à natura.

52. Tertia ratio sic proponitur. Compositio metaphysica est realis; ergo supponit partes reales, & extrema realiter distincta, cum compositio sit distinctorū vnio.

Vt respondeas nota, quod ad hoc, vt compositio sit realis, duo requirūtur: & quod extrema realia sint, & quod realiter distinguā tur, & quocumq; horum deficiente compositio realis non erit.

¶ Vnde in forma respōdetur negando antecedens, nam licet cōpositio metaphysica realis sit ex parte extremorum componētiū; ex parte tamen distinctionis, realis non est, quia à parte rei ante fictionem intellectus prædicta extrema non sunt distincta.

53. Dices: Compositio metaphysica distinguitur à Logica in hoc, quod hæc petit extrema per rationem distincta; illa vero realiter distincta; ergo compositio metaphysica, quæ datur inter gradus, est realis, nedum ex parte extremorum, sed etiam ex parte distinctionis.

Respondetur negando antecedens, nam vtraque cōpositio habet extrema solum per rationem distincta; etiam si inter se distinguantur in hoc, quod compositio Logica exposcit extrema rationis, cum constet ex rebus secundis intentionibus affectis; at verò metaphysica exposcit extrema realia, cum constet ex gradibus antecedentibus rationis opus.

54. Quarta ratio. Homo & animal distinctis definitionibus definiuntur; ergo à parte rei habent distinctas essentias, cum definitio essentiam rei explicet. Antecedēs probatur, nam definitio, quæ cōpetit homini, animali conuenire non valet: aliàs sequeretur, quod animali cōueniret essentia hominis, quod in irrationalibus falsum apparet: ergo animali non cōuenit hominis definitio.

Respondetur concedendo antecedens, & distinguendo consequens loquendo de gradibus, qui sunt in eodem supposito: *homo, & animal*, habent distinctas essentias à parte rei, virtualiter, concedo consequentiam, formaliter ex natura rei, nego consequentiam; nam licet verum sit, quod per rationem non fiat, quod hoc

sit de cõceptu hominis, & hoc de conceptu animalis; tamen per rationem fit, quod vnus gradus definiatur, & cognoscatur, vt præcisus ab alio.

55. Quinta ratio. Ad minus eadem distinctio, quæ reperitur in diuinis inter intellectum, & voluntatem, & reliqua attributa, reperitur inter gradus eiusdem suppositi; sed formaliter ex natura rei est intellectus diuinus distinctus à voluntate diuina; vtiq; quia intellectui diuino conuenit generare, quod non conuenit voluntati diuinæ; ergo gradus eiusdem suppositi sunt formaliter ex natura rei distincti.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem; nam intellectus diuinus solum expressiuè distinguitur à voluntate diuina; vt latè docent Theologi in materia de Trinitate. Nec obstat, quod voluntati non conueniat, quod conuenit intellectui; nã ad hoc sufficit distinctio expressiua, quæ datur inter intellectum, & voluntatem: non aliter ac distinctio virtualis, quæ datur inter naturam, & singularitatem Petri, sufficit ad hoc, vt naturæ conueniat similitudo, quæ singularitati non competit.

QVÆSTIO IV.

An per rationem inter gradus possit dari distinctio formalis, obiectiua, & adæquata?

§. I.

Lux tituli.

1. VT perfectã graduum notitiã habeas, inquirit præsens difficultas; an supposita distinctione virtuali detur per rationẽ inter gradus distinctio actualis, intrinseca, & formalis, quę à parte rei illis non conceditur? Sub alijs terminis solet hæc quæstio proponi: videlicet an inter gradus admitti queant præcisiones obiectiuæ? Sed quia in præsẽti distinctionem, & non præcisionem rerum indagamus; ideo sub alijs terminis præsens procedit certamen.

2. Nota secundo præcisionem esse fundamentum proximum distinctionis rationis ab ipsa distinctione rationis distinctam. Ratio est, nam secundum Philosophum res præcisiuè abstracta est in abstractione absque aliqua fictione; sed distinctio rationis essentialiter includit fictionem (vt ex se cõstat) ergo præcisio est à distinctione rationis distincta. ¶ Quod vero sit proximum distinctionis rationis fundamentum etiam cõstat, nam illud est fundamentum proximum formæ, quod immediatè respicit formam; sed distinctio rationis, quæ datur inter gradus metaphysicos, v.g. non fundatur proximè in ipsis gradibus prout sunt à parte rei virtualiter distincti, sed in illis vt ab intellectu præ-

præcisius; ergo præcisio cadens super gradus est distinctionis rationis proximum fundamentum.

§. II.

Referuntur sententiæ.

3. NOminales, inter cõceptus formales, & nõ inter obiectiuos assignant distinctionem rationis adæquatam, quatenus intellectus diuersimode circa idẽ indiuisibile versatur obiectum: quam distinctionem rationis appellant, non quia absolutè non sit realis, sed quia in ratione, seu intellectu, hi cõceptus formales realiter distincti subiectantur.

4. Vltra hanc adæquatam rationis distinctionem admittunt aliam inadæquatam inter cõceptus obiectiuos; quatenus idem obiectum percipitur ab intellectu in ordine ad diuersos actus, vel effectus. Quæ sententia hoc explicatur simili, nam quando mens nostra concipit hominem sub ratione animalis, tunc tota concipitur hominis essentia in ordine ad sensationes: & similiter quãdo illum concipit sub ratione rationalis, tunc tota etiam concipitur hominis essentia in ordine ad intellectiones. Hanc sententiã iuxta hanc explicationem nouissimè defendunt Hurtado, dis. 4. & 5. & Arriaga, disp. 5. Logicę, sect. 2.

5. Secunda sententia adstruit distinctionem adæquatam inter gradus, seu concepcus obiectiuos rerum creatarum. Est communis, & in illius gratiam, sit

§. III.

Conclusio.

6. GRadus metaphysici possunt subire distinctionẽ obiectiuam, & adæquatam. Est Diui Anselmi in Monologio cap. 16. vbi hæc habet verba. *Cum enim aliquis homo dicatur corpus, & rationalis, & homo; non vno modo, vel cõsiderationc hæc tria dicuntur: secundum aliud enim corpus, & secundum aliud rationale; & singulum horum non est totum id, quod est homo:* ergo ex mente Benedictini Magistri inter obiectiuos gradus datur distinctio adæquata; cum homo secundum aliud sit corpus, & secũdum aliud rationale. Et probatur primo ratione efficaci. Ad perfectum, & adæquatum conceptum alicuius rei solum exigitur, quod concipiatur omne id, quod est de essentia illius; sed principium intelligẽdi nõ est de cõceptu quidditatiuo principij sentiendi; ergo vnus gradus obiectiuus potest absque alio adæquate concipi; ergo vt sic potest ab alio distingui. Secunda consequentia constat ex prima. Prima ex præmissis, ex quibus maior constat: tum quia tunc perfectè concipitur res, quãdo omnia prædicata essẽtialia rei concipiuntur, nunc omnia explicite concipiantur, nunc vnum explicitè, & alia implicite: tum quia

id

id, quod non est de essentia rei, nõ datur in statu secundum se, in quo res potest concipi. Minor verò probatur, si principium intelligẽdi esset de cõceptu essentiali principij sentiendi, in nullo statu esset principium sentiendi sine principio intelligendi, cum essentiæ per status non admittant variationẽ; sed hoc nequit dici, cum de facto in leone sit principium sentiendi absque intelligendi principio; ergo principium intelligendi nõ est de conceptu quidditatiuo principij sentiendi.

7. Secundo probatur nostra assertio ratione desumpta ex Diuo Thoma 1.p.q.3.art.5. vbi docet inter gradus metaphysicos esse compositionem metaphysicã rationis; sed distinctio est ad compositionem necessaria, cum compositio sit distinctorum vnio; ergo inter gradꝰ metaphysicos datur distinctio adequata rationis: præcipuè cum secundum Philosophum 3. Metap. genus sit extra conceptum differentiarum.

8. Dices cum Arriaga, & Hurtado: compositionem metaphysicam non dari inter gradus obiectiuos; sed inter formales, quatenus intellectus per vnum cõceptum formalem percipit conuenientiã obiecti, & per alium discõuenientiam ipsius obiecti; seu, vt formalius loquar; quatenus per vnum actum percipit obiectũ secundum rationem communem, & per alium secundum differentialem. ¶ Sed contra est primo, nã distinctio adæquata, quæ datur à Petro Arriaga inter conceptus formales, & obiectiuos, non est rationis, nec metaphysica, sed realis, & physica (vt ex se constat:) ergo distinctio metaphysica rationis solum est inter conceptus obiectiuos. ¶ Cõtra est secundò, nam cõpositio Logica, quæ fundatur supra metaphysicam constat ex genere & differentia; sed hæc instrumenta sciendi, vt constat ex proœmialibus disp.p.1.q.2.concl.1.§.2.num.5. & seq. non sunt in actibus, sed in rebus; ergo inter res, & non inter actus, debet distinctio admitti, quæ effectiuè sit in actib⁹, & obiectiue, seu passiue in rebus.

Argumenta primæ sententiæ.

9. PRimum sic se habet. Non minus opponuntur contradictorie, cognosci, & nõ cognosci; ac produci, & nõ produci; existere, & non existere; sed eadem indiuisibilis, entitas etiam si virtualiter sit diuisibilis, nequit produci; & non produci, secundũ formalitates virtualiter distinctas; ergo nec secundum istas potest cognosci, & non cognosci.

Respondetur negando maiorem, nam inter cognitionem abstractiuam, (de qua in præsenti) & inter productionem, seu existentiam actus, datur latum discrimẽ; nã cognitiones abstractiuæ, cum præcisiuæ sint, versãtur circa obiecti formalitates; non vero circa

ca obiecti entitatem; sicut productio, & existentia: & ideo obiectum cognitionis abstractiuæ sunt formalitates, quæ cum in indiuisibili entitate virtualiter distincta, sint plures, potest vnus terminus de vna verificari, & alius de alia, absque aliqua repugnantia; at verò productionis, & existentiæ terminus est entitas indiuisibilis, in esse entitatis, quę cum in tali consideratione sit indiuisibilis, non potest terminos inter se oppositos permittere.

10. Dices primo. Entitas virtualiter multiplex non valet cognosci, & non cognosci, adhuc secundum diuersas formalitates; ergo solutio non tenet. Probo antecedens, de eadem entitate virtualiter multiplici non valet verificari, quod sit similis, & non similis, quia istæ formæ sunt cõtradictoriè oppositæ; sed cognosci, & non cognosci, sunt etiam cõtradictoriè oppositæ; ergo non valent verificari de entitate virtualiter multiplici.

Respondetur distinguendo antecedẽs, entitas virtualiter multiplex non valet cognosci, & non cognosci, simpliciter, & absolutè, concedo antecedens: secundum quid, seu in sensu reduplicatiuo, nego antecedens, & consequentiam: ad probationem distinguo maiorem, de eadem re virtualiter multiplici non valet verificari, quod sit similis, & non similis, absolutè, & simpliciter, cõcedo maiorem, secundum quid, seu in sensu reduplicatiuo, nego maiorem, & minorem in eodem sensu; nam licet contradictoriæ, absolutè, & simpliciter prolatæ, non valeant verificari de entitate virtualiter multiplici, quia nõ similitudo destruit similitudinem, nedum respectu vnius formalitatis, sed etiã respectu entitatis; tamẽ cum addito, & in sensu reduplicatiuo, valent per rationem verificari; vt si dicas: *Petrus est non similis Paulo secundum singularitatem*; non aliter ac licet nõ valeat absolutè de *Petro* verificari quod *sit albus, & non albus*; valet tamen cum addito dici, quod sit *non albus secundum corpus*; & quod *sit albus secundum dentes*.

11. Dices secundo. Per cognitionem intuitiuam nõ potest obiectum indiuisibile cognosci secundum vnum gradum, & nõ secundum alium; ergo nec per abstractiuam. ¶ Respõdetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, nam cognitio intuitiua sapit rationẽ productionis, & sic respicit obiectum vt est in se indiuisibile; at vero abstractiua, & præcisiua potest ad obiecti formalitatem terminari.

12. Dices tertio. Inter gradus non datur distinctio virtualis à parte rei; vtique quia à parte rei nõ est verum dicere, quod *Petreitas virtualiter non est humanitas*; ergo nec per rationem datur distinctio formalis, quæ in illa fundatur.

Respondetur negando antece-

dens, nam à parte rei est vera propositio illa. Ex quo colliges rationem, quare in opinione probabili Thomistarum, ens nequit præscindi à suis differentijs, sicut animal à rationali; nam hoc, cum nõ sit de conceptu suarum differentiarum, permittit distinctionem virtualem, quam, propter rationem oppositam, ens non permittit.

13. Secundum. Omnipotentia Dei in ordine ad effectus creatos est multiplex virtualiter; vtique quia vt exprimit continentiam vnius, non exprimit continẽtiam alterius; & tamen non potest ab intellectu creato adæquate, & intrinsecè distingui in diuersas formalitates; ergo distinctio virtualis non sufficit, vt gradibus concedat distinctionem rationis intrinsecam, & adæquatam.

14. Pro huius argumenti solutione, & quæstionis intelligentia, nota distinctionem virtualem esse dupliceṁ; vnam sumptam per ordinem ad actus adæquatos, vel ad principia adæquata; & aliam sumptam per ordinem ad actus, seu ad principia inadæquata. Prima est necessaria ad distinctionẽ rationis intrinsecam, & adęquatam; secunda vero solum ad distinctionem rationis inadæquatã: & quod hæc in nostra sentẽtia, nõ sufficiat, constat, nam nos nõ distinguimus rationem animalis adæquatè in diuersas rationes, per ordinem ad diuersas sensationes; sed per ordinem ad omnes: nec potentiam vitiuam in diuersas per ordinem ad diuersos actus, vel colores; ergo cõtinentia actuum inadęquatorum solum est sufficiẽs ad distinctionem inadæquatã extrinsecam; non vero ad adæquatã, & intrinsecam, de qua in præsenti.

Per quod patet ad argumentum; nam multiplicitas virtualis, quę datur in omnipotentia in ordine ad effectus creatos, non est primi, sed secundi generis; & ideò non est sufficiens, vt illã adæquatè distinguamus in diuersas omnipotentias. Ratio est, nam adæquatum obiectum ad extra, à quo accipit adæquatam distinctionẽ rationis, non est posibile in particulari, sed omnia posibilia sub ratione non repugnantiæ; cum ab obiectis in particulari nulla potentia sumat distinctionem adæquatam.

QVÆSTIO V.

Per quam operationem, & actum fiat vniuersale Logicum?

§. I.

Prælibantur vtiliora.

1. EX superioribus cõstat vniuersale formaliter non esse ante intellectus fictionem, quia à parte rei nulla datur vnitas, nec aptitudo formalis ad essendum in pluribus: nunc restat agẽdum de vniuersali prout habet esse in in-

tel-

tellectu, & de illo inquirim⁹; an fiat per abstractionē, vel cōparationem intellectus? & cum ex Aristotele, & experientia sit compertū, nihil esse in intellectu, quin prius extiterit in sensu, ideò a sensibus est sumenda notitia.

2. Vnde notandum est primò, ab obiectis sensibilium rerum diffundi in organa sēsuum imagines quasdam, quibus sensus informati pariunt suas sensationes, iuxta illud Augustini lib. 9. de Trinitate, cap. 12. quod *ab obiecto, & potentia parientur notitia.* Inde, ad sensum communem (qui est interna potentia externorū sensuum sensationes discernens) aliæ species, seu imagines, etiam materiales, licet paulo puriores perueniunt, vt ad phantasiam transeant aliæ species materiales magis puræ, quæ phantasmata appellantur.

3. Secundo notandum venit ex Aristote. 3. de anima, cap. 4. & 5. & D. Tho. 1. contra Gentes, cap. 77. duplicem esse intellectū, realiter, vel ratione distinctum; agēte videlicet, & possibilem, seu passibilem. Primus est lumē quoddam, quo phantasma illustratur, & cuius virtute reddūtur species materiales proxime aptæ, & proportionatæ, vt valeant recipi, & percipi ab intellectu possibili, qui cognoscitiuus est.

4. Circa modum, quo agens speciem materialem phantasiæ illuminat, seu producit, non omnes conueniunt; nā alij affirmāt producere, cum phantasmate instrumentaliter concurrente, speciem spiritualem, naturam, & singularitatem rei materialis repræsentantem, quam postea intellectus possibilis à conditionibus spoliat individualibus.

Nec datur aliquod inconueniēs in hoc, quod phantasma materiale concurrat ad productionē speciei spiritualis; nam ex elevatione intellectus agentis spiritualis potest optimè concurrere tanquā instrumentum ad illius productionem: non aliter ac species naturales sensibiles, & intelligibiles cōcurrunt, vt instrumenta, ad actum supernaturalē fidei diuinę ex cōiunctione ad supernaturale fidei lumen. ¶ Alij verò asserunt intellectum agentem producere cum phantasmate speciem, naturam materialē sine conditionibus individualibus repræsentantem. Sed quia hæc sententia vt minus probabilis est à nobis existimanda, ideo quæstio procedit iuxta primum sentiendi modum.

5. Intellectus possibilis, seu passibilis est, qui recipit, & cognoscit obiecta in speciebus impressis ab agente productis, producēdo per modum termini speciē expressam, seu verbū mentis, in quo actualiter, & expressè repræsentatur obiectum.

6. Tertio notandum est, quod abstrahere propriè est vnum ab alio separare, vt cum hamo pisces à fluuio separamus; ex quo translatum est hoc nomen ad actiones intellectus: vnde actio intellectus

tunc

tunc dicitur abstractio, quando cognoscit, vel repręsentat vnum sine alio, cum quo erat simul à parte rei per identitatem, vel informationem; vt cum cognoscimus albedinem absq; subiecto, in quo inhęret, tunc talis cognitio dicitur abstractio, quia mente separamus albedinem à subiecto, in quo est per informationē: & etiā dum cognoscimus animal nō cognitis inferioribus, cum quibus est à parte rei per identitatē, tunc talis cognitio dicitur abstractio, quia mente separamus animal à differentijs illud contrahentibus per identitatem.

Hęc autem abstractio dupliciter accidit. Primo per iudicium negatiuum; vt cum dicimus; *homo non est lapis*, tale iudicium abstractio non impropriè appellatur, quia remouet, & separat rationem *lapidis* ab homine. Secundo per simplicem apprehensionē, vt quando per illam intellectus attingit aliquam rationem obiectiuam sine natura, cum qua erat in phantasia; vt constabit ex dicendis in notabili 4. num. 8. De hac ergo abstractione est intelligendus Philosophus, dum dixit: *abstrahentium non esse mendacium*. Prima abstractio fit ab intellectu possibili per secundam operationem, & appellatur negatiua; secunda vero per primam, & appellatur pręcisiua.

7. Rursus abstractio præcisiua intellectus possibilis aliam positiuam nominatam ad vniuersale Logicum requisitam fundat, ad quā indirectè sequitur distinctio rationis; & contingit, quando intellectus absque affirmatione, & negatione cognoscit formalitatē alicuius rei per modum superioris, vt separatam ab alia per modum inferioris; vt quādo cognoscit naturam vt abstractam à conditionibus individuantibus, tanquam à termino *à quo* ad tractionis; ita vt per se primo, & in recto cognoscatur natura, & per se secundo, seu in obliquo singularitates, in quibus natura realiter est.

8. Quarto est notandum, quod intellectus agens iuxta sensum secundum secundi notabilis nu. 4. suam habet abstractionē per hoc, phantasma, seu species materialis fiat spiritualis, nam illud dicitur magis abstractum, quod minus habet de materia, & potentialitate.

9. Quinto notandū venit, quod comparatio est duplex, sicut abstractio intellectus possibilis. Prima, quæ cōposita appellatur, in iudicio reperitur; & datur, quādo intellectus coniungit, seu attribuit subiecto prædicatum; vt cum dicit hominem esse animal, talis cognitio dicitur comparatio, quia per illam intellectus cōiungit, & comparat hæc duo extrema. Secunda, quæ simplex, seu apprehensiua nominatur, in prima intellectus reperitur operatione; & datur, quando intellectus concipit vnum in ordine ad

aliud

aliud absq; affirmatione; vt cum cognoscit medium vt vtile in ordine ad finem; seu Patrem in ordine ad Filium, absque eo, quod affirmet esse illius filium, talis cognitio dicitur comparatio, quia nó terminatur ad obiectum quomodocumque; sed ad obiectum cum habitudine, & ordine ad aliquod extremum.

10. Sexto notandum supereſt duplex ab omnibus distingui *vniuersale*; metaphysicum vnum, & Logicum aliud. Primum. *Est obiectum scientiæ, vel res in tali statu posita, vt possit scientiæ actum terminare, & specificare*: appellatur autem hoc vniuersale metaphysicũ, magis quam Logicum, seu physicũ, non quia magis spectet ad metaphysicam, quam ad alias scientias, cum omnes exposcant pro obiecto rem à conditionibus indiuidualibus spoliatam; sed quia metaphysica inter alias scientias naturales primam obtinet sedem. Secũdum, seu Logicum *vltra vnitatem rationis exigit relationem, qua respicit inferiora, in quibus realiter est.* His ergo prælibatis pro aliquali terminorum intelligentia.

§. II.

Referuntur sententiæ.

11. PRima sententia asserit vniuersale Logicum formaliter fieri per abstractionẽ intellectus agentis spoliantem naturam à conditionibus indiuiduantibus, media specie impressa immateriali, & spirituali. Hæc tribuitur D. Thom. 1. p. q. 85. ar. 1. in corp. & in solutione ad 4. & illã videtur insinuare 4. de ente, & essentia, & 7. met. lect. 7. eam expresse docent Fonseca 5. met. c. 28. q. 5. & 6. Sotus q. 3. vniuersalium. Zumel 1. p. q. 13. art. 7. concluſ. 7. quos sequuntur quam plurimi Iuniores, quantum ad rationem specificam vniuersalis.

12. Secunda affirmat vniuersale metaphysicum fieri per abstractionem intellectus agentis: Logicum verò per abstractionẽ præcisiuam intellectꝰ possibilis, qua cognoscitur natura sine cõditionibus indiuiduantibus. Hanc docet Durandus in 1. dist. 3. q. 5. nu. 29. & in 2. dist. 3. q. 7. n. 12. Toletus q. 2. vniuersalium, & cum limitatione Masius q. 5. vniuersalium, sect. 2. qui defendit vniuersale specificũ fieri per abstractionem intellectus agentis; reliqua vero vniuersalia per abstractionẽ possibilis: & rationem reddit ex eo quod intellectus agens, per se loquendo, non valet producere speciem impressam repræsentantem naturam aliquam sine differentijs specificis, aut rem aliquã differentialem absque ratione cõmuni, & generica.

13. Tertia sentẽtia inter Thomistas communis defendit vniuersale Logicum fieri per comparationem simplicem, qua natura formaliter respicit inferiora.

14. Quarta docet vniuersale Lo-

Logicum formaliter fieri per resultantiam abstractionis positiuę, & totalis, in qua cognoscitur natura vt abstracta à suis inferioribus, tanquam à termino *a quo*; ita vt fundamentũ proximum sit natura vt sic cognita per talem abstractionem, & forma denominãs secunda intentio resultans indirectè ex tali abstractione positiua. Hanc defendit Petronius lib. 4. Logicæ, & Hortiz tract. 3. cõferentia 2. concl. 5. num. 392. in huius sententiæ explicatione sit de vniuersali metaphysico.

§. III.

Prima Conclusio.

15. IN opinione Thomistarum asserente intellectum agentem spoliare naturam à conditionibus indiuiduantibus fit vniuersale metaphysicũ per abstractionem intellectus agentis; secus verò in opinione adstruente intellectum agentem non denudare naturam ab his conditionibus.

Prima pars probatur, nam vniuersale metaphysicum nihil aliud est, quam natura cum non repugnantia, seu cum aptitudine negatiua ad essendum in pluribus, sed natura vt abstracta à conditionibus indiuiduãtibus, (qualiter est in specie ab intellectu agẽte producta) est cum non repugnantia, seu cum aptitudine negatiua ad essendum in pluribus; vtiq; quia vt sic caret conditionibus indiuiduantibus seu repugnantia ad essendum in pluribus indiuiduis; ergo in tali abstractione obtinet vniuersalitatem metaphysicam.

16. Secundo probatur eadem pars. Illud est vniuersale metaphysicum, quod valet se habere vt obiectum scientiarum; sed in opinione asserente intellectum agentem spoliare naturam à conditionibus indiuiduantibus, natura valet scientias specificare vt obiectum; vtique quia vt sic caret singularitatibus corruptibilibus; ergo per abstractionem intellectus agẽtis fit in tali opinione vniuersalitas metaphysica.

17. Secunda pars conclusionis probatur. Per abstractionem intellectus agẽtis in nostra opinione, vt videbimus in lib. 3. de anima, disp. vnica, q. 3. §. 3. num. 8. non repræsentatur natura directè sine conditionibus indiuiduantibus; sed directè repræsentantur singularia; ergo per talem abstractionem non fit vniuersale metaphysicum. Hæc consequentia cõstat ex primæ partis rationibus: tum quia vniuersale metaphysicũ exigit non repugnantiam ad essendum in pluribus: tum quia exigit capacitatem ad specificationem scientiarum, sed natura in abstractione intellectus agentis repræsentatur vt singularis, seu quod idem est cum repugnantia ad essendũ in pluribus, & ad scientiarum specificationem; ergo in tali abstractione non habet vniuersalitatem metaphysicam.

18. Di-

18. Dices pro aduersarijs Diuum Thom. (1.p.q.85.ar.1. ad 1.) ad minus asserere vniuersale metaphysicum fieri per abstractionem intellectus agentis, nam in hoc loco sic fatur: *similiter dico, quod ea, quæ pertinent ad rationē speciei cuiuslibet rei materialis: puta lapidis, aut hominis, aut equi; possunt considerari sine principijs indiuiduationis, quæ non sunt de ratione speciei; & hoc est abstrahere vniuersale à particulari, vel speciem intelligibilem à phantasmatibus.* Hucvsque Magister Angelicus: vbi expressè docet vniuersale fieri per actionē abstrahentem, vel depurantē speciem intelligibilem à singularitatibus, vel phātasmatibus, sed actio abstrahens speciem à phātasmatibus (in omniū ere) est actio intellectus agentis; ergo per hāc fit vniuersale ad minus metaphysicum.

Respondetur Diuum Thomā loqui in opinione probabili asserente intellectum agentem abstrahere naturam à conditionibus indiuiduantibus, in quātum producit speciem intelligibilem repræsentantem naturā sine singularitatib⁹; in qua certum est fieri vniuersale metaphysicum per talem abstractionem; vt constat ex prima parte huius conclusionis; at vero in opinione asserente intellectum agentem solum abstrahere naturam in singulari, à materia phantasmatis per speciem spiritualem repræsentantem naturam, & singularitatem per se primo, non fit vniuersale metaphysicum formaliter; sed solum fundamentaliter, quatenus accedit magis proximè ad vniuersalitatis formam. ¶ Simili solutione respondendum est ad aliud testimonium Diui Thomæ desumptum ex opusculo 55. vbi ait *intellectum agentem facere vniuersalitatem in rebus ipsis*, nam in tali testimonio, vel loquitur in opinione probabili asserente intellectum agentem abstrahere species rerum materialium à singularitatibus; vel solum loquitur de vniuersalitate metaphysica fundamentaliter accepta.

§. IV.

Secunda conclusio.

19. VNiuersalitas metaphysica non per abstractionē præcisiuam, sed per positiuam intellectus possibilis fit ab intellectu nostro. Constat ex tertio notabili: & probatur quoad primā partem, nam abstractio præcisiua est, qua cognoscitur species ab agente in possibili producta, sed hæc species repræsentat per se primo singulare materiale ergo ab abstractione præcisiua non fit vniuersalitas metaphysica, cum vniuersale metaphysicum ad minus exigat non repugnantiam ad essendum in pluribus.

20. Secunda pars probatur. Per abstractionem positiuam possibilis abstrahitur natura à rationi-

bus

bus indiuidualibus, seu producitur species in qua repræsentatur, & cognoscitur natura vt abstracta ab indiuidualibus rationibus, tanquam à termino *à quo*; sed natura sic cognita, & repræsentata habet aptitudinem negatiuam, seu non repugnantiam ad essendum in p'uribus, cum vt sic exigat aptitudinem positiuam ad essendum in illis; ergo à tali abstractione fit vniuersalitas metaphysica.

21. Probatur secundo eadem pars, nam natura, vt sic cognita, valet scientias specificare; ergo vt sic cognita obtinet vniuersalitatem metaphysicam.

§. V.

Tertia conclusio.

22. VNiuersalitas Logica fit per resultantiam ab abstractione positiua intellectus possibilis. Probatur primo ex Diuo Thoma 1.p.q.85.art.2.ad 2.vbi sic ait. *Quod humanitas apprehēdatur sine indiuidualibus cōditionibus, quod est ipsum abstrahi, ad quod sequitur intentio vniuersalitatis*: ergo ex mente Diui Thomæ vniuersalitas Logica non fit directè ab aliquo actu intellectus; sed sequitur, seu resultat ex abstractione positiua, qua cognoscitur natura vt abstracta à conditionibus indiuidualibus.

Nec valet dicere Diuum Tho. loqui de vniuersalitate Metaphysica. ¶ Non (inquam) valet, nã loquitur de vniuersalitate, quæ fit per secundam intentionem rationis, qualis est Logica, & non metaphysica.

23. Ratione probatur nostra conclusio. Vniuersalitas Logica, quę per viam rationis formalis est relatio rationis, fit ad similitudinem relationis realis; sed relatio realis resultat indirectè ad positionem termini formalis, & fundamenti proximi; ergo similiter relatio rationis ad illius similitudinem factæ resultabit ad positionem termini formalis, & fundamenti proximi: tũ sic; sed in abstractione positiua intellectus possibilis datur terminus formalis, & fundamentum proximum vniuersalitatis Logicæ; ergo per abstractionem positiuam possibilis resultat vniuersalitas Logica. Minor subsumpta, in qua est difficultas, probatur: terminus formalis vniuersalitatis Logicę sunt inferioriora in obliquo cognita per modum termini *à quo*; & fundamentum proximum est natura indirecte cognita; sed in abstractione positiua possibilis datur natura in recto, seu directè, & inferiora in obliquo, seu indirectè cognita, cũ ex se talis abstractio terminetur ad naturam, vt ab inferioribus abstractã; ergo in abstractione positiua possibilis datur terminus formalis, & fundamentum proximum Logicæ vniuersalitatis.

Confirmatur. Ad relationem rea-

realem nō datur per se motus, sed resultat indirectè, & secundario ex motu ad fundamentum directè, & primario terminato; ergo nec ad relationem rationis vniuersalis debet dari per se motus; sed debet resultare ab actione, à qua fit proximum vniuersalitatis fundamentum.

24. Per hoc probatur. Actio vniuersalitatis logicæ effectiua est *via*, seu est medium, per quod accipit termin⁹ vniuersalitatē in agēte contentā, sed intellectus creatus, qui est agens vniuersalitatis logicę, solum per se secundo cōtinet illam; vtiq; quia vt dixi disp. 2. q. 1. §. 1. n. 10. intellectus creatus solum per se secundo continet esse entis rationis; ergo actio vniuersalitatis logicę effectiua, solum per se secundo efficit illam, cum actio solum sit perfectio manifestans in actu secundo actus primi perfectionem.

25. Dices primo. Per abstractionē positiuā intellect⁹ possibilis natura nō est ad inferiora relata tāquā ad terminum *ad quem*, sed solū est habilis abstracta tanquā à termino *à quo*; ergo per illam non fit vniuersalitas logica. Antecedens probatur, relatio vniuersalis ad inferiora tanquā ad terminum *ad quem* est cōparatio possitiua exigens ex parte causę actiuam comparationē, sed abstractio positiua possibilis non est cōparati; ergo per hanc abstractionē natura non est ad inferiora relata tanquam ad terminum *ad quem*.

Respōdetur distinguēdo antecedens, per abstractionē positiuā natura nō est ad inferiora relata, per se primo, cōcedo antecedens, per se secundo, nego antecedēs, & cōsequentiam: ad probationem distinguo maiorē, relatio naturæ ad inferiora est comparatio passiua propria, vel impropria, concedo maiorē, propria, nego maiorē, & distinguo minorē, abstractio positiua nō est cōparatio propria, vel quasi attributiua, concedo minorem, impropria, & simplex, nego minorem, & consequentiam, nam indirectè, & per se secundo ipsa abstractio est simplex comparatio referēs actiuè naturam ad inferiora; non aliter ac in opinione Thomistarum ipsa abstractio positiua directe, & per se primo non est fictio; & tamen in illorum opinione per se secundo est fictio: haud aliter in præsenti abstractio positiua possibilis directè, & per se primò terminatur ad naturam abstractam ab inferioribus, & indirectè, seu per se secundo terminatur ad referendam naturam ad inferiora, vt postea per comparationem illam attribuat inferioribus; verumtamen talis actus cōparatiuus, vt ab abstractione distinctus non est simplex, sed compositus, seu reflexus supponens vniuersale logicum factum indirectè per abstractionem positiuā, in quantum indirectè comparat, seu refert naturam ab inferioribus abstractam.

26. Dices secundo. Simplex com-

paratio est condistincta ab abstractione positiua; ergo per illam, & non per illam fit vniuersale logicum, quod essentialiter exigit comparationem.

Respondetur distinguendo antecedens, simplex comparatio est ab abstractione condistincta, per rationē, cōcedo antecedēs realiter, nego antecedens, & cōsequētiam, nam cum comparatio terminetur ad relationem non exigentem ex se motum; ideo nō expoſcit distingui realiter ab actu absoluto abstractiuo per se terminato ad fundamentum, & terminum talis relationis.

27. Dices tertio. Vniuersale logicum resultat per abstractionē positiuam possibilis, quia per illam ponitur fundamentum proximum vniuersalitatis, sed etiam hoc ponitur per abstractionem præcisiuam; vtique quia per illam cognoscitur natura non cognitis singularibus; ergo per præcisiuam, & nō per positiuam possibilis debet fieri logicum vniuersale.

Respondetur primo negando minorem: nam per præcisiuā possibilis non abstrahitur natura à singularibus, sed potius cognoscitur in singularibus, vt ab illis inspecta natura abstrahatur per abstractionem positiuam.

Secundo respōdetur negando maiorem: nam nō ideo præcise fit vniuersale per positiuam possibilis, quia per illam ponitur fundamentum proximum vniuersalitatis; sed quia simul datur terminus formalis illius per præcisiuam nō positus, nam resultantia relationis exigit vnum, & aliud iuxta illud Philosophi; *Ad positionē termini, & fundamēti resultat relatio.* Quod vero per abstractionē præcisiuam possibilis nō fit terminus vniuersalis positus, constat ex eo, quod terminus relationis prædicamentalis tunc ponitur, quando realiter existit; ergo terminus vniuersalis relationis quasi prædicamentalis tunc ponitur, quando inferiora obiectiuè existunt, sed hæc solum existunt obiectiuè per abstractionem positiuam possibilis, cum per illam cognoscātur, seu sint in intellectu; ergo per positiuam, & non per præcisiuam ponitur terminus formalis vniuersalis logici.

§. VI.

Obijciuntur aliqua.

28. OBijcijes primo. Relatio rationis sicut realis resultat ad positionem fundamēti, & termini formalis; sed terminus formalis vniuersalitatis non existit per abstractionem positiuā possibilis, cum iste sit subijcibilitatis relatio in inferioribus existens; ergo vniuersalitas logica non fit per abstractionem positiuam intellectus possibilis.

Sed hæc obiectio etiam militat contra aduersarios; & facilē habet solutionē iuxta nostrā sententiam: asserentē relationē mutuam ter-

terminati ad absolutum, & nō ad respectiuum. Sed admisso, & non cōcesso relatione mutuam terminari ad respectiuum, dico per abstractionē positiuam nō solum resultare relationē naturæ ad inferiora; sed etiā relationē inferiorū ad superiora sub conceptu terminandi: in quo nullam inuenio repugnantiam, nam relatio rationis in tantum est, in quātum cognoscitur; sed non datur repugnantia, imò suma necessitas in hoc, quod duo correlatiua simul cognoscātur, cum secundum Philosophum *sint simul natura, & cognitione*; ergo per eandem actionem, per quam cognoscitur natura in ordine ad inferiora, valent cognosci inferiora sub conceptu subijcibilitatis, vel sub conceptu terminandi.

29. Replicabis. Relatio nō potest fieri sub conceptu terminandi, quin fiat sub conceptu referēdi, cum terminare, & referre solū in inadęquatis cōceptibus distinguantur, sed relatio rationis, quę est in inferioribus, non fit per abstractionem positiuam, secundum conceptum referendi; ergo nec secundum terminandi.

Respondetur concedendo fieri vtrumq; conceptum inadęquatū simul, negādo in presenti casu fieri cōceptū terminandi sub cōceptu referendi; sed potius è cōtra, nam ad relationē vniuersalitatis, qua natura refertur ad inferiora, per accidens se habet in inferioribus conceptus referendi, & solum se habet per se conceptus terminandi, cum ille, & non ille sit per modum termini necessarius. ¶ Nota tamen quod in opinione asserentium relationes mutuas terminari ad respectiuum relatio non resultat, ad positionem termini formalis, sed termini materialis: in quo sensu debet intelligi Philosophi proloquium.

30. Obijcies secundo. Per eandem actionem, per quam fit vniuersale logicum, cognoscuntur inferiora, sed inferiora naturæ animalis v.g. non sunt rationale, & irrationale, sed homo, & equus; ergo dum inferiora animalis cognoscuntur, cognoscitur in illis ratio animalis, cum sit de cōceptu essentiali inferiorum. Tum sic. Implicat inferiora concipere, vt actu includentia naturam animalis, & simul per eundem actum cognoscere illam, vt actu non includam; sed cum potentia vt includatur; ergo si per actionē abstractiuam intellectus possibilis cognoscuntur inferiora vt actu includentia naturam, per eandem actionem abstractiuam non potest natura animalis cognosci vt actu non inclusa, & vt potens in illis includi, cum implicatorium sit, quod aliquod prædicatum cōueniat de facto alicui, & quod simul possit illi conuenire.

Hæc eadem obiectio etiā militat contra aduersariorum sententias; sed pro omnibus respondeo concedendo maiorem, & minorem, & distinguendo consequēs,

debet in inferioribus concipi natura animalis, per modum partis, concedo consequentiam, per modum totius, nego consequētiam; & distinguo minorem subsumptam, implicat per eundem actum concipere naturam, vt actu inclusam, & vt actu non inclusam, sub eadem ratione, concedo minorem, sub diuersa rātione, nego minorem; & eodem modo distinguo consequens, nam quando inferiora cognoscuntur vt actu includentia naturam, tunc natura consideratur per modū partis; & quando cognoscitur cum potentia vt includatur, tunc consideratur per modum totius, qua ratione est vniuersalis: non aliter eadem intrumentum logicum sub diuersis conceptibus partis, & totius à logica est diuersimodè attractum.

31. Obijcies tertio. Natura per secūdam intētionē vniuersalis est inferioribus opposita; vtrq; quia relatio dicit oppositionem cum suo termino iuxta illud à Theologis repetitum: *in diuinis omnia sunt communia, vbi non obuiat relationis oppositio*; ergo per talem intentionem non est apta ad essendum in pluribus, cum per illam non tribuatur pluribus, sed eis repugnet.

In primis hæc replica militat contra omnia prædicabilia, & sic multum probat. Respondetur ergo distinguendo antecedens, est natūra per relationem opposita termino oppositione lata, qualis est, quæ datur intra genus relationis, concedo antecedens: rigorosa, qualis datur intra genus qualitatis, nego antecedens, & consequentiam, nam relationis oppositio regulariter loquendo non destruit communicationem inter fundamentum, & terminum; sed potius illam infert, vel supponit: supponit, quando ex eo, quod termino communicauit suum esse, resultat; vt constat in relationē paternitatis: infert, quando respicientia tribuit actum primum; vt constat in materia separata à forma, quæ respicit illam per modum extremi opposita; & tamen ipsa relatio oppositionis ei tribuit aptitudinem, seu actum primum, vt sit formæ subiectum: hæc aliter in præsenti vniuersalitas non destruit communicationem naturæ sed potius illam infert, cum natura apta ad essendum in pluribus communicetur postea inferioribus per comparationem cōpositam.

§. VII.

Quarta conclusio.

32. NEc in actu exercito, nec in actu signato fit vniuersale logicum, per cōparationē à munere secundario abstractionis positiuæ condistinctam.

Quoad primam partem constat ex conclusione precedenti, nā vniuersale Logicū in actu exercito

cito fit indirectè, & secundariò ab abstractione positiua intellectus possibilis; ergo antecedenter ad actum comparatiuum, quo natura tribuitur inferioribus est factum vniuersale Logicum.

33. Vt secundam partem conclusionis probemus, nota Magistrum Didacum Hortiz tract. 2. confer. 2. concl. 6. n. 95. asserere actionem comparatiuam simplicem esse necessariam ad cognoscendam directè, & per se relationem rationis constitutiuã vniuersalis logici: quod est idem, ac asserere ãctionem comparatiuam esse necessariam ad cognoscẽdum in actu signato vniuersale logicũ, quod defendit resultare in actu exercito per abstractionem possibilis; vt videre licet in 5. concl. huius Doctoris, nu. 292.

34. Verumtamen hic modus opinandi non placet, nam eo ipso, quod resultet vniuersale logicum per abstractionem possibilis, cognoscitur sufficienter ipsius natura absque eo, quod aliam exigat cognitionem; nam in ipsius opinione relatio rationis nõ exigit per se, & directè cognitionẽ; ergo superflue assignat comparationem distinctam à comparatione indirecta, quæ datur in abstractione positiua intellectus possibilis, vt illius cognoscatur essentia.

35. Secundo impugnatur opinio huius Doctoris, & simul probatur secunda pars nostræ cõclusionis. In tantum fit ens rationis, in quantum cognoscitur; ergo eo ipso, quod fiat per abstractionem possibilis, est sufficienter cognitum, vt postea per comparationem compositam tribuatur inferioribus.

36. Tertio. Dum aduenit simplex comparatio per se terminata ad relationem rationis vniuersalis, vel permanet abstractio possibilis, vel non? si non permanet; ergo fit in actu exercito à comparatione; ergo alia actio erit necessaria, vt in actu signato cognoscatur, & sic in infinitum: si remanet; ergo naturaliter valet intellectus informari simul duplici actione, quod nõ admittunt Thomistæ; ergo vt consequenter, & absque superfluitate procedam', tenendum est abstractionem positiuam possibilis sufficere ad cognitionem exercitam, & signatã vniuersalis logici.

Cõfirmatur, nam vt dixi, disp. 2. q. 1. §. 4. num. 18. omnis actio entis rationis valet considerari vt practica, & vt theorica: sed vt practica efformat, seu cognoscit ens rationis in actu exercito; ergo vt theorica illud in actu signato cognoscit; ergo eadem abstractio, quę indirectè efformat in actu exercito, indirectè etiam cognoscit in actu signato; ergo actio comparatiua tantum est necessaria, vt inferioribus attribuat naturam ab abstractione relatam.

37. Dices Diuum Tho. lib. 1. periher. lect. 10. docere *intellectum attribuere relationem vniuersa-*

litatis naturæ secundum quod comparat eam ad eam extra animam: ergo ex mente Diui Thomę comparatio est necessaria ad vniuersalitatem Logicam.

Respondetur loqui de comparatione simplici, quæ reperitur secundario in actu absoluto abstractiuo intellectus possibilis, qui comparatiuus vocari potest, in quantum refert naturam inferioribus; non vero de comparatione simplici, ab actu abstractionis positiuæ, distincta, nam hæc (vt cōstat ex rationibus nostræ conclusionis) non est necessaria ad vniuersalitatem Logicam.

§. VIII.

Primæ sententiæ fundamenta.

38. PRimum fundamētum primæ sententiæ sic se habet. Species ab agente producta repræsentat naturam sine conditionibus indiuiduantibus; ergo talis natura est formaliter vniuersalis. Antecedens supponitur vt certum ab aduersarijs: cōsequentia probatur, vniuersale de formali dicit vnitatem, sed natura sine conditionibus indiuiduantibus nō est diuisa, & distincta; vtique quia vt sic præscindit à diuisione, & distinctione, quæ per differentias indiuiduales causatur; ergo vt sic talis natura est vniuersalis.

Iuxta nostram sententiam debet negari antecedens, nam per speciem impressam non repræsentatur natura sine materia, seu ingularitate intelligibili, licet repræsentetur sine materia, seu ingularitate sensibili; veruntamen illo cōcesso non tenet consequētia, nam ex illo solum sequitur, quod talis natura sit vna vnitate negatiua, seu absoluta; non vero relatiua, seu positiua, qua natura est formaliter vniuersalis.

39. Dices primo. Natura à cōditionibus indiuiduantibus abstracta, est determinabilis, & contrahibilis per indiuiduales differentias; ergo vt sic est vniuersalis, seu apta ad essendum in pluribus.

Respondetur distinguendo antecedens: natura abstracta est determinabilis, negatiue, seu fundamentaliter, concedo antecedens, positiuè, & formaliter; nego antecedens, & consequētiam, nam natura vt sic abstracta solum est fundamentaliter contrahibilis, quatenus potest subijci secundæ intentioni logicæ referenti naturam ad inferiora.

40. Dices secundo. Natura sola contractione fit singularis formaliter; ergo sola abstractione fit formaliter vniuersalis. Probo cōsequentiam, nam illa, quæ se habent ad instar contrariorum motuum debent habere quasi cōtrarios terminos formales, sed abstractio, & contractio sunt diuersi motus inter se oppositi; ergo cum terminus formalis contractionis sit singularis, formalis terminus abs-

abstractionis erit vniuersalis.

Respondetur distinguendo antecedens, natura sola contractione fit singularis, singularitate metaphysica, concedo antecedens, logica, nego antecedẽs; & distinguo consequens, sola abstractione fit vniuersalis, vniuersalitate metaphysica, concedo consequẽtiam logica, nego cõsequentiam: ad probationem concedo maiorem, & minorem; & nego consequentiam loquendo de vniuersalitate logica, nam per contractionẽ solum fit singulare metaphysicum vniuersalitati metaphysicæ oppositum; non vero logicũ vniuersalitati logicæ oppositũ, quod de formali dicit subijcibilitatis respectum.

41. Secundum. Si per impossibile natura esset realiter separata à differentijs indiuiduãtibus, talis natura esset vna apta ad essendum in pluribus, *vna*, quia nõ haberet differentias indiuiduales per quas distingueretur: *apta ad essendum in pluribus*, quia per realem separationem, licet amitteret actum essendi in multis; non tamẽ aptitudinem: diceret enim appetitum, & inclinationem ad differentias indiuiduales: nõ aliter ac materia prima separata ab omni forma dicit appetitum, & inclinationem ad formas; ergo pari ratione, quando natura separatur per intellectum agentem à conditionibus indiuidualibus, natura est vna apta ad essendum in multis. Consequentia constat, nã sicut se haberet in illo casu separatio realis ad vnitatem, & aptitudinem realem, quam haberet natura realiter separata ab inferioribus, sic de facto se habet separatio rationis, quę fit per intellectum agentem ad vnitatem, & aptitudinem, quam potest habere natura per rationem.

Primo respondetur negando antecedens, nam adhuc admissa opinione Thomistarum, si natura esset realiter separata ab inferioribus eo modo, quo est in intellectu agente, non esset logicè vna vnitate formali positiua, & relatiua; sed solum vna ea vnitate negatiua, & absoluta, qua in intellectu agente est vna.

Secundo respondetur dato antecedenti, negando consequentiam: ratio discriminis est, nam in primo casu natura distingueretur realiter à differentijs indiuidualibus, & consequenter esset realitas ex natura sua ordinata ad constituendum aliquod tertium, cũ inferioribus illam contrahentibus; cæterum natura absq; tali impossibili non habet à parte rei talem inclinationem; & per abstractionem agentis nihil ei communicatur, & sic manet sine vnitate, & aptitudine positiua ad essendum in multis, vsque dum illam acquirat per abstractionem positiuam possibilis.

42. Tertium. Natura per intellectum agentem à materia spoliata non dicit determinationem per singularia, nec realem separa-

tionem ab illis; ergo est vna in multis, ac per consequens vniuersalis. Consequentia probatur: tũ quia inter singulare, & vniuersale non est dare medium: tum ex definitione vniuersalis; sed cum spoliatur à materia per abstractionẽ agentis non est singularis; ergo est vniuersalis, & vna in multis.

Respondetur negando consequentiam adhuc admisso antecedente, nam natura in tali sentẽtia non esset formaliter vniuersalis; etiam si esset abstracta à differentijs illam multiplicantibus, nam vltra hoc requiritur, quod concipiatur cum aptitudine positiua ad inferiora, à quibus fuit abstracta: quod non fit nisi per abstractionem possibilis præsupponentis fundamentum, & terminum talis aptitudinis relatiuæ.

§. IX.

Secundæ sententiæ fundamenta.

43. PRimum. Natura abstracta per abstractionem præcisiuam possibilis est vna, & apta esse in multis formaliter; ergo est vniuersalis formaliter. Consequẽtia est euidens: antecedens probatur quo ad primam partem, natura sic abstracta caret diuisione per inferiora, sed vnitas de formali dicit carentiam diuisionis; ergo natura sic abstracta est formaliter vna. Secunda pars antecedentis probatur, nam talis natura à parte rei est idẽ cum multis, & sic abstracta est vna, cui nõ repugnat esse in multis; ergo est vna apta ad essendum in multis.

44. Vt cum consequentia procedamus aduerte, argumẽta tam huius, quam præcedentis sententiæ falso niti fundamento, nã nec intellectus agens, nec possibilis per abstractionẽ præcisiuam abstrahunt naturam à singularibus, quia (vt supra vidimus) intellectus agens solum habet illuminare phantasmata, & cum illis species omnino spirituales producere: & similiter possibilis per abstractionem præcisiuam solum recipit, & cognoscit singularia in his speciebus repræsentata: dicitur autem intellectum agentem, & possibilem per actionem præcisiuam abstrahere à conditionibus individuantibus, quia purificant, & spoliant species, quæ erant in phantasia ab omni conditione materiæ sensibilis; verumtamen vt videas consequentiam non sequi, adhuc admisso antecedente; ideo illo dato respondetur distinguẽdo antecedens, natura abstracta per præcisiuam possibilis est vna apta ad essendum in multis negatiuè, & fundamentaliter, concedo antecedens; positiuè, & formaliter, nego antecedens, & consequentiam: ad probationem cõcedo maiorem; & nego minorem in opinione probabilissima Thomistarum asserentium vnitatẽ cõsistere formaliter in aliquo positiuo, licet de connotato dicat negationem diuisionis, sine qua non valet

valet cognosci: non aliter ac licet formale peccati commissionis consistat in aliquo positiuo; tamẽ de cõnotato dicit priuationem rectitudinis, sine qua nõ valet cognosci.

45. Dices. Dum formaliter cognoscitur natura abstracta per præcisiuã possibilis formaliter est vna in multis; ergo formaliter est vna apta ad essendum in multis ante positiuam possibilis abstractionem. Antecedens probatur, natura à parte rei est in multis, & per abstractionem præcisiuam habet rationem vnius; ergo per illam est vna in multis. Antecedens probatur, à parte rei natura hominis v.g. est in Petro, & Paulo, &c. & cum abstrahitur ab illis per præcisiuam possibilis est vna, quia abstrahitur à differentijs individualibus naturam multiplicantibus; ergo est vna in multis per hãc abstractionem.

Respondetur negando antecedens: ad probationem dico, quod proprie loquendo à parte rei ratio hominis non est in multis, sed multa; dicitur tamen esse in multis à parte rei fundamentaliter, in quantum præbet fundamentũ, vt intellectus concipiat rationẽ hominis, vt vnam participabilem à multis: vnde ratio hominis formaliter non dicitur esse in Petro, aut Paulo, donec intellectus cõcipiat rationem hominis, vt superiorem Petro, & Paulo: quod nõ fit nisi per abstractionem positiuam possibilis referentem naturam hominis ad individua, quia particula *in*, ordinem, & habitudinem significat.

46. Secundum sic se habet. Natura per præcisiuam intellectus possibilis abstractionem abstracta concipitur non vt pars, sed vt totum potentiale; sed totum potẽtiale, vt tale respicit partes subiectiuas inferiores: ergo si in tali abstractione est totum potentiale, in tali abstractione erit logicũ vniuersale. ¶ Respõdetur distinguendo maiorem, concipitur vt totum potentiale, fundamentaliter, & initiatiuè, concedo maiorem, formaliter, & completiuè, nego maiorem; & distingno minorem, totum potentiale respicit partes subiectiuas, vt est totum, cõcedo minorem: alio modo, nego minorem, & consequentiam: vnde cum in tali abstractione solum sit fundamentaliter totũ, solum fundamentaliter respicit, in quantum est fundamentum, *quod* per formam ex abstractione positiua resultantem formaliter respicit partes subiectiuas inferiores.

47. Tertium. Per abstractionẽ præcisiuam possibilis cognoscitur id, quod in specie facta ab agente repræsentatur; sed in tali specie repræsentatur natura cum habitudine ad singularia; vtique quia repræsentatur vt separata ab illis; ergo per talem abstractionem fit vniuersalitas logica. ¶ Respõdetur concedendo maiorem, & negando minorem, cum proba-

tione inclusa, nam in illa specie solum repræsentãtur prædicata essentialia naturę absque eo, quod repræsentẽtur cum ordine positiuo ad inferiora; nec per modum termini *ad quem*, nec per modum termini *à quo* separationis; ad eũ modum, quo visus in pomo attingit, vel percipit colorem sine sapore, & sine habitudine ad saporem.

§. X.

Argumenta tertiæ sententiæ.

48. PRimum. Vniuersalitas logica est forma relatiua, qua vnum per modum superioris plura respicit inferiora, sed forma relatiua exigit comparationem, cum proprium comparationis sit ordinare; ergo vniuersalitas logica solum fit per simplicẽ comparationem.

Respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem, exigit comparationem, propriã, vel impropriam, concedo minorem, propriam tantum, nego minorem, & consequentiam, nã forma relatiua solum debet fieri per actum attingentem fundamẽtum proximum, & terminum formalem, cum ergo totum hoc attingatur, & fiat per abstractionẽ positiuam possibilis, per illam & nõ per alium actum debet fieri vniuersalitas logica.

49. Secundum. Vniuersale logicum est natura relata actu ad multa, vt vna in illis; ergo solum fit per illum actum, per quẽ cognoscitur natura in ordine ad multa, in quibus vna existit, sed per solam comparationem simplicem sic cognoscitur; ergo per solam istam fit vniuersale logicum: minor, in qua est difficultas, probatur, nam per abstractionem præcisiuam non cognoscuntur multa, sed solum natura, & per abstractionem positiuam tãtum cognoscitur natura vt vna vnitate præcisionis à multis; nõ vt *in quibus*, sed vt *à quibus* abstrahitur natura; ergo solum per simplicem comparationem natura cognoscitur vt in multis.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem: ad probationem distinguo antecedens; quoad secundam partẽ, per abstractionem positiuam tantum cognoscitur natura vt abstracta à multis, directè, & primario, cõcedo antecedens, indirectè, & secundario, nego antecedens, & consequentiam, nam vt cõtra ex nostris assertionibus abstractio positiua non solum abstrahit directè naturam ab inferioribus, sed etiam refert indirectè illam ad inferiora, à quibus fuit abstracta.

50. Tertium. Vniuersalitas specifica nõ consurgit, nisi per actum comparatiuum; ergo nec logica. Antecedẽs probatur, intellectus non tribuit naturæ humanæ v. g. specificam intentionẽ, vsque dum cognoscat inferiora, quibus natura

tura potest cõmunicari: aliàs cõ eo modo illâm illis communicaret; imò non esset, cur intellectus magis ordinaret naturam hanc, proprijs inferioribus, quam alijs, sed cognitio inferiorum solũ datur per comparationem; ergo per illam consurgit vniuersalitas specifica.

Respondetur negando antecedens: ad probationem concedo maiorem; & nego minorem, nam antecedẽter ad comparationem manent inferiora naturę vniuersalis cognitâ per munus primarium, & directum abstractionis positiuæ, vt per secundarium, & indirectum, inferiora, â quib' fuit abstracta, respiciat.

51. Quartum. Abstractio positiua intellectus possibilis directè, & per se primo, est comparatiua naturæ ad inferiora; ergo per munus primarium illius fit vniuersalitas logica. Antecedens probatur, abstractio positiua per se primo cognoscit naturam, & inferiora, sed nequit cognoscere inferiora, quin cognoscat naturam esse in illis; ergo abstractio positiua possibilis directè, & per se primò est comparatiua naturæ ad inferiora.

Respondetur negando antecedens: ad probationem concedo maiorem; & nego minorem, nam abstractio positiua possibilis per se primo non cognoscit naturam esse in inferioribus, vt in termino *ad quem*; sed esse ab illis abstractam tanquam â termino *à quo* abstractionis; & ideo talis actio quoad munus primarium nõ est comparatio, sed abstractio absoluta, qua fit vniuersale metaphysicum, quod est vniuersalis logici proximum fundamentum.

52. Dices. Natura ex munere primario abstractionis positiuæ nihil accipit prẽter ea, qua secundum se illi competunt, at naturæ secundũ se non cõpetit vniuersalitas metaphysica; ergo nec hæc ei cõpetit ex munere primario abstractionis positiuæ. ¶ Respondetur negando maiorem, nam ex vi abstractionis positiuæ accipit vnitatem præcisionis, quam natura in statu secundum se non habet.

53. Pro complemento quæstionis inquires primo: quare nõ possit fieri vniuersale logicum per comparationem compositam? ¶ Dico non posse fieri, quia vniuersale logicum est vnum aptum ad essendum in multis, sed per cõparationem compositam vniuersale determinatur ad vnum; ergo vniuersale logicum præsupponitur ad comparationem compositam, sicut potẽtia præsupponitur ad actum.

54. Inquires secundo. Quomodo se habeant rationes inadæquatæ abstractionis positiuæ? ¶ Respondeo abstractionẽ positiuam directè in recto cognoscere naturam in specie repræsentatam; & directè in obliquo singularitates relictas; indirecte vero in recto naturam in actu exercito ordinatam ad inferiora; & indi-

indirectè in obliquo inferiora, quæ talem terminant naturam.

55. Inquires tertio: an ad vniuersale logicum sit opus, quod natura cognoscatur vt actu existens in inferioribus? ¶ Respondetur negatiue. Et ratio est, nam vniuersale logicum fit per illam actionem, per quam cognoscitur natura vt aptum fundamentum vniuersalitatis; sed fundamentū vniuersalitatis non est natura vt actu in multis, sed vt potens existere in multis; ergo fit pro formali per munus secundarium abstractionis positiuæ, in quantum cognoscitur natura vt potens esse in multis proxime.

Explicatur hæc ratio. In natura separata prior est potentia ad essendum in inferioribus, quam actus existendi in illis; sed potentia ad essendum in inferioribus cōsistit in relatione rationis vniuersalis logici constitutiua; ergo vniuersale logicum datur antecedēter ad actum existendi in inferioribus per potentiam ad existendum proximè in illis.

56. Dices. Per illam actionem fit vniuersale logicum, per quam redditur proxime capax, vt ei tribuatur secunda vniuersalitatis intentio; sed sola natura vt actu existens in pluribus istam habet proximam capacitatem; vtique quia si non esset in pluribus actu existens, non esset vniuersalitatis capax; ergo per solam actionem, qua cognoscitur vt vnum actu existens est vniuersalitatis capax.

Respōdetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem, sola natura actu existens est vniuersalitatis capax, sola natura in re actu existens, transeat minor; cognita vt actu existēs, nego minorem, & consequentiam, nā licet certum sit, quod natura non sit capax vniuersalitatis, nisi sit actu existens in pluribus; cæterū non requiritur, vt cognoscatur vt actu existens, sed sufficit, vt cognoscatur potens ad hoc vt de illis prædicetur. ¶ Consulto dixi, *transeat minor*, nā in opinione cōmuni Thomistarum, potentia ad existendum in multis sufficit ad fundandam vniuersalitatem: sed de hoc latius disp. 4. seq. q. 2. §. 1. num. 3. & §. 2. fere per totum vbi ex professo hæc est vtilanda difficultas.

Replicabis: loquendo de vniuersali, quod est de essentia suorum inferiorum, prædicatum essentiale nō præbet fundamentum intellectui, vt prius concipiatur vt potens conuenire suis inferioribus, quam vt actu conueniens; vtique quia pro omni priori, quo inferiora cognoscuntur, debet concipi quidquid est de illorum essentia vt actu illi competēs; sed actio, qua fit vniuersale logicum, debet habere fundamētum in re; ergo non fit per actionem, qua cognoscitur potens cōuenire, sed vt actu conueniens.

Respondetur negando maiorem, nam eo ipso, quod prædicatum superius, quod est de essen-

tia

tia inferiorum, possit abstrahi cũ fundamẽto in re ab inferioribus, poterit etiam cum eodem fundamento concipi vt potens conuenire inferioribus per identitatem per modum totius potẽtialis anteuertenter, quam concipiatur vt actu conueniens. Nec obstat quod sit de essentia inferiorum, nam ex hoc solum sequitur, quod concipiatur tale prædicatum in obliquo, vt pars illorum; vt dixi §. 6. huius quæst. nu. 30.

57. Non quiescẽs. Per eandem actionem fit vniuersale logicum formaliter, per quam cognoscitur terminus vniuersalitatis, sed nequit cognosci eius terminus, quin cognoscatur natura actu illi conueniẽs, & in illo inclusa; ergo natura cognita vt actu existens in multis est vniuersalitatis fundamentum. Maior probatur, genericæ vniuersalitatis terminus sũt species, sed istę nequeunt cognosci, quin cognoscatur genus, quod est de essentia illarum, vt in eis actu existens; ergo terminus vniuersalitatis non potest cognosci, quin cognoscatur natura actu illi conueniens, & in illo inclusa.

Respondetur distinguendo minorẽ, species nequeunt cognosci, quin cognoscatur in illis gen', in obliquo, & per modũ partis, cõcedo minorẽ, in recto, & per modũ totius potentialis, nego minorẽ, & consequentiam, nam actio vniuersalis effectiua primario, & in recto attingit naturã, vt vniuersalitatis subiectum, & solũ in obliquo attingit inferiora includẽtia actu per modum partis naturam, quam ab illis abstractam cõsiderat per modũ totius & cum potẽtia ad existendum actu in illis.

58. Replicabis secundo. Vniuersalitas logica, consurgit per actum, per quem cognoscitur; sed non est cognita per abstractionẽ positiuam intellectus possibilis; sed per simplicem comparationẽ ipsius; cum per illam solum cognoscatur natura vt abstracta ab indiuiduis; ergo per comparationem, & non per hanc abstractionem fit logicum vniuersale.

Vt ad hanc replicam respondeat Magister Arauxo 1. metaph. lib. 3. quæst. 3 art. 5. notat secundam intentionem posse dupliciter cognosci ab intellectu; & in actu exercito & vt *quod*, & in actu signato & vt *quo*: tunc cognoscitur in actu exercito, quando naturam cognoscit in ordine ad inferiora, nõ cognoscendo naturam secundæ intentionis: tunc vero cognoscitur in actu signato, quando naturam & essentiam secundæ intẽtionis cognoscit. Quo supposito asserit intellectum per actum comparatiuum cognoscere secundam intentionem vel vniuersalitatem in actu exercito, nõ vero in actu signato. Eodem modo respondeo ad replicam, vel vt proprijs terminis vtar, dico secundam intentionẽ cognosci indirectè practicè per præcisionem positiuam, & directè speculatiuè per comparationem simplicem.

DIS-

DISPVTATIO QVARTA DE PRAEDICABILIBVS.

IN superiori disputatione egimus de vniuersalibus, seu prædicabilibus in communi; nunc restat de prædicabilibus in particulari sermo, & doctrina; inter quæ primum locum obtinet Genus; & ideo de illo sit.

CAPVT I. DE GENERE.

PRIMO PRAEDICABILI.

VArijs relictis generis acceptionibus vt ad logicum non spectantibus Genus logicu, quod à Porphyrio vocatur Philosophorũ genus, hoc modo definitur: *Genus est, quod prædicatur de pluribus, differentibus specie in eo quod quid.* Vt animal, quod prædicatur essentialiter, hoc est, *in quid*, de homine, equo, & leone, qui inter se specie differunt. Explico definitionem: ly *quod prædicatur* ponitur loco generis, in quo conuenit cum reliquis prædicabilibus; ly *de pluribus* ponitur ad differentiam individui, quod de vno tantũ prædicatur: ly *differentibus specie* ad differentiam speciei, quæ solum de differẽtibus numero prædicatur: & denique ly *in eo quod quid*; vt distinguatur à differentia, quæ *in quale quid* prædicatur, & etiam vt distinguatur ab accidenti, & proprio, quę *in quale* tantum prædicantur. ¶ Ex dictis colliges hanc definitionẽ esse descriptiuã, vtique quia datur per prædicabilitatem, quâ vt passionem vniuersalis tam in communi, quam in particulari assignaui in q. 1. §. 1. nu. 2. disp. 3.

QVAE-

QVÆSTIO I.

Vtrum natura, vel secunda intentio generis, vel vnum resultans ex illis in recto in definitione generis definiatur?

§. I.

Præmittuntur aliqua.

1. PRo tituli intelligentia nota primò, quod genus, (sicut quodlibet concretum accidentale, siue reale, siue rationis) duo importat, vnum pro materiali, & alium pro formali, pro materiali importat naturam, & pro formali secundam intentionem, qua natura inferiora specie differentia respicit. Cum ergo ex natura, quę completa est in genere substātiæ, & ex secūda intentione, quæ etiā est completa in genere relationis non resultet vnum per se definibile, sicut ex materia prima, & forma substantiali; ideo dubitatur: quid per hanc definitionem in recto definiatur? videlicet, an sit sola natura? vel an sola secunda intentio? vel an hæc provt cōnotat illam? vel è contra? vel denique an sit concretum ex natura tanquam ex parte materiali, & ex secunda intentione generis tāquā ex formali resultans? In præsenti non procedit certamen in duobus prioribus acceptionibus, quia inconfesso est apud omnes rationem definitam non esse secundam intentionem, provt excludit naturam; nec naturā, provt secundam excludit intentionem.

2. Nota secundo illam particulam definitionis *prædicatur* non dicere prædicationem actualem, sed prædicabilitatem: prædicabilitas autem est duplex, fundamētalis vna, & formalis alia: fundamentalis nihil aliud est, quam cōnexio illa, quæ datur inter prędicatum, & subiectū, ex qua dimanat, quod vnū possit de alio prædicari; & hæc prædicabilitas certum est conuenire naturæ, non secundum se, sed provt vt subest secundę intentioni: formalis prædicabilitas est quædam relatio rationis, per quam natura respicit sua inferiora, vt aliquid de illis prædicabile.

§. II.

Referuntur sententiæ.

3. PRima asserit rationē in recto definitam in generis definitione esse naturam provt in obliquo connotat secundam intentionem; vel provt subest secundæ intentioni. Ita Toletus, q. 1. prædicabilium. Raphael de Auersa. q. 8. Logicæ, sect. 2. Iabellus in Logica, cap. 1. Paulus Venetus, q. 1. Sotus, q. 1. de genere.

4. Secunda pro viribus defendit definitum huius definitionis esse secundam intentionem in recto, naturam in obliquo connotantem. Ita Caietanus de ente, & esſen-

essentia, cap. 4. Araux 3. metap. q. 4. ar. 2. Sanchez lib. 2. q. 2. Didacus à Iesu, disp. 2. q. 1. Gallego controuers. 10. & fere omnes Thomistæ.

5. Tertia docet in generis definitione definiri in recto cõcretum accidentale, ex natura tanquam ex parte materiali, & ex genereitate tanquã ex formali coalescens. Hanc tuentur Capreolus in 1. dist. 8. q. 4. art. 3. Cauero hic tract. 3. disp. 2. Ruvius cap. de genere q. 2. & vnus pro mille. Angelicus Doctor locis infra citandis.

§. III.

Prima conclusio.

6. DEfinitum in generis definitione nec est natura in recto prout connotat genereitatem, nec è contra. Quoad primã partem probatur primo. Definitio generis essentialiter, & in recto explicat essentiam generis, sed natura prout connotat secundam intentionem solum denominatiuè est genus, vt cõstat in hac propositione: *animal est genus*, quæ in omniũ opinione est quinti prædicabilis; ergo natura prout connotat secundam intentionem non est rectum huius definitionis.

7. Quoad secundam partẽ probatur ratione communi, & fundamentali. Illud est definitum, cui conuenit definitio, sed hoc, quod est posse prædicari de pluribus, nõ conuenit secundæ intentioni in recto, prout connotat naturam, cum secunda intentio non sit prædicabilis *vt quæ* de inferioribus, sed ratio prædicandi; ergo secunda intentio prout connotat naturam non est huius definitionis definitum. ¶ Confirmatur. Secunda intentio prout cõnotat naturam definitur per hoc, quod sit ratio formalis, qua natura respicit inferiora, sed definitio Porphyrij est ab illa distincta; ergo secunda intentio connotans naturam non est huius definitionis definitum.

8. Secundo probatur ratione speciali. Quod in definitione dicitur explicitè in recto, debet implicite dici in definito in recto, sed definitio generis à Porphyrio tradita in recto dicit naturam, & secundam intẽtionem, & in obliquo inferiora tantum; ergo genus in recto dicit naturam, & secundam intentionem, & in obliquo solum inferiora.

9. Dices. Essentia accidẽtis secundum eadem non cõsistit in actuali inhæsione, sed in aptitudinali; ergo genereitas vt connotans naturam est formaliter genus, & ratio in recto à Porphyrio definita. Consequentia probatur, actualis inhærentia non requiritur in genereitate, vt eius essentia saluetur; ergo nec vt essentia generis, quod concretum accidentale est. ¶ Respondetur cõcedendo antecedens, & negando consequentiam: ad probationem con-

concedo antecedens; & nego consequentiam, nam arguitur ab essentia vnius partis ad essentiam totius, optimè enim stat, quod subiectum in recto non sit de essentia genereitatis, vel abstracti, & quod sit de essentia generis, seu concreti; vt constat in materia prima, de cuius essentia in recto non est forma; etiam si in recto sit de essentia compositi naturalis.

§. IV.

Secunda conclusio.

10. DEfinitum huius diffinitionis est vnum per se perfeitate accidentali, ex natura tanquã ex parte materiali, & ex genereitate tanquam ex formali resultans. ¶ Pro cõclusionis intelligentia nota, quod inter vnum per se perfeitate substantiali, vel essẽtiali, & vnum per accidens, datur medium, scilicet vnũ per se perfeitate accidẽtali; quod vnum dicitur medium; quia à prima vnitate participat perfeitatẽ, & à secunda esse accidentale. Vnum per se perfeitate substantiali, vel essentiali resultat ex partibus per se intra idẽ genus ordinatis, & vnitis; vt homo; quantitas; albedo: vnum per accidens resultat ex pluribus entibus completis inter se, nec ordinatis, nec vnitis; vt cumulus lapidum: vnum per se perfeitate accidentali resultat ex partibus diuersorum prædicamentorum, quę licet ad inuicem non sint ordinatæ; tamen aliqua illarum ordinatur ad aliam, vt media vnione physica, & reali, quæ inhærentia actualis appellatur, vniantur; vt album, genus.

Quod vero mutuus respectus non sit necessarius ad vnum per se perfeitate accidentali, constat ex eo, quod minor vnitas est necessaria ad vnum per se perfeitate accidentali, quã ad vnum per se perfeitate substantiali, sed hoc datur de facto in Christo Dño, vt individuo naturę humanę; vbi ex subsistentia non ordinata, & ex humanitate ordinata resultat vnum per se perfeitate substantiali; ergo & illud poterit dari absque mutuo vtriusque partis respectu.

11. Nec valet discrimine; quod Christus vt individuum naturæ humanæ resultat ex rebus ad idem genus substantiæ spectantibus; & sic posse ex illis resultare vnum per se, etiam si vtraq; quasi pars non ordinetur; at vero concreta accidentalia coalescunt ex rebus in diuersis prædicamentis existentibus; & ideonõ posse fieri ex illis vnum ens per se etiã perfeitate per accidẽs; quamuis vna ex earum partibus ab alia dependeat.

Non (inquam) valet, nã in opinione probabilissima Thomistarum; imò & quod plus est D. Th. 3. p. q. 77. art. 5. in corp. quando corrumpuntur species sacramẽtales, quantitas panis, gerens vices materiæ primæ constituit

cum forma substantiali vnum per se *perfectate substantiali*; etiam si ad diuersa spectent prædicamenta; non alia ratione, nisi quia quãtitas non intrat ad constitutionẽ compositi, vt accidens; sed vt gerens vices materiæ primæ; si ergo ex rebus ad diuersa prædicamẽta spectantibus potest fieri vnum per se *perfectate substantiali*, quare non poterit fieri vnum per se *perfectate accidentali*, præcipuè cum subiectum non intret ad cõstitutionem concreti accidentalis, vt formaliter tale; hoc est, vt formaliter exprimit rationẽ substantiæ; sed vt denominabile à forma accidẽtali, vt substractum illius.

12. Nec valet dicere, quod in omni vno *per se* datur forma totalis; vt in homine, *humanitas*, & in numero ternario *ternitas*, quæ nõ valet assignari in concreto accidentali. ¶ Non (inquam) valet nã sicut in homine v. g. datur *anima rationalis*, quæ vt forma partialis per se respicit aliam compartem; & *humanitas*, quæ vt forma totalis non respicit compartem; cum vtramque includat, sed subsistentiam, cum qua constituit concretum substantiale, videlicet hominem: sic *in albo* v. g. datur *albedo*, quæ perfectate accidentali respicit subiectum vt forma partialis; & similiter forma totalis ex albedine, & ex pariete (si fas est sic loqui) resultans, quæ vt totalis nõ respicit subiectum, quod includit; sed subsistentiam subiecti, cum qua constituit concretum accidentale; scilicet albũ: ecce qualiter suo modo datur forma totalis in concreto accidentali, vel in vno per se perfectate accidẽtali, sicut in vno per se perfectate substantiali.

13. Tota hæc doctrina constat expresse ex Philosopho 8. metap. cap. 6. tex. 15. vbi ait, *Vnum per se fieri ex actu, & potentia*: & ponit exemplum in concretis accidentalibus, vt *in quanto*, & *in quali*: & etiam constat ex Diuo Thoma, opu. 56. vbi ait: *ex subiecto, & accidenti non fieri vnum per accidens, sicut in aggregato, v. g. cumulo lapidum.*

14. Nota secundo ex Philosopho lib. 7. metap. tex. 4. & ex Diuo Thoma plurib⁹ in locis, quod in accidentis definitione semper includitur subiectum; cum hoc discrimine, quod quando accidẽs definitur in cõcreto, tunc definitio in recto, & per modum generis includit subiectum; quando verò definitur in abstracto, tunc definitio includit subiectũ in obliquo, & per modũ differentiæ. Audi D. Tho. 7. metap. lect. 1. *Accidentia nõ habent esse nisi per hoc, quod in sunt subiecto; & per hoc oportet, quod subiectũ in definitione accidentis ponatur: quandoq; in obliquo, quãdoq; in recto: in recto quidem, quando accidens significatur in cõcretione ad subiectum: vt cũ dico: simus est nasus curuus.* Ex quib⁹ verbis expresse cõstat, subiectũ intrare in recto in definitione concreti accidentalis.

Quod

Quod verò ponatur quasi ratio generica constat ex ipso S. Doctore 12. q. 53. ar. 2. ad 3. vbi nõ solum asserit subiectũ includi in definitione cõcreti accidentalis per modum generis, sed simul tribuit rationẽ. *Quocumq; modo significetur accidens habet dependentiam a subiecto; aliter tamen & aliter: nam accidens significatum in abstracto, importat habitudinem ad subiectum, quæ incipit ab accidenti, & terminatur ad subiectum; & ideo subiectum in diffinitione accidentis per modum abstracti, non ponitur quasi prima pars diffinitionis, quæ est genus; sed quasi secunda, quæ est differentia: sed in concretis incipit habitudo à subiecto, & terminatur ad accidẽs; dicimus enim album est, quod habet albedinem; & ideo in definitione huiusmodi accidentis ponitur subiectum, tanquam genus.* Quid expressius hac auctoritate?

Ex illa autem colliges rationẽ, quare in concretis accidentalib⁹ subiectum se habeat quasi genus, nam genus ex se significat *vt per se stans*, vel *in quid*, quod non conuenit formæ accidentali vt in cõcreto, sed vt in abstracto, cũ hæc in concreto significetur vt alteri adiacens, vel *in quale*, quod est proprium differentiæ; vt constabit ex illius definitione; ergo optime docet Angelicus Doctor, quod forma accidentalis in abstracto habet rationem generis, & quod in cõcreto habet rationem differentiæ.

15. Quibus suppositis probatur conclusio, ratione desumpta ex Sancto Doctore. Definitum huius definitionis est concretum accidentale, videlicet *genus*; sed secunda intentio, vt connotat naturam, nec è contra, non est genus; (vtique quia genereitas, vt connotans naturam, solum est forma generis, non genus; & similiter natura, vt connotans genereitatem, solum denominatiuè est genus) ergo definitum essentiale est compositum ex natura, & secunda intentione. Minor probatur primò ex D. Tho. loco supra citato, vbi ait: quod quando accidens definitur in abstracto, tunc connotat subiectum, quod habet rationem differẽtiæ; ergo ex mente Angelici Doctoris non extrahitur forma accidẽtalis à ratione abstracti, per hoc quod connotet subiectum.

Secundo probatur eadem minor ratione, nam si per potentiam Dei absolutam *albedo* v. g. esset ab omnibus subiectis separata, tunc subiectum connotaret, & tamen in tali casu *albedo* non esset in concreto, sed in abstracto; ergo secunda intentio, vt connotat naturam, nõ est genus.

16. Secundo probatur conclusio. In hac definitione definitur concretum accidentale, & nõ abstractum concreti accidentalis; sed forma, vt connotans intrinsecè subiectum, non accedit ad rationẽ concreti, sed semper manet in ratione abstracti; ergo secunda

intentio, seu genereitas, vt connotat subiectum, seu naturam de pluribus differentibus prædicabilem, non est huius definitionis definitum; ergo solum cõcretum resultans ex natura, & secunda intentione, est definitum huius definitionis. Secunda consequẽtia constat ex prima; prima ex præmissis; minor, in qua est difficultas, probatur: subiectum non extrahitur à ratione substracti, seu à ratione quasi partis materialis concreti accidentalis, per hoc, quod intrinsecè connotet formam; ergo nec forma extrahitur à ratione abstracti, seu à ratione partis formalis, per hoc, quod intrinsecè connotet subiectum.

17. Dices. Ex eo secunda intentio, vt connotat naturam, non est definitum essentiale huius definitionis, quia secunda intentio, vt connotat naturam, non prædicatur de inferioribus; sed nec etiam concretum resultans ex natura, & secunda intentione prædicatur de illis; ergo propter eandem rationem debet cõcretum à ratione definiti excludi.

Respondetur negando maiorem, nam non negamus rationem definiti secundæ intentioni, ex eo, quod ipsa actu non prædicetur; sed ex eo, quod non est apta prædicari, *vt quod*, & *vt quo*, quod est ad rationem generis necessarium: vnde genus dicit in recto hoc quod est *prædicari*, quod includit essentialiter, & naturam, quæ est prædicabilis, & secundam intentionem, ratione cuius natura est prædicabilis.

§. V.

Argumenta primæ sententiæ.

18. IN fauorem primæ sentẽtiæ argues primo. Genus (secundum Philosophum 1. post. capit. 4.) est de intrinseca ratione specierum; sed nec secunda intẽtio generis, (cum rationis sit) nec aggregatum, (cum de formali sit etiam rationis) est de intrinseca ratione specierum: ergo sola natura vt connotat secundam intentionem est huius definitionis definitum.

Confirmatur, nam quando Porphyrius generis definitionem exemplo demonstrauit, dixit; *vt animal*; ergo ratio ab ipso in recto definita fuit natura animalis.

Respondetur distinguendo maiorem, genus est de intrinseca ratione specierum, *formaliter* sumptum, nego maiorem, *fundamentaliter* acceptum, concedo maiorem, & minorẽ; & nego cõsequentiam; nam quod definitur non est genus fundamentale, (quod est de intrinseca ratione specierũ) sed genus formale, quod in recto coalescit ex natura, & secunda intentione.

Ad confirmationem respondetur

tur Porphyrium posuisse exemplum in natura *animalis*, nō excludendo secundam intētionem generis, sed potius illam includēdo.

Hac solutione debet responderi, ad aliam auctoritatem Diui Thomæ desumptam ex opus. 42. vbi docet: *quōd quādo dicitur, quod natura prædicatur de pluribus; sensus est, quod res, prout subest secundæ intentioni, est, quæ prædicatur*: nā Diuus Thomas (vt constat ex ipsis verbis) non excluſit secundam intentionem, quam vt rationē formalem ad prædicabilitatem necessariam pluribus in locis supponit; præcipuè 5. metap. lect. 9.

19. Secundo. Illud est definitum cui competit definitio, sed *prædicari de pluribus specie differentibus* conuenit naturæ secundum suam essentiam, & non ei vt denominabili a secunda intentione; vtiq; quia *animal* vt est *vinens sensibile* prædicatur *de homine, & leone*; & non vt subſtat *secundæ intentioni* (ni dicas has propositiones esse veras; *homo est genus; leo est genus*) ergo natura est, quæ definitur in hac definitione.

Respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem, *prædicari de pluribus* conuenit naturæ *vt quod*, concedo minorem; *vt quod, & vt quo* simul, nego minorem; nam licet verum sit, quod sola natura sit prædicabilis *vt quod*, cum sola illa sit de intrinseco inferiorum conceptu; tamen secunda intentio est ratio quare hæc natura sit prædicabilis; vtique, quia ex se natura nec refertur, nec prædicatur de inferioribus, sub illa contentis.

Tertio. Definitio generis solum conuenit naturæ, vt constat in hac prædicatione *homo est animal*, in qua sola natura prædicatur: ergo sola illa fuit prædicabilis, cum actus correspondeat potentiæ.

Respondetur negando antecedens, nam in hac definitione nō definitur id, quod actu prædicatur, sed id, quod est prædicabile, quod solum *vt quod*, & denominatiuè conuenit naturæ. Ad probationem dico, quod etiam in hac prædicatione; *homo est animal* datur id, quod actu prædicatur, scilicet *animal*, & ratio prædicandi, quæ est secunda intentio prædicati; sicut enim secunda intentio prædicati constituit actum; sic secunda intentio generis, vel vniuersalis constituit potentiā, quæ se habet, vt conditio ad actualem prædicationem.

21. Dices. Actus non destruit, sed perficit potentiam; ergo secūda intentio prædicati, quę est forma, qua natura actu prædicatur, non destruit secundam intentionem prædicabilitatis, qua formaliter potest prædicari.

Respondetur primo concedēdo antecedens; & negando consequentiam; ex eo enim, quod secūda intentio prædicati destruat secundam intentionem vniuersalitatis, vel prædicabilitatis, nō sequitur, quod destruat, & quod nō per-

perficiat potentiam, nam secunda intentio prædicari perficit naturam actu prædicabilem de multis: vnde potentia prædicationis actualis non constituitur per secundam intentionem vniuersalis, (quæ solum se habet vt conditio ad prædicationem) sed per capacitatem reperiam in natura ad actualem prædicationem.

Secundo respondetur negando etiam consequentiam, nam secunda intentio vniuersalis nō est potentia; sed actus, cum sit in genere relationis, in quo nō datur potentia (vt videbitis in prædicamēto relationis, disp. 6 quæst. 6. per totam) & sic tota ratio potentiæ, tam in ordine ad prædicabilitatē, quam in ordine ad actualem prædicationem, residet in natura, quæ capax est ad vnū, & alium actum secundum, in tali relationis genere.

22. Replicabis. Secunda intentio prædicabilis, est ratio formalis, quia natura est formaliter prædicabilis: ergo quando actu prædicatur in actu secundo, & in exercitio, non solum prædicatur natura; sed secunda intentio prædicabilis. Consequētia probatur, quia albedo in actu primo, est ratio formalis, quæ subiectum disgregat visum, ideo cum illo in actu secūdo disgregat visum: ergo quia prædicabilitas est ratio prædicandi in actu secundo, ideo prædicabitur cum natura, ratione secundæ intentionis prædicati.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam: ad probationem concedo antecedens, & nego consequentiam; nam prædicabilitas, cum sit relatio referens actu subiectum ad terminum, iam habet suum vltimum exercitium, per hoc, quod referat, absque eo, quod postea actu præexistat, quia secunda intentio prædicabilitatis non est de essentia subiecti, vt de illo dicatur *vt quod*; nec est ratio actu constituens prædicationem actualem, cum hoc sit proprium secundæ intentionis prædicati.

§. VI.

Argumenta secundæ sententiæ.

23. IN fauorem secundæ sententiæ argues primo, Definitio debet conuenire definito *per se*; sed *prædicari de pluribus* non conuenit naturæ *per se*, sed solum secundæ intentioni; (vtique quia natura ratione secundæ intentionis est prædicabilis) ergo sola secunda intentio est definitum *per se*.

Respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem, *prædicari de pluribus* non conuenit naturæ *per se*; *vt quo*, concedo minorem, *vt quod*, nego minorem, & consequentiam, nā natura *vt quod per se* est prædicabilis ratione secundæ intentionis.

Nec obstat, quod sit ratione secundæ intentionis referibilis, vt sit *per se*, & *vt quod*, prædicabilis nā

na-

natura ex se debet esse de conceptu subiecti, quod necessarium etiã est ad prædicabile.

24. Dices. Hæc definitio datur per terminos secundæ intentionis, scilicet per vniuersalitatẽ, & prædicabilitatem: ergo secunda intẽtio, quæ connotat naturam est ratio definita.

Respondetur distinguendo antecedens, hæc definitio datur per terminos secundæ intentionis, tantum, nego antecedens; per terminos primæ, & secundæ intẽtionis, simul concedo antecedens; & nego consequentiam; nam sola secunda intentio non est genus sed pars formalis generis; & ideo semper natura est necessaria ad generis conceptum.

25. Replicabis. Ratio formalis *quæ* logicæ est in hac definitione in recto definita; (vtique quia est genus definitum, vt pertinens ad logicam) sed sola secunda intẽtio est ratio formalis *quæ* logicæ in recto ab illa inspecta: ergo sola illa est in recto definita.

Respondeo negando maiorem: ad probationem concedo minorem; & nego consequentiam, nam in præsenti non fuit à Porphyrio definitum id, quod *per se, & de formali* spectat ad logicum; sed id, quod tam *de formali*, quam de *materiali* ad illum spectat; aliàs non genus, sed genereitatem definiret.

26. Argues secundo. Cõcretum resultans ex substantia, & accidẽti, non est vnum *per se*, sed *per accidens*; sed tale est, quod resultat ex natura, & secunda intentione: ergo non potest vnica definitione definiri. Maior probatur, ex rebus ad diuersa prædicamenta spectantibus non resultat vna entitas, sed duæ entitates: ergo concretum resultans ex substantia, & accidenti, non est vnum *per se*, sed *per accidens*. Consequentia syllogismi principalis probatur, duæ entitates non vnica, sed duplici definitione debent definiri: ergo natura, & secunda intentio, nequeunt vnica definitione definiri.

Respondetur negando maiorem; ad probationem nego antecedens; nam licet ex rebus diuersorum prædicamentorum aliqua vnione vnitis non resultet vnum *per se, per settate essentiali*, resultat tamen vnum *per se, per settate accidentali*, quod sufficit, vt definitione vna definiantur.

27. Dices. Genereitas accidit naturæ: ergo ex illis non fit vnum *per se, per settate accidentali*.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam media inhærentia fit ex genereitate, & natura, vnum *per se*; vt constat ex dictis in notabilibus.

28. Tertio. In concretis accidentalibus ratio in recto definita coincidit cũ ratione in recto significata; sed in concretis accidentalibus ratio in recto significata est forma, vt constat ex Philosopho, cap. de substantia, & ex Diuo

Thom. 7. metap lect. 1. vbi docet; *album solam qualitatem significare*; ergo ratio in recto definita, est sola genereitas, vt connotans subiectum, & non è contra.

Respondetur primo concedēdo maiorem, & negando minorem; & quoad auctoritatem dico, album solam qualitatem significare de formali; in quo sensu locutus fuit Philosophus, nam albū (vt quoliber concretum accidentale) vtrumque significat, & pro vtroque supponit; cum hoc tamē discrimine quod magis principaliter *significatio* stat *pro forma*; & è contra *suppositio pro subiecto*.

Secundo respondetur concedēdo maiorem, & distinguendo minorem; in concretis accidēralibus ratio significata est forma, determinata, concedo minorem; indeterminata, nego minorem, & consequentiam; nam *album* v. g. licet determinate in recto non significet subiectum, quod potest esse lapis, vel homo &c. tamen indeterminatè, seu in potentia illud significat. Iuxta hanc solutionem dicendum est Philosophum dixisse album solam qualitatē significare, videlicet albedinē, quia solam illam actu, & determinatè significat.

29. Quarto. Ex Sancto Doctore 5. metap. lect. 9. vbi ait: *Album, vt in prædicamentis dicitur, solā qualitatem significat, hoc autem nomen album significat subiectum ex consequenti, in quantum significat albedinem per modum accidentis*: ergo ex mente Diui Thomæ *album* nō solum significat qualitatem de formali, sed *adæquatè, & in recto*; cum solum ex consequenti, *seu in obliquo* importet subiectum.

Respondetur Diuum Thomā loqui *de albo*, prout in prædicamēto collocatur; in quo sensu verum est solam qualitatem significare *in recto, & ex consequenti, seu in obliquo* subiectum; cum hoc tamen stat, quod album *ex se*, & absque tali ordine, vtrumque *in recto* significet; in quo sensu ferè semper fuit à Diuo Thoma pluribus in locis definitum, dicens: *album est subiectum habens albedinem*.

30. Dices. Albedo, & non album collocatur in prædicamento: ergo Diuus Thomas nō potuit in verbis supra relatis loqui de albo, vt in ordine ad prædicamentum.

Respondetur Diuum Thomā loqui in opinione probabili, in qua non solum albedo, sed album collocatur in prædicamento.

31. Dices secundo. D. Thomas cap. 7. de ente, & essentia sic ait: *forma autem cum subiecto non facit vnum per se, sed per accidens; & ideo ex eorum coniunctione non resultat essentia quædā, sicut ex materia, & forma*: ergo ex mente Diui Thomæ non fit ex natura, & genereitate vnum *per se*, sed *per accidens*.

Respondetur Diuum Thomā non dixisse absolutè non resultare vnum *per se*, sed *per accidens*, ex forma accidentali, & ex subiecto, sed comparatiuè ad vnum *per se*, quod resultat ex materia, & forma;

ma; in quo sensu libenter fateor esse vnum *per accidens*.

32. Argues quinto. Definitum debet esse quid vniuocum ad omnia, quæ sub illo comprehenduntur; sed genus, provt comprehendit *in recto* naturam, non est quid vniuocum ad omnes naturas genericas: ergo sola intentio, provt connotat naturam, est huius definitionis definitum. Minor probatur: genus ex parte naturæ comprehendit ens reale, & rationis, substantiam, & accidens, à quibus nullo modo valet abstrahi aliquid vniuocum: ergo genus, provt in recto, comprehendit naturam, non est aliquid vniuocum.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem; nam licet naturæ genericæ, quæ genereitatem fundant, distinguantur *in esse entis*, & pertineant ad diuersa prædicamenta; conueniunt tamen vniuocè in ratione substracti, & secundum quod denominabiles sunt à secunda intentione, cum ad hoc solùm sit necessarium, quod contineant sub se plura specie differentia: non aliter ac licet æquiuocum vt tale nõ valeat vnica definitione definiri; tamen in ordine ad alia æquiuoca potest vnica definiri definitione, quia omnia vniuocantur in hoc, quod est *importare vnum nomen, quod plura vt plura significet*.

33. Dices. Substractum formale *vt sic*, non prædicatur de pluribus specie differentibus: ergo substractum *vt sic*, quod abstrahit à particularibus substractis ad diuersa prædicamẽta spectantibus, non est huius definitionis materiale definitum. Consequentia est certa: antecedẽs probatur: à substractis particularibus, scilicet, ab animali, & colore, non valet abstrahi aliquid commune de pluribus specie differentibus prædicabile, quod mediet inter illa, & intentionem generis, vtique quia hoc tãtum potest esse vel ly *genus*, vel ly *substractum generis*; sed de homine, & leone non valet prædicari ly *genus*, nec ly *substractum generis*, cum hę prædicationes sint falsæ; *homo est genus*; *homo est substractum generis*: ergo substractum formale *vt sic*, non prædicatur de pluribus specie differentibus.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam licet ex parte naturæ, seu substracti *vt sic*, non correspõdeant omnes naturæ in particulari, correspondet tamen, in actu *signato*, aliquid omnibus naturis commune, scilicet, *omnes* provt conueniunt in hoc, quod est subijci genereitati: vnde adęquatum substractum genereitatis *vt sic*, est natura generica *vt sic* denominabilis à genereitate; & huic conuenit etiam, in actu *signato*, prędicari de pluribus: nec est necessarium, quod genus *vt sic*, *in actu signato*, prędicetur in exercitio, quia ibi explicatur huius natura in cõmuni, & exercitium debet esse in generibus in particulari; sicut quãdo dicitur, quod album *vt sic*, est

est disgregatiuum visus, non debet exercitium disgregandi conuenire albo *vt sic*, sed huic, vel illi albo.

34. Replicabis. Subſtractum *vt sic*, generis ſolum reſpicit plura ſolo numero diſtincta; vtiq; quia tale ſubſtractum *vt sic* prædicatur, de hoc, & illo genere *in eo quod quid completè*; videlicet de animali, & colore, quæ reſpectu generis *vt sic*, vel ſubſtracti generis *vt sic*, tantum numero differunt; ergo tale ſubſtractum non eſt huius definitionis definitum, cũ hoc debeat reſpicere plura ſpecie diſtincta.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens, ſubſtractum *vt sic* generis ſolum reſpicit plura ſolo numero diſtincta, *relatione ſecundi prædicabilis*, concedo antecedens; *relatione primi prædicabilis*, nego antecedens: nam licet verum ſit, quod ſubſtractum *vt sic* generis non reſpiciat in actu *exercito* plura ſpecie diſtincta; tamen in actu *ſignato* illa reſpicit; cum ſit ratio abſtracta ab omnibus generibus particularibus, quatenus reſpiciunt plura, quæ ſpecie differunt; & ideo tenendum eſt, ſubſtractum *vt sic* generis in actu *ſignato* reſpicere plura ſpecie diſtincta, relatione, huius prædicabilis; & in actu *exercito* reſpicere, relatione ſecundi prædicabilis, plura ſolo numero diſtincta, ſcilicet hoc, & illud genus, per modũ eſſentiæ completæ; non enim eſt inconueniens, quod idem ſubſtractũ, reſpectu diuerſi termini formalis, diuerſas fundet intentiones, ad diuerſa prædicabilia ſpectantes; vt paſsim videbimus in hac diſputatione.

35. Non quieſces. Genera omnia, prout inferiora generi *vt sic*, eſſentialiter, ſeu ſpecifice inter ſe differunt in ratione generis, cum alia ſint genera ſubalterna, & alia infima: ergo genus *vt sic*, reſpectu illorum, ſemper erit vniuerſale genericum, & nunquam ſpecificum.

Reſpondeo negando antedẽs, quia omnia genera, à relatione ad inferiora ſpecie diſtincta, genera nominantur, quamuis infima, & ſubalterna dicantur ex alia relatione, qua referuntur ad aliud ſuperiꝰ. Vnde omnia genera, ſiue infima, ſiue ſubalterna, conueniũt in relatione genereitatis, à qua dicuntur genera; & vt ſic tantum numero diſtinguuntur; quare genus *vt sic*, reſpectu illorum ſolum eſt in actu *exercito* vniuerſale ſpecificum.

36. Dices ſecundò contra ſolutionem argumenti quinti: ergo ſubſtantiæ, & accidenti, enti reali, & rationis poteſt dari aliquod prædicatum vniuocum.

Reſpõdetur eſſe nonnulla prędicata ſuper tranſcẽdentalia, quæ veris, & fictis entibus coaptãtur, & proprijſsime eis conueniunt; *vt eſſe cognoſcibile, eſſe intelligibile*; huiuſmodi eſt, *eſſe genus, & de pluribus ſpecie differentibus prædicari*; quare nõ mirum eſt, ſi in hoc prædica-

dicato, seu in hac ratione, entia ver., & ficta, substantialia, & accidentalia conueniant, nam hæc conuenientia magis est in denominatione, ab intellectu sic cognoscente, abstrahente, & præcindēte, quàm in aliqua ratione, quæ se teneat ex parte naturarū: quare non est cur renuamus concedere omnia generis subtracta vniuocè conuenire in hoc, quod est, hoc, vel illo modo ab intellectu denominari, quia omnia eodem modo, secundam intentionem generis, valent fundare, vt ad inferiora referantur.

37. Replicabis primò. Prædicta omnia subtracta non conueniunt vniuocè, sed tantum analogicè in ratione entis: ergo nec in ratione cognoscibilitatis; cum cognoscibilitas sequatur ad ens.

Respondetur concedendo antecedens, & distinguendo consequens; ergo nec in ratione cognoscibilitatis, *radicalis*, concedo consequentiam, *formalis*, nego consequentiam; nam in rebus duplex datur cognoscibilitas; vna fundamentalis, seu remota, quæ sequitur ad esse rei, seu est ipsa res, vt connotat intellectum; alia formalis, seu proxima, sumpta per denominationē ab intellectu potente ipsam tem fic cognoscere. Vnde quamuis in prima cognoscibilitate non conueniant vniuocè prima genera entia realia, & rationis, poterunt tamē in secunda conuenire, quia hæc non tam ad ipsam rem, & entitatem, quàm ad potentiam intellectiuam consequūtur; & hoc prædicatū *genus* est ex illis, quæ ab intelligibilitate intellectus desumuntur.

38. Iterum replicabis. Adhuc ex dictis non apparet, in quo cōueniant illæ naturæ genericæ; nā licet admittamus omnia conuenire vniuocè, quatenus quælibet illarum fundat secundam intentionem generis, & quatenus secundę intentiones sunt similes simpliciter; tamen, ex parte naturarum, non valet intelligi aliquid vniuocum, illis correspondens.

Respōdetur quod licet ex parte naturarum non sit aliqua ratio essentialis, vniuoca ad decē prædicamenta, esti reali, & rationis; bene tamē de facto datur ex parte naturarum aliqua ratio accidentalis eis vniuoca, qualis est esse omnes naturas denominabiles à secunda intentione generis.

39. Quod si inquiras: in quo consistat hæc ratio, vel qualis sit hęc ratio vniuoca? ¶ Respōdeo esse quandam non repugnantiam ex parte naturæ, vt denominetur *genus*, in qua omnes naturæ cōueniunt; hęc autem conueniētia, & ratio vniuoca, nō est aliquid positiuum naturæ, sed quædam non repugnantia ęqualis, eiusdemque rationis, in omnibus illis; quia licet naturæ secundum se differant essentialiter (cum color v. g. habeat esse accidentis, & animal esse substantię) tamen quoad esse for-

formale, & quoad non repugnantiam, ad accipiendam denominationem generis, eodem modo se habent; cùm eodem modo possint respicere inferiora, ratione eiusdem secundę intentionis.

4o. Pro complemento inquires secundò: an concretum accidentale sit in pluribus generibus primo diuersis?

Respondeo, hoc concretum ex parte *formæ* esse in genere accidétis (cum secunda intentio ad tale spectet genus) ex parte vero *materiæ* remotæ, esse ens reale, vel rationis; licet ex parte proximæ solum exprimat hoc, quod est esse susceptiuum secundæ intentionis generis: non aliter ac relatio, vt talis, formaliter non dicit esse *in*; etiam si materialiter, & entitatiuè sit in subiecto. Nec est inconueniens, quod materialiter spectet subtractum generis ad aliud genus, vt sit concretum vnũ *per se perfeitate accidentali*, nam (vt dixi supra) quantitas materialiter spectans ad genus accidentis valet cum forma substantiali cõponere diuinitus vnum *per se substantiale*, quod perfectius est vno *per se accidentali*.

QVÆSTIO II.

Vtrum definitio generis à Porphyrio tradita sit legitima?

§. I.

Notabilia pro quæstionis captu.

1. PRo quęstionis captu primò notandũ est, quod prædicari *in quid* idem est, ac prædicari essentialiter: nam prędicatum tunc dicitur *in quid* de subiecto, quando est de essentia, & quidditate ipsius; sed cum omne prædicatum habeat rationem formæ respectu subiecti, quod in propositione seruat rationem materię; ideo quãdo prædicatũ est de essentia subiecti, dicitur *in qualequid*, quia in quantum prędicatũ quasi actuat, & determinat subiectum, & in quantum essentiale dicit quidditatem: & in hoc sensu locutus est Philosophus cap. de substantia dicens: *secundas substantias prædicari de primis in quale quid.*

2. Cæterum prædicari in *quale quid* aliquando sumitur pro prædicari *essentialiter* secundum rem, & *denominatiuè* secundum modũ: in quo sensu sola differentia prædicatur in *quale quid*; genus vero, & species in *eo quod quid*, idest essentialiter secundum rem, & modum, animal enim v.g. essentialiter, seu *in quid* tantum, prędicatur de speciebus, quia prædicatur vt aliquid absolutum, & non vt aliquid denominatiuum.

3. Dices. Hoc, quod est prędicari *in eo quod quid*, & *in quale quid*, quamuis reperiatur in genere, & differentia, si materialiter, & pro subtracto accipiantur; non tamẽ reperitur in illis formaliter sumptis, nam genus, & species, formaliter referuntur ad sua inferiora, & vtriusq; essentia in huiusmodi fita

est

est relatione; ergo genus, & differentia non distinguntur formaliter per prædicari *in eo quod quid*, vel *in quale quid*: ergo frustra assignamus hoc notabile ad indagandam differentiam in generis definitione.

Respondetur negando vltimã consequentiam, nam licet verum sit, quod patticula illa *in eo quod quid* forn aliter solum verificetur de fundamento, vel subtracto generecitatis; cæterum, per illud verbum intendit Porphyrius explicare determinatum modum, quẽ habet genus in ordine ad sua inferiora, ratione generecitatis; nec mirum est, quod relationes diuersificentur per diuersitatem fundamenti, nam *Paulus Pater* refertur ad *Petrum filium*, relatione paternitatis, & similitudinis; & explicamus harum relationum diuersitatem per hoc, quod filium respicit in quantum à se genitum; & similem, in quantum vnum aut non diuersum in natura; cæterum generatio, & vnitas, tenẽt se ex parte fundamenti, quia (vt infra dicemus) in prædicamento *ad aliquid*, sunt conditiones fundandi; ergo in præsenti, quamuis prædicari essentialiter secundum *rem, & modum*; & essentialiter secundum *rem*, & denominatiuè secundum *modum*, propriè conueniant generi, & differentiæ ratione subtracti, ponuntur tamen hæc duo in definitionibus generis, & differentiæ, quia per diuersitatem fundamentorum intendit Porphyrius explicare discrimen, quod reperitur inter genus, & differentiam, in modo respiciendi inferiora.

4. Dices secundo. *Album* habet rationem speciei, respectu suorum inferiorum; & similiter *coloratum* rationem generis; (vtiq; quia hęc propositio: hoc *album est album*, est secundi prædicabilis: & hæc, *album est coloratum*, est primi prædicabilis) sed vtrumque prędicatur *in quale quid*, cum saltẽ secundum modum sit denominatiuum; ergo genus non prædicatur essentialiter *in eo quid quid*.

Respondetur negando minorẽ, quia *album* nõ habet rationẽ denominatiui, respectu inferiorũ essentialiũ, sed respectu subiecti, aut inferiorum, quibus conuenit accidentaliter; & idem est dicendum de quolibet prædicato, quod nomine connotatiuo significatur, nam hoc, respectu inferiorum essentialium, potius habet rationẽ substantiui, quam adiectiui.

5. Secundo notandum est, ex Arist. 5. metap. cap. 6. quod aliqua dicuntur vnum, aut diuersa, tripliciter: *genere, specie, & numero*: illa dicuntur vnum genere, quæ pertinent ad idem prædicamentũ; vt homo, & leo dicuntur vnũ genere, quia spectant ad idẽ substantiæ prędicamentum: illa verò dicuntur vnum specie, quę habẽt eandem definitionem; vt Placidus, & Maurus dicuntur vnum specie, quia habent eandem definitionem: illa denique dicuntur

vnum

vnum numero, quę habent eandem materiam; vt Placidus dicitur vnus numero, quia vnam habet materiam.

E cõuerso illa dicuntur differre genere, quæ differunt prædicamento; & illa specie, quę differunt diffinitione: & illa numero, quę distinguuntur materialiter; sed quæ distinguuntur specie debent sub eodem genere contineri: vnde homo, & albedo quamuis differant definitione, non dicuntur propriè differre specie, quia non continentur sub eodem genere.

§. II.

Resolutio quæstionis.

6. IN hoc dubio non est opinionum diuersitas, sed omnes, vno ore, definitionem traditam à Porphyrio legitimam profitentur.

Probatur. Illa est legitima definitio, quæ adęquatè explicat naturã definiti; sed *prædicari de pluribus specie differentibus, in eo quod quid*, explicat adęquatè naturam generis; vt cõstat ex dictis in exordio huius disputationis: ergo definitio à Porphyrio traddita est legitima.

§. III.

Obiectiones contra nostram resolutionem.

7. OBijcies primo. Genus prædicatur de pluribꝰ differẽtibus specie; vtique quia prædicatur de substantia, & quantitate; vt videre est in his propositionibus; *substantia est genus, quantitas est genus*; ergo male definitur per prædicari de pluribus specie differentibus.

Respondetur distinguendo antecedens, genus prædicatur de pluribus differẽtibus genere, denominatiuè, & *in quale*, concedo antecedens; substantiue, & *in quid*, nego antecedens, & consequentiam, nam genus *in quid*, & vt spectans ad hoc primum prædicabile solum de specie differentibus prędicatur, cum solum de illis dicatur essentialiter; at verò de differentibus genere solum *in quale*, & vt aliquid, spectans ad quintum prędicabile prędicatur, cum de illis dicatur accidentaliter.

8. Replicabis hęc propositio: *Substantia est genus*, prædicatur de animali, & plãta, quę genere differunt, cum animal sit genus hominis, & leonis; & similiter planta sit genus respectu suorum inferiorum: ergo genus essentialiter & *in quid* prædicatur de pluribus genere differentibus.

Respondetur distinguendo antecedens, substantia prędicatur de animali, & planta, vt species subalternę sunt, in ordine ad substantiam, concedo antecedens; vt genera sunt in ordine ad inferiora, nego antecedens, & consequẽtiam, loquendo de generibus formaliter acceptis, nam substantia

non

non respicit inferiora, quæ genera sunt sub formalitate generum, cū hanc formalitatem habeant respectu suorum inferiorum, sed sub formalitate specierum subijcibilium; & sic semper est verū, quod genus, vt tale, solum respicit plura specie differentia.

9. Obijcies secundò. Genus nō prædicatur de pluribus specie differentibus: ergo definitio nō conuenit definito. Antecedens probatur, genus solum prædicatur de pluribus numero differentibus, (vtique quia solum prædicatur de speciebus, vt sunt sub genere; vel de illis, vt subijcibiles sunt generi) sed species subijcibiles, vt subijcibiles, solo numero distinguuntur: vtique quia licet equus, & homo, secundum se, & secundum proprias essentias, differāt essentialiter, & specificè, tamē in quātum species subijcibiles sunt, non distinguuntur essentialiter, & specificè, sed tantum numericè, cum eadem gaudeant definitione) ergo genus, vt tale non prædicatur de pluribus specie differentibus.

Respōdetur negando antecedēs: ad probationem; qui asserunt relationem terminari ad absolutū, & non ad respectiuum, facilè respondent dicendo, terminum relationis generice, esse naturas specificas, quæ essentialiter, & specificè distinguuntur; qui verò sentiunt, relationem terminari ad respectiuum respondent (licet nō ita facilè) dicēdo, quod licet terminus formalis *vt quo*, sit subijcibilitatis relatio, in omnibus speciebus vna; tamen terminus *quod* sunt species specificè distinctæ.

10. Obijcies tertio. Genus prædicatur, nedum de pluribus specie, sed de pluribus numero differentibus; vt *animal*, quod non solū prædicatur de homine, & alijs speciebus, sed etiam de Placido, & Mauro: perperam ergo restringitur generis definitio ad speciē.

Respondetur distinguendo antecedens, genus prædicatur de pluribus numero differentibus, mediatè, concedo antecedens; immediatè, nego antecedens, & consequentiam; nam prædicabilia (sicut omnia alia relatiua) non debent definiri per ordinem ad terminum mediatum, sed per ordinem ad immediatum; vt cōstat in Patre, qui nō definitur per ordinem ad nepotem, sed per ordinem ad filium; vnde genus solum prædicatur de differētibus numero, in quantum numero differētia continētur sub specie, de qua genus immediatè prædicatur.

11. Obijcies quarto, ex Aristotele capite de substantia dicente: *secundæ substantiæ prædicari in quale quid de primis*; sed secundæ substantiæ sunt genera, & species, sub quibus primæ continētur; (vt ipse testatur expresse tradens definitionem secundæ substantiæ: ergo genus non *in eo quod quid*, sed *in quale quid* prædicatur de suis inferioribus.

Respondetur, (iuxta dicta in §. 1. huius quæstionis nu. 1.) Aristotelem

totelem absolutè dixisse, secundas substantias prædicari *in quale*, quia habent rationem prædicati, seu formæ respectu primarum, etiam si aliquæ actuent subiectum per modum termini absoluti; vt *genus*, quod ex se nõ actuat vt qualificans, etiam si in propositione vices formæ gerat.

12. Obijcies quinto. Nedum genus, sed etiam aliæ res à genere distinctæ, prædicãtur *in quid*; vtique quia *ens* non est genus, & prædicatur *in eo quod quid*: ergo aliud à genere prædicatur *in eo quod quid*.

Respondetur primo, negando antecedens, nam ad rationem generis opus est, quod prædicatum prædicetur *in quid*, per modum vnius, seu per modum vniuoci, quod non reperitur in *ente*; etiam si sit de conceptu inferiorum.

Secundo respondetur, *ens* non prædicari *in eo quod quid*, etiam si sit imbibitum in omnibus rebus; nam prædicari *in eo quod quid*, non solum exposcit esse de conceptu intrinseco inferiorum, sed esse de illorum conceptu per modũ prædicati formalis.

13. Obijcies sexto. *Definitio*, & *species*, prædicãtur *in eo quod quid*: ergo prædicta definitio alijs cõuenit à definito.

Respondetur negando consequẽtiam; nam licet *definitio*, & *species* prædicentur *in eo quod quid* tamen non prædicantur *in quid*, vt aliquid incompletum, sed vt tota essentia.

QVÆSTIO III.

Vtrum genus prædicetur de suis inferioribus vt totum, vel vt pars?

§. I.

Prælibantur aliqua.

1. PRæsens certamen solũ procedit de prædicatione, in quantum dicit iudicium affirmatiuum intellectus, quo enunciamus rationem generis de suis speciebus; nã licet aliqualiter intelligi possit etiam de relatione prædicabilitatis, generis de formali constitutiua; tamen communiter intelligitur de natura generica, in quantum affirmatur de suis inferioribus. Vnde *reduplicatiua*, quę in titulo ponitur, non reduplicat rationem formalem generis, quia nec ratio totius, nec ratio partis, affirmatur de speciebus, quando genus de illis prædicatur, quia quando dicimus *homo est animal*, ratione animalis affirmamus de homine, & non rationem totius, vel partis, quæ prærequiritur in animali ad talem prædicationẽ; sed reduplicamus conditionem necessario prærequisitã in natura generica ad prædicationem.

Quare sensus quæstionis est; an, ad prædicandam naturam genericam de suis inferioribus, sit talis natura prius cõcipienda vt totum, vel vt pars, respectu suorum inferiorum.

2. Pro

2. Pro tituli intelligentia nota primo, quod natura generica valet bifariè vsurpari, *vt pars* scilicet, & *vt totum*, dicitur pars, quãdo constituit, vel componit, saltim secundum rationem, speciem; & dicitur totum, quando concipitur vt abstracta ab inferioribus.

3. Secũdo nota, quod natura generica potest esse abstracta, abstractione præcisiua, à suis inferioribꝰ: & tunc solum habet rationẽ totiꝰ actualis, in quantũ ei conueniunt prædicata quidditatiua, & essẽtialia; v.g. quãdo abstrahitur *animal* præcisiuè, dicitur totum actuale, quia est *viuens sensibile*, & actu cõtinet huiusmodi prædicata. ¶ Potest etiã natura generica considerari, vt aliquid abstractũ sine præcisione, abstractione vtiq; vniuer salitatis, & secundum hanc rationem dicitur totum potentiale, quia continet in se inferiora.

4. Tertio nota, quod natura generica aliquando habet rationem *partis actualis*; videlicet quando actu constituit, & componit speciem; aliquando rationem partis *in potentia*; vt quando concipitur extra speciem, cum potentia tamen, & habitudine, ad illam cõstituendam.

Hæc doctrina colligitur ex Philosop. 6. 7. & 8. metap. vbi cõparat genus materiæ, & differẽtiam formæ; nam sicut in compositione physica materia, est potẽtia, & forma actus, materia est determinabilis, & forma determinans; ita in compositione metaphysica, genus est potentia determinabilis, & differentia actus determinans: & similiter, sicut materia dicitur pars actualis, quando actu constituit totum physicũ; & pars in potentia, quando cõsideratur extra totum; ita & genus dicitur pars actualis, quando actu cõstituit, & pars in potentia, quando consideratur extra totum, cum habitudine ad illius constitutionem.

§. II.

Referuntur sententiæ.

5. PRima affirmat, naturã genericã prædicari de suis inferioribus per modum partis actualis: Ita Paulus Venetus cap. de specie. Sotus. q. 16. prædicabilium. Oña art. vltimo huius capitis. Sanchez lib. 3. q. 9.

6. Secunda asserit, subſtractum genereitatis prædicari de suis inferioribus per modum partis potentialis. Ita Canterus cap. de genere, quem sequuntur Didacus à Iesu in præsenti, & quam plurimi recentiores.

7. Tertia defendit, prædicari vt totum actuale. Pro hac stant aliqui recentiores.

8. Quarta docet genus prædicari de speciebus vt totum potẽtiale. Ita Aristoteles, & Diuus Thomas locis infra citãdis, quos sequitur vniuersa Thomistarum schola.

§. III.

Notabilia pro explanatione totius potentialis.

9. ET ne cõfusio reperta in totius potentialis cõtinentia æquiuocationẽ generet, nota primo, quod subtractu genereitatis v. g. *animal* potest abstrahi à suis speciebꝰ, abstractione *partialis*, seu formalis, & *totalis*, seu vniuersali: tũc abstrahitur abstractione *partialis*, quãdo natura animalis cõcipitur secundum perfectionem sentiẽdi, cum exclusione formali, & explicita vlteriorꝭ perfectionis; ad eũ modum, quo forma separatur à materia; vel quo brachium præscinditur ab homine: tũc vero abstrahitur abstractione *totalis*, quãdo natura animalis concipitur secundum perfectionem sentiendi explicitè, absque eo, quod excludat differentias sub illo contẽtas: prima abstractio correspõdet naturæ per modum partis; secunda vero per modum totius.

10. Non ergo vno ore explicãt Doctores totius potentialis confusam continentiam, in qua tota huius quæstionis difficultas cõsistit; nam alij docent, rationem totius potentialis consistere in hoc quòd *animal* v. g. concipiatur vt cõtrahibile per differentias, quas actu non continet, sed excludit.

11. Sed hęc explicatio nõ placet, nã *animal*, vt cõtrahibile per differentias, se habet sicut materia prima respectu formarũ; sed hęc nequit de cõposito prædicari: ergo nec animal, vt cõtrahibile per species; vel differẽtias, est de speciebꝰ prędicabile; ergo nec vt hic, habet rationẽ totius potentialis. Cõfirmatur, Animal vt cõtrahibile, explicat imperfectionẽ partis, sed pars nequit de suo toto prędicari (vt constabit ex infra dicendis) ergo nec animal vt contrahibile, valet dici de suo toto.

12. Ferè omnes Thomistæ docent, animal esse totum potẽtiale, quatenus exprimit perfectionem sentiendi, absque exclusione formali specierum, quæ sunt in illa in confuso, & in potentia; non verò actu.

13. Sed hic modus dicendi magis displicet; nam quando intellectus abstrahit, abstractione vniuersali, rationem animalis ab speciebus, vel ex parte cõceptus obiectiui, sunt differentiæ cõtentæ, actu mediatè conceptæ, vel non? primum non dices; tum quia, in opinione Thomistarum, actu sũt exclusæ à tali conceptu; tum quia Thomistica schola solum distinguit cõceptum vniuocum ab analogo, in hoc, quod ille actu includit differentias, quas ille actu excludit.

14. Si dicas, differentias non esse actu conceptas.

Contra est primò, nã si actu nõ continet differentias; ergo tunc actu non sunt conceptę; ergo tũc solum concipit gradualem perfectionẽ sẽtiẽdi; sed gradualis perfectio

fectio sentiendi nō est formaliter homo, licet includatur in homine; ergo hęc formaliter nequit, vt sic, de homine prædicari.

Cōtra est secundo. Intellectus formaliter solū prædicat id, quod formaliter cōcipit; sed in hoc modo dicendi solum concipit perfectionem sentiendi; ergo solū prædicat formaliter perfectionē sentiendi. Minor probatur, nam licet principium intelligendi non sit in potentia ab intellectu excluſum, tamen non est in opinione cōtrariorum ab illo intellectum; sed intellectus formaliter solum prædicat id, quod est ab ipso cognitum; ergo solum prędicat naturam animalis cum excluſione specierum.

Contra est tertio. Implicatoriū est, quod species sint actu excluſæ, & in potentia incluſæ; ergo impoſsibilia coniungit Thomistarum sententia, dum ex vna parte aſſerit, contineri species in potentia generis; & ex alia docet, esse ab ipsius potentia actu excluſæ. Antecedens probatur, nam implicatorium est, quod effectus sit actu extra potentiam suæ cauſæ, (vel quod sit excluſus actu ab illa) & quod sit in potentia ipsius incluſus; ergo similiter implicatorium est, quod species sint actu excluſæ, & in potentia incluſæ.

Iste modus opinandi alia via displicet, nam ad veram prædicationem nō exigitur, quod species contineantur sub genere; imò tales continentia, vt superflua debet reijci: tum quia si principium sentiendi species contineret, cum ipsum sit de conceptu specierum, ipsum se ipsum, multiplici specierum multiplicatione, contineret, & prædicaret, nam si ad verum sensum huius prædicationis, *homo est animal*, est necessariū, quod *animal* contineat hominem, hæc propoſitio *homo est animal*, faceret hunc sensum; *homo est principium sentiendi*; *principium sentiendi, & intelligendi*; ergo superflua repetitione principia sentiendi multiplicantur, tam in continentia, quam in prædicatione.

16. His ergo totius potentialis relictis explicationibus, dico, rationem totius potentialis cōsistere in hoc, quod intellectus, abstractione totali cōcipiat principium sentiendi, cum continentia actuali differentiarum; ita vt ex parte conceptus obiectiui sint differentiæ cōtentę, & actu intellectę sub principio sētiēdi. Nec ex tali modo sentiendi sequitur, quod talis continentia non dicatur potestatiua; nam hæc talis non dicitur, quia actu in illo non sint differentiæ contentæ, sed quia sunt differentiæ quasi sub vmbra, & potestate rationis genericæ.

Quod ergo hoc modo debeat esse continentia potestatiua, cōstat ex arbore prædicamētali, vbi non species, sed differentiæ collocātur in linea collaterali, cum superio-

perioritate aliqua ad species, & cum inferioritate ad genus, quod illas cõtinet: vnde sequitur, quod species solũ se habeant, vt terminus relationis genericæ; & quod differentiæ sint, res contentæ; vt generis natura æquet totam perfectionem speciei, ad prædicationis veritatem necessariam.

17. Dices. Iuxta hanc explicationem, conceptus generis, qui vniuocus est, non distingitur ab analogo, qui actu continet differentias.

Sed contra est, nam analogus (nũc simpliciter prescindat à suis quasi differentijs, nunc non) semper est à cõceptu vniuoco totius potẽtialis distinctus, nam, in primo modo dicendi, est absque dubio distinctus: tum quia licet differentiæ non sint de conceptu entis, tamẽ ens est de conceptu differentiarum: quod non potest dici de conceptu vniuoco, cum (secundum Philosophum) sit extra conceptum differentiarum: tùm quia analogus ex se petit cũ inæqualitate ad inferiora descendere; & vniuocus cum omnimoda æqualitate.

In secundo modo opinãdi etiã distingaitur; nam conceptus analogus actu includit differentias, tanquam rationes sui constitutiuas, quas vniuocus solũ actu continet vt formalitates distinctas.

18. Quod vt percipias, nota discrimen, quod versatur inter *esse aliquid*, *continere aliud*, & *includere aliud*; nam *esse aliquid*, idem est, ac esse idem; *continere aliud*, idẽ est, ac habere illud, vel in virtute effectiua, vel materiali, vel in superioritate, seu potestate; *includere aliud*, idem est, ac illud in suo conceptu quidditatiuo imbibere; primum requiritur ad veritatem propositionis: secundum ad rationem conceptus vniuoci, qui habet rationem totius potentialis; tertium verò ad conceptum analogum.

19. Obijcies; ergo in abstractione totali non admittuntur præcisiones obiectiuæ; ergo coincidit hæc nostra sententia cum opinione Patris Hurtado.

Primo respondetur negando antecedens; nam etiam si in hac opinione intellectus cõcipiat omnes perfectiones graduales, tamen vnam cõcipit, vt distinctam ab alia; alias illam non conciperet, vt contentam sub illa; cum idem non valeat seipsum continere.

Secundo respondetur negando cõsequentiam adhuc admisso antecedenti; nam Pater Hurtado præcisiones, vt impossibiles proposuit, nedum respectu abstractionis totalis, sed etiam respectu partialis, seu formalis. His ergo prælibatis, sit.

§. IV.

Prima conclusio.

20. NAtura generica, nec per modum partis actualis, nec

nec potentialis, nec per modum totius actualis prædicatur de suis inferioribus.

Est in fauorem quartæ sententiæ; & pro illius intelligentia nota primo sēsum propositionis abstrahentis à materiali, & formali, non esse, quod prædicatum cōtineatur in subiecto (vt aliqui existimant) sed quod prædicatum sit subiectum: constat hoc ex terminis propositionis, nā hæc propositio, *homo est animal*, non facit hunc sensum *homo continet animal*, (aliàs pars physica posset prædicari de toto physico: quod expressè opponitur D. Thom. cap. 4. de ente, & essentia) sed hunc *essentia hominis est essentia animalis*; ita vt totum, quod est homo, fit animal.

21. Nota secundo, duplicē esse propositionem, materialem vnā, & formalē aliam; materialis datur, quando prædicatum identicè, & materialiter est subiectum; formalis vero, quando prædicatum ne dum re, sed *ratione*, (ratione prædicati implicitè contenti) est subiectum; hoc est, quando prædicatum est subiectum conceptibiliter. Hæc doctrina cōstat ex Diuo Thom. cap. supra relato vbi ait: *prædicatio sequitur veritatem rei, prout concepta, siue prout correspondet conceptibus nostris.* His ergo suppositis.

22. Probatur conclusio ex Di. Thoma opus. 42. & cap. 4. de ente, & essentia, vbi ait: *si animal nō esset totum, quod est homo, non prædicaretur de eo; cum nulla pars prædicetur de toto*; sed animal nec per modum partis actualis, nec potētialis, nec denique per modum totius actualis est conceptibiliter totum, quod est homo; ergo nullo ex his modis potest prædicatione formali prædicari. Minor, in qua est difficultas, probatur quoad omnes suas partes; natura animalis, nec per modum totius actualis, nec per modū partis actualis, nec potentialis, includit conceptibiliter perfectionem hominis; tum quia per modum totius actualis solum dicit gradualem perfectionem vitæ, & sensibilitatis: tum quia per modum partis, siue potentialis, siue actualis, excludit perfectionē alterius cōpartis; ergo nullo ex his modis potest formaliter prædicari de homine.

23. Ex quo colliges hanc propositionem, *homo est animal*, sumpto animali per modum partis, solum habere veritatē huius: *rationale est animal*, quæ propositio tantum in sensu identico, & materiali, (in quo animal non habet rationem partis) est vera; nō vero in sensu formali, in quo solum obtinet imperfectionem partis.

24. Objcies. Animal, per modum partis potentialis, continet differentias, cum non exigat magis contrahi per vnam, quam per aliam; ergo vt sic potest de speciebus prædicari.

Respondetur distinguendo antecedens, continet differentias,

continentia materiali (qua materia continet formas) & cum exclusione differentiarum, concedo antecedens; continentia potestatiua, seu superiori, & cum inclusione differentiarum, nego antecedens, & consequentiam: vnde sicut continentia materialis, quæ datur in materia, nõ est sufficiẽs, vt materia prædicetur de homine; sic nec continentia, quæ datur in animali, per modum partis potentialis cõsiderato, est sufficiẽs, vt animal prædicetur de homine, cum, vt sic, excludat differentias à proprio conceptu.

25. Replicabis. Si materia idẽtificaretur cum forma, prædicaretur de toto, precisè per hoc, quod formã respiceret continentia materiali; ergo cõtinentia materialis cum identificatione, sufficit in parte metaphysica, vt de speciebus prædicetur.

Respondetur concedendo totum, si loquuntur aduersarij de prædicatione identica, & materiali; & distinguendo antecedẽs, si loquantur de prędicatione formali: si materia identificaretur cum forma, prędicaretur de toto; si per rationẽ non excluderet formam, vel si non conciperetur vt pars, (quod idem est) cõcedo antecedens; si excluderet formam, vel cõciperetur vt pars, nego antecedens, & consequentiam, propter rationem dictam.

26. Non quiescès, nam secundum Diuum Thomam cap. 7. de ente, & essentia, & 7. metap. lect. 12. *Pars physica nequit prædicari de suo toto, quia non significatur in concreto; hoc est, vt habens*: vnde ait, *hanc propositionem esse falsam: homo est materia; hanc vero veram: homo est materialis*: tunc sic; partes metaphysicæ, vt partes, seruant rationem concreti; ergo vt partes possunt prædicari.

Respondetur distinguendo maiorem: partes physicæ in concreto possunt prædicari, si apprehẽdantur per modum totius, & sine exclusione, concedo maiorem; si hoc modo non apprehendantur, nego maiorem, & distinguo minorem, partes metaphysicæ, vt partes, seruant rationem concreti, cum exclusione alterius compartis, cõcedo minorem; cum inclusione illius, nego minorem, & consequentiam, quia Sãctus Thomas solum ait, quod partes physicæ in concreto possunt prædicari, quia vt sic possunt apprehẽdi, per modum totius potẽtialis, non vero quia solus modus significandi per modum concreti, sit sufficiens, vt de toto prædicentur.

27. Dices, hanc rationem esse efficacẽ in partibus physicis, quæ partialem *totius* entitatem important; non vero in metaphysicis, quæ totam *totius* enticitatem includunt; præcipuè cum partes metaphysicæ sint à toto cõposito physico sumptæ.

Cõtra est, nam ex hac solutione solum sequitur, quod partes metaphysicæ possint identicè prędi-

cari

cari de suis speciebus; non vero formaliter, in quo sensu procedit quæstio. Nec illis fauet, quod partes metaphysicæ accipiantur à tota entitate, nam vltra hoc erat necessarium, quod acciperentur à tota *totaliter*; hoc est, quod acciperentur ab illa secundum omnẽ expressionem, & perfectionem, quam includit; quo modo genus non accipitur, nam hoc solum accipitur à perfectione potentialiori entitatis, magis ab existentia recedente.

§. V.

Secunda conclusio.

28. GEneris natura solum prędicatur de suis inferioribus, vt habet rationem totius potentialis. Hæc conclusio constat à sufficienti partium enumeratione; & etiam ex auctoritatibus D. Thomæ. Et rursus probatur auctoritate Porphyrij cap. de specie. Vbi ait: *genus prædicari de speciebus vt est quoddã totum*; ergo ex mente Porphyrij, (qui est prædicabilium magister) natura generica solum vt habet rationem totius, potest de speciebus prædicari.

29. Ratione probatur, nam (vt constat ex dictis in §. 4. antecedenti) ad veritatem prædicationis formalis, nõ sufficit, quod prędicatum realiter sit subiectũ, sed quod, vt conceptum, sit subiectũ; sed animal non est homo concep-

tibiliter, vsque dum in potentia contineat rationalitatem; ergo natura generica solum prædicatur de speciebus, vt habet rationem totius potentialis.

30. Dices primò. Ad veritatẽ propositionis non est opus, quod prædicatum contineat omnes differentias, sed solum quod contineat differentiam subiecti, de quo prædicatur; ergo formalitas totius potentialis superflua est ad veritatem propositionis formalis.

Respondeo distinguendo antecedens ad veritatem propositionis, sufficit, quod prædicatum contineat differentiam subiecti, de quo prædicatur, *ad prædicationem vt sic*, concedo antecedens; *ad prædicationem prædicabilis*, nego antecedẽs, & consequentiam; nã ad hoc est continentia omnũ differentiarum necessaria; verum enim est, quod si genus posset saluari in vnica specie, quòd prædicaretur verè de illa; (dummodo propriam differentiam contineret) sed non tanquam genus, nec tanquam prædicabile, sed solum tanquam idem.

31. Dices secundo. Sicut pars nequit prædicari de suo toto, ita neque totum de sua parte; sed species sunt partes totius potentialis; ergo totum potentiale, vt tale, nequit de illis prædicari.

32. Ferè omnes (quos vidi) cõcedunt maiorem, si loquantur adversarij de toto actuali, secus vero de toto potentiali, quod ratio-

ne continentiæ potest inadæquatè prædicari in ratione totius potentialis de sua parte.

Sed contra est primo. Illud est totum potentiale, quod est prædicabile, vel quod induit secundam intentionem prędicabilitatis; sed animal, vt actu prædicatur de homine, non est prædicabile formaliter, nec explicat secundam intentionem prędicabilitatis, sed secundam intentionē prędicati; ergo actu non prædicatur per modum totius potentialis; licet id, quod specificatiuè est totum potētiale, respectu aliarum specierum, actu prędicetur.

Contra est secundo. Totū potentiale est, quod in confuso non vnam, sed plures continet differentias; sed omnes differentię animalis, non prędicātur actu de homine, quādo actu prędicatur animal de illo; ergo per actualē prædicationem, prædicatum formaliter non exprimit secundam intētionem prędicabilitatis, & totius potentialis, sed solum secundam intentionem prædicati, per quam determinatur formaliter ad continentiam vnius differentię, licet specificatiuè per secundam intentionem prædicabilitatis, (quam habet in ordine ad alias species) omnes alias differentias cotineat. Ratio huius est; nam secundum Philosophum, prędicatum dicitur de subiecto iuxta capacitatē subiecti; sed subiectum *v. g. homo*, nō habet capacitatem ad omnes differentias animalis; ergo per secundam intentionem prædicati, formaliter determinatur prædicatum animal ad differentiā hominis, videlicet ad rationalis cōtinentiam.

33. Vnde, relicta hac solutione, concedo totum; ex quo nihil sequitur contra nostram resolutionem; nam quando animal prędicatur de homine, nec prædicatur *formaliter reduplicatiuè*, vt habet rationem partis, nec *formaliter reduplicativè*, vt habet rationē totius potentialis, sed vt est totū subiectum, quod *specificatiuè*, in ordine ad alias species, per secundam intentionem prædicabilitatis manet totum potentiale; vnde licet prędicetur totum potentiale; non tamen vt totum potētiale.

34. Ex quo infero, quod quando animal actu prędicatur de homine, non prædicantur de illo omnes differentiæ, nec cōtinet tunc formaliter per secundam intentionem prędicati omnes differētias, licet continentia confusa differētiarum *specificatiuè* sumpta sit per modum conditionis requisita, vt talis prædicatio sit generis, vel prædicabilis.

§. VI.

Argumenta primæ sententiæ.

35. PRimum desumitur ex Aristotele 1. top. cap. 4. vbi ait: quod *definitio, & partes definitionis dicuntur de definito*; sed natura

tura generica est pars actualis definitionis; ergo, vt talis, prædicatur de definito.

Respondetur, Philosophum in hac auctoritate solum affirmasse partes definitionis prædicari de definito; vtrum verò prædicētur de illo vt totum, vel vt partes, nec dixit, nec valet ex hoc testimonio colligi.

36. Secundum. Ex eo genus prædicatur de inferioribus, quia est vniuersale; (vtique quia prædicabilius est vniuersalitatis passio) ergo prædicatur de illis vt pars actualis; cum genus sit in specie vt pars actualis, in toto actualis.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam genus non est vniuersale in quantum est in multis, vt pars in toto, sed in quantum est in multis, vt superius in inferioribus.

37. Tertium. Istæ propositiones sunt distinctæ; *homo est animal*; *homo est animal rationale*; sed in secunda prædicatur tota essentia hominis; ergo in prima solum prædicatur pars actualis, vel potentialis essentiæ.

Respondetur concedendo maiorem, & minorem, & negando consequentiam; nam in prima propositione non prædicatur animal vt pars, sed vt totum: distinguūtur autem hæ propositiones in hoc, quod secunda dicit explicitè totam essentiam; at verò prima, licet totam essentiam dicat, tamen non eodem modo, sed implicitè vnam partem, & explicitè aliam.

38. Dices. Genus distinguitur ab specie, quia illud prædicatur vt perfectibile, illa verò vt perfectiua; ergo genus, ad distinctionem speciei, prædicatur vt pars actualis.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam omnia prędicabilia cōueniunt in hoc, quod est prædicari per modum totius potentialis, solumque distinguuntur, penes rationes explicitas, de quibus verificatur, quod in argumento proponitur, videlicet quod genus explicitè solum dicat partialem essentiæ perfectionem, & species totam quidditatem.

39. Replicabis. Genus, quoad expressum, prædicatur vt perfectibile; ergo quoad expressū prædicatur vt pars, cum perfectibile in suo conceptu, dicat ordinem ad perfectionem tanquam ad cōpartem.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam; ad probationem distinguo antecedens, perfectibile dicit ordinem ad perficientem tanquam ad compartem, quando perficientem excludit, concedo antecedens; quando includit, nego antecedens; nam perfectibile potest accipi, & vt excludens, tam explicitè, quam implicitè perficientem, & vt illud implicitè includens; in prima acceptione exprimit in perfectionem partis. vt

hoc modo nequit prædicari; in secunda verò exprimit perfectionẽ totius potentialis, & hoc modo optimè potest prædicari; nam ad rationem totius potentialis non est opus, quod vtraque pars sit explicitè in conceptu, sed quod sub vna sit alia implicitè.

40. Non quiescas. Perfectibile, vt pars, includit in suo conceptu perficientem; ergo, vt sic, poterit prædicari admodum totius potentialis.

Respondetur distinguendo antecedens; perfectibile vt pars, includit in suo conceptu perficientem in obliquo, & per modum extremi oppositi, concedo antecedens; in recto, & per modum rei contentæ, nego antecedens, & consequentiam, propter rationes dictas in discursu quæstionis.

§. VII.

Argumenta secundæ sententiæ.

41. PRimum sic se habet. Animal, per modum partis potentialis, continet species, & differẽtias; ergo per modum partis prædicatur de illis. Antecedens probatur, ex eo in opinione nostra, animal, vt totum potentiale, continet species, & differentias, quia est per istas contrahibile; sed etiam vt pars est per differentias contrahibile; ergo vt pars potẽtialis continet species.

Respondẽt Thomistæ, animal esse totum, quia per se primo respicit species, quas vt pars nõ respicit; etiam si vt sic respiciat differentias.

Sed contra est; nam si animal vt perfectibile respicit differentias, vt constituat speciem, sicut materia respicit formam, vt cum illa constituat ens naturale; ergo animal vt perfectibile respicit per se primò species; probo consequẽtiam, materia hoc modo respiciens formam, vt cum illa constituat ens naturale, respicit per se primò ens naturale; ergo animal vt pars potentialis respiciens differentias, vt cum illis constituat speciem, respicit per se primo species.

42. Quare hac relicta solutione respondetur negando antecedens, vel distinguendo illud, animal per modum partis potentialis continet species, & differẽtias continentia materiali, concedo antecedens, potestatiua, & superiori, nego antecedens. Ad probationem distinguo minorem, ex eo animal est totum, quia est cõtrahibile per species, & differentias, absque exclusione differentiarum, concedo maiorem, cum exclusione, nego maiorẽ; & distinguo minorem, vt pars est contrahibile per differẽtias, quas excludit, cõcedo minorem, per differentias, quas includit, nego minorem, & consequentiam; animal enim vt totum potentiale includit differentias actu mediatè, & respicit species per modum termini non cõtenti; at vero vt pars ex-

excludit differentias, & illas respicit, vt cum illis constituat speciem.

43. Secundum. Differentia prędicatur de suis inferioribus prædicatione vera, & formali; & tamen secundum rationem, vel ex modo concipiendi, non habet rationem totius, sed partis, cum in prædicamento ponatur ad latus; ergo vt actu genus prædicetur de suis inferioribus, prędicatione vera, & formali, non est necessarium, quod ex modo cõcipiendi sit subiectum, sed solum quod secundum rem sit subiectum.

Respondetur concedendo maiorem, & negãdo minorem, nam ratio, quare differentia non ponitur in recta linea, non est, quia non sit totum potẽtiale; sed quia ex modo concipiendi significatur per modum alteri adiacentis: qui modus entia à recta prædicamentali excludit linea; ad prædicationem enim formalem, (vt dixi in conclusionibus) non sufficit, quod secundum rem subiectum sit prædicatum; sed vlterius requiritur, quod secundum rationem sit prædicatum.

44. Tertium. Dum animal prædicatur de homine, amittit rationem prædicabilis, & induit intẽtionem prædicati; sed vt induit rationem prędicati, est propositionis pars; ergo vt pars prędicatur.

Respondetur negando maiorẽ quoad primã partem, nam ex eo, quod induat intentionem prædicati, respecta vnius partis subiectiuæ, non sequitur, quod respectu aliarum specierum amittat rationem prædicabilis: nec ex eo, quod in prædicatione actuali sit pars propositionis, sequitur, quod non sit totum respectu subiecti.

45. Sed contra insurges; ergo prædicatum, vt tale, est totum; ergo potest attingi per se à logica, quod est falsum, vt constat ex dictis disp. 1. q. 3. §. 5. num. 13. 14. & 15.

46. Doctissimus nostræ familię affirmat prædicatum posse dupliciter considerari, vel vt pars propositionis, vel vt totum subiectũ: in prima acceptione (ait) attingi indirectè, & secundario à logica, secus verò in secunda.

47. Sed non intelligo discrimẽ, nam vt cõtinet totum subiectum, est prædicatum, & pars propositionis; ergo nec in hac consideratione potest per se primo cõsiderari à logica.

48. Quare respondetur negando vtrumque consequẽtiam, nam optime fiat, quod materialiter sit totum subiectum, & quod in illis fundentur secundæ intentiones partiales propositionum constitutiuæ, quæ in prædicato, quod materialiter non est totum subiectum, nequeunt fundari.

49. Quartum argumentum. Si genus prædicatur vt totum; ergo continet infinitas perfectiones, quod de solo Deo est affirmandũ. Sequela probatur, nam quodlibet totum continet perfectiones suarum partium, sed partes subiectiuæ

uæ generis sunt infinitæ, cum genus non solum sit superius respectu specierum existētium, sed etiã possibilium, quæ infinitè sunt.

Respondetur distinguēdo sequelam, genus in quantum totum potentiale continet infinitas perfectiones, inconfuso, & syncathegorematicè, concedo sequelam, in actu, & categorematicè, nego sequelam, nam genus solum in potentia, seu syncathegorematicè, vt totum potentiale continet infinitas perfectiones in certo, & determinato genere; at vero Deus absolute, & categorematicè dicit perfectiones infinitas in esse entis. Nec ex hoc sequitur, quod in prędicatione generis attribuamus subiecto infinitas perfectiones adhuc syncathegorematice, quia genus non prædicatur adæquatè de quacumque specie; sed inadæquatè, iuxta subiecti exigētiam; vt dixi supra §. 5. num. 32. 33. & 34.

50. Tertia sententia nullo stabili probatur fundamēto; & ideo omittimus argumenta, quæ illi fauent.

§. VIII.

Quomodo intelligendum sit proloquium allatum à Philosopho 8. Metaph. tex. 9. videlicet quod genus sumitur à materia; differentia vero à forma.

51. DVrandus in 2. dist. 3. q. 1. absolute defendit genus sumi à sola materia; differentiam vero à sola forma. Sed hic modus dicendi non potest sustineri: tum quia in omnium opinione, in Angelis datur genus logicũ absque eo, quod in illis detur materia: tũ quia genus realiter entitatiue nõ distinguitur à forma; in quo casu deberet distingui, sicut fundamẽtum, à quo accipitur.

52. Quare dicendum est, genus in omni entitate siue (corporali, siue spirituali) sumi à tota entitate rei secundum prædicata, quæ magis recedunt ab esse, seu existētia; differentiam verò è contra, à prædicatis, quæ magis accedũt ad esse, seu existentiam, cum hæc sint perfectiora, & actualiora: vnde in homine principium intelligendi, quod vt actualius, & perfectius magis accedit ad actum, ideſt ad esse, est radicale principium differētiæ; & principiũ sentiẽdi, quod magis recedit ab illo, est principium radicale generis.

53. Ad auctoritatem Philosophi dico, prædictum axioma intelligendum esse proportionaliter; quatenus genus summitur à prædicato potentialiori, quod sapit rationem materiæ, & differētia à prędicato actualiori, quod sapit rationem formæ.

CAPVT II.
DE SPECIE.

SECVNDO PRÆDICABILI.

1. PEr acta generis disputatione, de specie agere oportet, vt

vt relatiuorum cognitionē, quę simul tradere non potuimus immediata cognoscamus successione. Disputabimus autem in hoc capite non solum de specie; sed etiā de individuo speciei correlatiuo, quia (vt videbimus infra) etiam Porphyrius in hoc capite illud definiuit. Sed breuiter antequam ad quęstiones descendamus, præmittere oportet nominis significationē. Species ergo, (si nomē spectemus) multipliciter dicitur, nam de forma exteriori, seu de pulchritudine enunciatur quę (vt Ciceroni placet 4. tusculan. q.) *est apta membrorum figura, cum quadam suauitate coloris*: in qua acceptione dixit Euripides, *species triuia*, ideſt, eximia pulchritudo, *digna est imperio*. Hac etiam acceptione Dauid de Christo Dño. Psal. 44. sic de cantauit *speciosus forma præ filijs hominum*. Dicitur etiā species cuiuslibet rei imago: præsertim illa, qua intellectus, & sensus vtuntur. Sumitur tandem species pro specie logica, quę vt subijcibilis sic definitur: *Species est, quæ subest generi, & de qua genus prædicatur. Species vero vt prædicabilis est, quæ de pluribus differentibus numero in eo quod quid prædicatur*. Ex his colligit primo eidem conceptui obiectiuo specifico aduenire duplicē relationem, alteram subijcibilitatis, prædicabilitatis aliam: per primam respicit genus, tanquam superius; per secundā individuū, tanquam inferius.

2. Colligit secūdo, quod in vnoquoque prædicamento, serie, seu linea rerū, tria reperiuntur. ¶ Primum est genus generalissimū sub se continens omnia, quæ in tali prædicamēto collocātur, cui generi generalissimo cohærere nequit ratio speciei, quia supra se aliud non habet. ¶ Secundū est species specialissima, athoma, seu infima, quæ non valet esse genus; sed semper est subijcibilis generi, & prædicabilis de individuis.

Tertiū est quodlibet genus intermediū, quod respectu inferiorū dicitur genus, & respectu superiorum species, & regulariter appellatur genus intermediū, seu subalternū, & species intermedia, seu subalterna.

3. Colliget tertio triplicem individui explicationem. Primo sic. *Individuum est subijcibile speciei prædicabili, vel de quo species prædicatur in eo quod quid*. Secūdo. *Individuum est quod de vno tantū prædicatur*. Tertio. *Individuum est, cuius collectio proprietatum, quæ reperiuntur in vno, non reperitur in alio*. Ad omnium horum lucē, de pingitur communiter hic arbor substantiæ prædicamētalis, quo dicta clarius in notescunt. Videatur in recentioribus.

QVAESTIO I.

An species in quantum subijcibilis sit formaliter prædicabilis: vel an prædicabilitas specifica, sit subijcibilitatis passio, vel è cōtra?

§. I.

§. I.

Explicatio tituli.

1. EX definitionibus Porphirij cõstat speciẽ esse subijcibilem, & prædicabilem secundũ diuersos respectus: subijcibilem, per secundam intentionẽ relatiuã rationis, qua respicit genus: prædicabilem per aliam qua respicit inuiduã. Nunc inquirimus: quo modo se habeant hi respectus inter se? an formaliter, & entitatiue vnus sit alius; ita vt per eandẽ relationem respiciat genus, & indiuidua? vel an suppositã distinctione respectuum vnus dimanet ab alio, tãquã à radice? vel an vnus, sit alterius conditio, sine qua nõ? vel demũ, an se habeãt disparate?

§. II.

Proponuntur sententiæ.

2. PRima asserit speciẽ vt subijcibilem esse essentialiter, & formaliter prædicabilem: ita vt subijcibilitatis relatio sit nedũ entitatiuè; sed formaliter prædicabilitatis relatio. Ita Toletus, cap. de specie. q. vnica.

3. Sed vt certa ab incertis separemus, cum omnibus suppono, cõtra Toletum, respectus subijcibilitatis, & prædicabilitatis esse formaliter, & entitatiuè distinctos. Ratio est, nam tunc respectus formaliter, & entitatiuè sunt distincti, quãdo termini sunt formaliter, & entitatiuè distincti; sed terminus subijcibilitatis est genus, & prædicabilitatis sunt indiuidua, inter se nedum formaliter, & entitatiue distincti, sed aliquo modo oppositi; ergo respectus subijcibilitatis non coincidit nedum formaliter, sed nec entitatiue cum respectu prædicabilitatis.

4. Secunda defendit prædicabilitatẽ esse subijcibilitatis passionem, à qua tanquam à radice dimanat. Ita Caietanus cap. de genere, quem sequitur Magister Arauxo, lib. 3. metap. q. 4. art. 3. concluſ. 2.

5. Tertia firmat subijcibilitatẽ specificam dimanare non à prædicabilitate *vt sic*, sed à prædicabilitate specifica. Ita Magister Ioannes à Sancto Thoma. q. 8. art. 1. concluſ. 2. & 3.

6. Quarta docet subijcibilitatẽ, & prædicabilitatem esse respectus distinctos, & disparatos, absque aliqua connexione in natura specifica fundatos. Ita Rubius. hic. q. 2. Sanchez. lib. 3. q. 5. Didacus à Iesu. diſp. 2. q. 2. Gallego controuer. 1. Cõplutenses in præsenti. q. 3. In cuius fauorem, sit.

§. III.

Conclusio.

7 INter respectus subijcibilitatis, & prædicabilitatis in specie repertos nulla datur connexio;

xio ; sed sunt respectus omnino disparati. Probatur, vnus respectus subijcibilitatis est prædicabilitati oppositus, nam subijcibilitas in suo conceptu essentiali importat inferioritatem, & prædicibilitas superioritatē, sed superioritas, & inferioritas ex se sunt rationes oppositæ; ergo vnus respectus nec vt à radice, nec vt à conditione dependet ab alio; cum passio relatiua nō possit dimanare à contrario respectu; nec respectus contrarius dependeat ab alio tanquam à conditione.

8. Explicatur hæc ratio, sicut similitudo ex se opponitur dissimilitudini; ita inferioritas superioritati; sed similitudo etiam si cum dissimilitudine possit reperiri in eadem entitate reali pluribus gaudenti expræsionibus; tamen similitudo, nec infert, nec fundat dissimilitudinem, nec est conditio ad illam; ergo similiter respectus subijcibilitatis repertus in eadem natura specifica, cū prædicabilitatis respectu nec infert, nec fundat prædicabilitatē, nec est conditio ad illam.

9. Amplius probatur, in *Paulo* v. g. impertinenter se habet relatio paternitatis, qua refertur ad Petrum filium suum, respectu relationis filij, qua refertur ad Ioannem suum Patrē; quamuis vtraque relatio in vno eodemque Paulo reperiantur, quia termini disparate se habēt; & sic relationes disparatæ cēsentur; ergo huiusmodi respectus, quo species respicit genus, impertinenter omnino se habet ad respectum, quo respicit inferiora; etiam si in vna eademque natura specifica inueniantur.

10. Obijcies. Species est mediū inter genus, & individua; vtique quia à genere participat prædicabilitatem, & ab individuis subijcibilitatem; sed medium eodē respectu respicit extrema; ergo species vt subijcibilis est prædicabilis. ¶ Respōdetur distinguēdo maiorem, est medium, vt formaliter subijcibilis, vel vt formaliter prædicabilis, nego maiorem, per aliam relationem cōcedo maiorem, & minorem; & nego consequentiam, nam ex hoc non sequitur, quod species participet à genere prędicabilitatem, & ab individuis subijcibilitatē, nam non dicitur medium, quia ab extremis accipiat has relationes; sed quia cum illis conuenit: non aliter ac liberalitas dicitur medium prodigalitatis, & auaritię; non quia ab extremis aliquid accipiat, cum virtus nequeat à vitijs causari; sed quia cū eis aliquo modo habet inadæquatam conuenientiam: imò etiā si à genere participaret vniuersalitatem; adhuc non sequeretur, quod illā in ordine ad illud participaret, nec quod sit vniuersalis in ordine ad illud: vt patet in diuinis, vbi Filius accipit à Patre fæcunditatē; & tamē illam nō habet in ordine ad Patrē; sed in ordine ad Spiritum Sanctum.

§. IV.

Argumenta prima sententiæ.

11 PRimum sic se habet. Subijcibilitas *vt sic* prædicatur de hac, & illa specie subijcibili; vtique quia hæ propositiones sũt veræ: *Leo est species subijcibilis; homo est species subijcibilis*; ergo species subijcibilis est prædicabilis. ¶ Respõdetur distinguendo antecedẽs, subijcibilitas, *vt sic* prædicatur, *vt quo* & essentialiter, nego antecedẽs, *vt quod*, & denominatiuè, per secundam intentionẽ prædicabilitatis, quæ accidentaliter aduenit subijcibilitati *vt sic* concedo antecedens, & eodem modo distinguo consequens, nam subijcibilitas ab omnibus speciebus subijcibilib⁹ abstracta solum se habet, vt substractum prædicabilitatis: non aliter ac animal abstractum ab omnibus speciebus se habet vt substractum genereitatis: vnde sicut animal vt formaliter tale non est essentialiter genus; sic subijcibilitas non est essentialiter prædicabilitas.

12. Secundum. Species vt subijcibilis respicit genus vt suum correlatiuum; sed correlatiua sunt sub eodem genere; ergo si genus est sub vniuersalitate, tanquam sub genere; etiam species vt subijcibilis erit sub vniuersalitate, tanquam sub genere; ergo vt subijcibilis est essẽtialiter vniuersalis. Respondetur concedẽdo maiorem, & distinguendo minorem, correlatiua, sunt sub eodẽ genere proximo, vel remoto, cõcedo minorem, proximo tantum, nego minorem, & consequentiã; vt enim species sit generis correlatiuum, tantum exigitur, quod sit cum illo sub genere remoto relationis; vt constat in individuo speciei correlatiuo, quod neque in opinione aduersariorum est sub eodem genere proximo, cum specie prædicabili.

13. Tertium. Species vt subijcibilis non est singularis; ergo vniuersalis, cum inter vniuersale, & singulare non sit medium. ¶ Respondetur concedendo antecedens, & distinguendo consequens; ergo vniuersalis, negatiue, concedo consequentiam, positiuè, nego consequentiam, nam species vt subijcibilis, nec est vniuersalis, nec singularis, quod sufficit ad vniuesale negatiuum.

14. Quartum. Species vt subijcibilis respicit plura, vtiq; quia vt talis respicit animal viuens, substantiam, corpus, &c. Ergo vt talis est vniuersalis. ¶ Respodetur distinguẽdo antecedẽs, vt subijcibilis respicit plura, vt superiora, concedo antecedens, vt inferiora, nego antecedens, & consequentiam, quia vniuersalis (vt cõstat ex dictis) essentialiter requirit respectum plurium non superiorum, sed inferiorum.

15 Quintum. Species, vt formaliter contenta sub vniuersali est vniuersalis, & prædicabilis, sicut

cut homo vt contentus sub animali est animal, sed vt talis est subijcibilis; ergo vt formaliter subijcibilis est prædicabilis. Maior probatur, inferior, vt sub superiori contentus participat rationem superioris, sed species vt subijcibilis est inferior vniuersali; ergo vt talis participat rationem vniuersalis, & prædicabilis.

Respondetur distinguēdo maiorem, species vt cōtenta sub vniuersali est vniuersalis, materialiter, & specificatiuè, cōcedo maiorē, formaliter & reduplicatiuè, nego maiorē: & concessa minori nego consequentiā: ad probationē distinguo maiorē, inferior vt talis participat rationem superioris, essentialiter, nego maiorem, enunciatiuè, concedo maiorē, & minorem; & nego consequentiā, nā species non est vniuersalis, quia subijcitur vniuersali; sed quia respicit plura; sicut enim non datur inconueniens in hoc, quod subijcibilitas sit substractum prædicabilitatis; sic non debet dari in hoc, quod prædicabilitas speciei, & aliorum prædicabilium sit substractum subijcibilitatis.

Causalis enim non tenet, nam species non est prædicabilis essentialiter, vel formaliter, quia subijcitur vniuersali; sed quia intrinsecè, & essentialiter participat vniuersalitatem: non aliter ac homo non est animal, quia subijcitur animali; sed quia intrinsecè, & essentialiter participat rationem animalis; licet verum sit, quod subijcibilitas supponat superioris participationem.

16. Quæ doctrina vt perfectè percipiatur, nota, quod dupliciter potest prædicatum participari à subiecto; primo intrinsecè, & essentialiter, secundo, enunciatiuè, & prędicabiliter: ad primam participationem opus est, quod subiectum intrinsecè habeat prædicatum ab aliqua causa communicatum; ad secundam vero vltra hoc requiritur, quod contineatur sub illo: vnde hæ causales sunt falsæ: *ideo species est prædicabilis, quia subijcitur vniuersali: ideo homo est animal, quia subijcitur animali:* hæ vero sunt veræ: *ideo de specie prædicatur vniuersalis, quia cōtinetur sub illo: ideo animal prædicatur de homine, quia continetur sub illo.* Ratio primi est, nam nec species est vniuersalis, nec homo est animal, quia continentur sub vniuersali, & sub animali; sed è contra: ideo cōtinentur, quia intrinsecè participant vniuersalitatem, & animalitatem. Ratio secundi est, quia prædicationes prædicabilium (vt sæpius dixi) exigunt continentiam inferiorum, quæ absque subijcibilitate inferiorum nequit dari.

Ex hoc non licet inferre, quod id, quod continetur sub animali, non sit animal; nec quod continetur sub vniuersali non sit vniuersale; sed quod non sit animal, vel vniuersale, quia continentur.

17. Replicabis. Species vt subijcibilis est inferior proprio gene-

re, scilicet vniuersali; ergo reduplicatiuè vt subijcibilis est vniuersalis; iuxta illud *dici de omni.*

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam? Ad probationē dico, quod ad veritatem huius principij *dici de omni* solum est necessarium, quòd prædicatum superius verificetur de inferiori (quomodo vniuersalitas vt sic dicitur de prædicabilitate specifica vniuersali subiecta) non verò quod ipsa subijcibilitas sit prædicatū superius; vt constat in omni prædicato superiori.

18. Non quiesces. Prædicatio actualis petit identitatem, sed vniuersalitas actualiter enunciatur de specie subijcibili; vt in hac prædicatione: *species est vniuersalis*; ergo subijcibilitas speciei, quæ se habet ex parte subiecti identificatur cum vniuersalitate, quæ se habet ex parte prædicati.

Respondetur distinguendo antecedens, prædicatio actualis petit identitatem, inter extrema, quæ prædicantur, concedo antecedens; inter rationes prædicandi, quæ sunt ex parte prædicati, secunda intentio prædicari, & ex parte subiecti secunda intentio subiecti, nego antecedens; nam subijcibilitas, seu ratio subijcibili, quæ datur ex parte subiecti in nulla prædicatione debet identificari cum secunda intentione prædicati, quæ datur ex parte prædicati: vt constat in hac prædicatione: *homo est animal.*

§. V.

Fundamentum secundæ sententiæ.

19. IN fauorem secundæ sententiæ vnico insurges fundamento. Species principaliter respicit genus, sed eo ipso, quod respiciat genus, sequitur, quod debeat habere individua, de quib⁹ possit prædicari, cum id, quod est sub genere, non sit individuū, sed supra illud; ergo à subijcibilitate specifica dimanat prædicabilitas specifica.

Respondetur negando maiorem, nam natura specifica abstracta ab individuis ex se est indifferens ad vtrumque respectum absque eo, quod prius fundet vnum, quam alium respectum: & quamuis subijcibilitatis respectus esset prius fundatus, adhuc ex illo non dimanaret respectus prædicabilitatis, cum illi sit oppositus, & cum de facto possit esse sine illo; vt constat in natura angelica, & in speciebus subalternis, quæ non prædicantur vt species, sed vt genera.

20. Dices. Species prius natura contrahit genus, quam contrahatur per individua; vtique quia per individua cōtrahitur per modum totius essentiæ, cuius essentię genus est pars essentialis; ergo in specie subijcibilitas est radix prædicabilitatis.

Et

Etsi dicas: quod species non prius natura, sed prius prioritate *à quo* rationis cõtrahit genus metaphysicè, non vero logicè.

21. Contra insurges, nam ex eo species metaphysicè contrahit prius prioritate *à quo* rationis genus, quam contrahatur per indiuidua, quia debet contrahi postea per indiuidua vt tota essentia; ergo species prius nedum metaphysicè, sed logicè debet contrahere genus vt pars requisita ad cõplementum essentię indiuiduis communicatæ.

Ad obiectionem bene ibi: ad replicam respõdetur cõtractionẽ in præsenti solum esse metaphysicã, non vero logicã, nã metaphysica est, quæ respicit gradus ad cõtractionem, seu compositionẽ metaphysicã ordinatos; at vero logica supponit pro fundamẽto cõtractionem metaphysicam, & respicit secundas intentiones obiectiuas, seu relatiuas, quæ pro fine vltimo habent prædicationem actualem exigentem idẽtitatem, non contractionem. Ni dicas dari contractionem inter idem, & seipsum? Hac de causa debet negari suppositum consequentis; videlicet, quod detur logica contractio.

Hoc supposito dico respectus subijcibilitatis, & prædicabilitatis fundari remotè in cõtractione metaphysica, & proxime in abstractione totius naturæ, quę indifferenter se habet, vt intellectus fundet pro suo libito vel relationem prædicabilitatis in ordine ad indiuidua, vel subijcibilitatis in ordine ad genus absque eo, quod vna relatio debeat esse prius altera. Vnde in forma respondetur concedendo antecedens, quia in illo assignatur contractio metaphysica, in qua prius est, quod species contrahat genus, quod est pars essentialis illius, quam quod contrahatur ab indiuiduis, quæ respectu illius tantum sunt accidentia logica, & negando suppositum consequentis, nam in logica non formaliter, sed fundamentaliter, & præsuppositiuè datur contractio, vel constitutio specifica abstracta ab indiuiduis, vt in ea fundetur vtraque relatio pro libito intellectus fingentis.

Hoc dixi in gratiam veritatis, nam etiam si replicæ concedamus subijcibilitatem esse priorem prædicabilitate, adhuc non sequitur, quod subijcibilitas sit radix prædicabilitatis: tum quia sunt relationes oppositæ, vt dixi: tum quia ex natura rei valet esse vna sine alia; vt constat in natura angelica: tum quia subijcibilitas, seu inferioritas vt talis non exigit prædicabilitatem, seu superioritatem, quod erat necessarium, vt esset radix prædicabilitatis.

§. VI.

Fundamentum tertiæ sententiæ.

22. IN fauorem tertiæ sententiæ vnico etiam insurges fundamento. Vniuersalitas speciei se habet respectu generis, sicut causa secũda respectu primæ, & sicut superioritas Prætoris, respectu Regiæ superioritatis, sed causa secunda ex se, quia secunda subordinatur primæ, & similiter superioritas Prætoris, quia talis, ideſt, quia nõ suprema subordinatur Regiæ; ergo vniuersalitas speciei, quia talis, ideſt, quia nõ suprema, subordinatur generis vniuersalitati, vel vniuersali vt sic; ergo ex vniuersalitate nõ suprema qualis est specifica prodit subijcibilitas specifica.

23. Hoc argumentum, quod est fundamentum Magistri Ioannis à Sancto Thoma supponit vnum vniuersale formaliter subordinari alteri, quod est plusquam falsum, species enim vt prædicabilis non est, nec *vt quo*, nec *vt quod* formaliter subordinata generi; sed *vt quod* subordinatur vniuersali vt sic tãquam species illius. Ratio est, nam vna species rationis vniuocæ non subordinatur alteri eiusdem rationis vniuocæ; ergo species, quæ cũ genere est species vniuersalis, non subordinatur generi: ni dicas vniuersale nõ esse genus; sed rationẽ analogã ad quinque prædicabilia. Ex eo autem, quod genus habeat in prædicando maiorem latitudinem, quam species; non sequitur, quod species sit vniuersalis, nec *vt quo*, nec *vt quod* formaliter subordinata generi, quia limitatio speciei non diuanat ex subordinatione, sed ex propria essentia. Ratio est, nã natura specifica, cum solum sit ab individuis abstracta, solum petit de individuis prædicari; at verò natura generica, cum sit ab speciebus abstracta, petit de illis, & cum maiori latitudine prædicari. Explicatur hoc in duobus Abbatibus, quorum vnus non subordinatur alteri, etiam si vterq; subordinetur Generali: haud aliter in præsenti.

24. Quibus suppositis ad argumentum respondetur negãdo maiorem, nam causa secunda subordinatur primæ; quia est ista inferior, & quia est causa per participationẽ; eodẽq; modo est dicendũ de superioritate Prætoris, quæ est superioritas participata à dominio Regis, & ideo est illi subordinata; at vero vniuersalitas specifica nec *vt quo*, nec *vt quod* formaliter subordinatur generi, cum ab illo nõ participet nec intrinsecè, nec enunciatiuè rationem vniuersalis; & sic non generi, sed vniuersali *vt quod* subordinatur media subijcibilitate.

25. Pro complemento quæstionis inquires: an hoc nomen *species* dicatur æquiuocè, vel analogicè de specie subijcibili, & prædicabili? ¶ Respondeo dici æquiuocè. Ratio est, nam nomen æquiuocum est, quod significat plura, vt omnino disconuenientia, ideſt, vt diuersa, & vt disparata, sed res significatæ per nomẽ *species* hoc modo se habẽt;

ergo

ergo hoc nomen *species* æquiuoce dicitur de specie subijcibili, & prædicabili.

QVAESTIO II.

An natura, de facto vnico indiuiduo existẽti, cum nõ repugnãtia ad alia, repugnet de facto prædicabilitatis respectus? & an natura in vno existẽti indiuiduo, cum repugnãtia ad alia, (adhuc per potentiã Dei absolutã) repugnet eodẽ modo vniuersalitatis respectus?

§. I.

Præliban tur aliqua & simul enodatur prima pars quæstionis.

1 PRo intelligentia tituli, & quæstionis, nota primo discrimen repertum inter naturam Gabrielis, & Solis, nam hęc ita est in vnico indiuiduo, vt ei alia non repugnẽt; attamen illa ita est determinata ad vnum, vt ei alia repugnent adhuc per potentiam Dei absolutam. Sic Diuus Thomas. 1. p. q. 50. a. 4. Hac ergo supposita sententia procedit dubiũ.

2 Nota secundo ex dicendis in prædicamento relationis, discrimẽ quod datur inter relationem prædicamentalem, & transcendẽtalem, nam hæc potest versari tã circa terminum possibilem, quam circa existentem; at vero illa solum potest circa existentem versari; cum ergo relatio logica sit ad similitudinem relationis prædicamentalis facta; ideo est necessarium, quod intellectus apprehendat terminum vt existentem, vt eam estormet.

3. Nota tertio aptitudinem positiuam ad essendum in pluribus esse necessariam ad vniuersalitatem logicam; vt constat ex definitione vniuersalis, quæ non datur per hoc, quod naturæ non repugnet hoc, quod est esse in pluribus, vsque dum actu referatur ad inferiora. Ratio huius est, nam nec in opinione Thomistarum, resultat vniuersalitas, vel aptitudo positiua per hoc, quod detur non repugnantia in natura materiali, vsque dum actu talis natura sit ad inferiora relata (in quo dicunt consistere aptitudinem positiuam:) ergo aptitudo positiua non datur in natura materiali, vsque dum hæc intelligatur vt actu relata ad plura: quæ relatio nequit dari nisi in ordine ad indiuidua actu existentia, vt constat ex notabili secundo antecedenti. Quibus suppositis sit.

§. II.

Prima Conclusio.

4 NAtura Solis de facto in vno indiuiduo existens nequit denominari species prædicabilis formaliter & positiuè; sed solum negatiuè per non repugnantiam ex parte naturæ, est cõtra omnes Thomistas; sed sentio esse ortam ex perfecta vniuersalis

vt sic intelligentia. Et quoad primam partem probatur. Natura (in opinione omnium) non est vniuersalis, nec positiuè apta ad essendum in multis per hoc, quod intelligatur abstracta ab inferioribus, sed per hoc, quod intelligatur ad illa relata; sed natura abstracta ab vnico indiuiduo nequit cũ fundamẽto in re ad plura, quæ actu non sunt, relatione logica quasi prædicamentali referri, cum secũdum omnes Thomistas relatio prædicamentalis exigat terminum actu existentẽ; ergo natura Solis; quę de facto solum abstrahitur ab vnico indiuiduo, solum potest ad illud referri; ergo vt sic nequit vniuersalis denominari formaliter, & positiue, cũ vniuersalitas ex suo cõceptu exigat ex parte termini multiplicitatem.

Confirmatur. Natura, quæ actu positiue appræhenditur vt vniuersalis, actu prædicatur de indiuiduis; sed natura Solis actu non prędicatur de indiuiduis possibilibus, cum hæc propositio: *Sol possibilis, est Sol*; non faciat hunc sensum: *Sol possibilis actu habet naturã Solis*; sed hunc; *Sol possibilis in potentia habet naturã Solis*; ergo natura Solis actu positiuè non appræhenditur cũ fundamento in re vt vniuersalis in ordine ad indiuidua possibilia.

5 Et amplius probatur. Subſtractum quinti prædicabilis actu positiue non potest referri ad subiectum, quod actu non habet formam accidentalem; etiam si illam possit habere: vtique quia *album* v. g. non potest dici de Petro non albo; ergo nec subſtractum secundi prædicabilis potest actu referri ad indiuiduum, quod actu non participet naturã specificam, etiam si illam possit participare.

6. Secunda pars conclusionis constat ex Diuo Thoma. 1. p. q. 13. a. 9. in corp. vbi sic loquitur. *Natura autem Solis non est communis multis secundum rem, sed secundum rationem tantum, potest enim natura Solis intelligi vt in pluribus supposĩtis; & hoc ideo quia intelligit naturam cuuslibet speciei per abstractionem à singulari: vnde esse in vno supposito singulari, vel in pluribus est præter intellectum naturæ speciei: vnde seruato intellectu naturæ speciei, potest intelligi vt in pluribus.* Quibus verbis manifeste docet, naturæ solari ex se, vt abstractæ à singularitate, nó repugnare appræhendi vt in pluribus quantum est ex se: ergo natura Solis solum accipit ab intellectu vniuersalitatem negatiuã, non vero positiuam, quę non solũ exposcit non repugnantiam ex parte naturæ, sed etiam capacitatem ex parte termini, quæ non datur vsque dum in pluribus existat indiuiduis.

7. Ratione probatur. Natura Solis abstracta, à sua singularitate non est positiue determinata; ergo ex se est negatiuè indifferens; ergo est negatiuè vniuersalis: non aliter ac natura humana

ab-

abstracta à conditionibus indiuidualibus, & nō relata ad indiuidua, est solū negatiuè vniuersalis.

8. Dices primo. Natura Solis potest referri ad indiuidua possibilia; ergo potest subire secūdam intētionē vniuersalitatis logicæ. Respondetur negādo antecedēs, nam relatio quasi prædicamentalis rationis debet, sicut realis, fingi in ordine ad terminum existētem: alias non esset cum fundamēto in re facta, vt cōstat ex dictis in notabilibus.

9. Replicabis. Huic naturæ nō repugnat multiplicitas; ergo potest apprehendi vt positiue multiplicabilis.

Respondetur distinguendo antecedens, huic naturæ non repugnat multiplicitas ex parte naturę, concedo antecedens, ex parte termini, nego antecedens; & distinguo consequens, potest apprehendi vt multiplicabilis positiue, & physicè; idest, vt potens à Deo multiplicari, concedo consequētiam; vt multiplicabilis enunciatiue, vel logice, antecedenter ad hoc vt apprehendantur inferiora vt existentia, nego consequentiam; nam licet huic naturæ abstractæ à propria singularitate non repugnet (quantum est ex se) multiplicitas positiua; tamē hæc multiplicitas positiua, seu aptitudo positiua, nequit tribui in ordine ad vnicum indiuiduum.

10. Non quiescas. Intellectus cum fundamento in non repugnantia naturæ potest apprehendere plura indiuidua logica; ergo ad hæc, & ad proprium singulare potest positiue ordinari talis natura. Antecedens probatur: plura per non repugnantiam (tam ex parte naturæ, quam ex parte termini) sunt plura secundum rē, & secundum rationem; ergo plura per non repugnantiam naturæ erunt plura secundum rationem, hoc est logice. Respondetur distinguēdo antecedens, potest apprehendere plura indiuidua logica, vt possibilia, concedo antecedens; vt actu existentia; iterum subdistinguo antecedens, vt actu existentia, valet apprehendere plura indiuidua realia, nego antecedens; rationis, cōcedo antecedens, & nego consequentiā, nam ad possibilia nequit relatio prædicamentalis terminari; nec ad indiuiduum reale, & ad alia rationis indiuidua potest eadem natura vniuoce ordinari; vt ex se constat.

11. Adhuc non quiescas. De indiuiduo reali & rationis, potest vniuoce eadē natura prædicari; ergo solutio nulla. Probo antecedens, si propter aliquam rationem non potest vniuoce prędicari, maxime, quia inter hæc solum datur cōuenientia secundū quid; sed optime stat, quod in esse rei solum habeant conuenientiam secundum quid, vel analogam, & quod in esse termini vniuoce conueniant; ergo de indiuiduo reali, & rationis potest vniuoce eadem natura prędicari. Probo minorē,

quinq; prædicabilia, & omnia genera entitatis subtracta in esse rei sunt analoga; & tamen formaliter in aliquo munere vniuocantur; videlicet in hoc, quod est de pluribus prædicari; ergo cum conuenientia analoga in esse rei compatitur conuenientia simpliciter dicta in esse termini.

Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo maiorem, quia solum datur conuenientia secundum quid, tam formaliter, quam materialiter, concedo maiorem; quia solum materialiter datur conuenientia secundum quid, nego maiorem: & concessa minori, nego consequẽtiam; optime enim stat (vt defendit replica) quod aliqua in esse rei solum dicant conuenientiam secundũ quid, & quod in esse obiecti, vel in aliquo munere, talis cõuenientia sit simpliciter dicta; sed individuum physicum, & reale, cum rationis individuo hanc conuenientiam non habet, nam *hic Sol* vere, & propriè participat naturam Solis, quam individua rationis nequeunt participare; at vero omnia prædicabilia in hoc, quod est esse prædicabilia, simpliciter conueniũt, & ideo in illis compatitur analogia in esse rei, cũ vniuocatione in munere prædicandi.

12. Obijcies. Natura Solis potest abstrahi ab individuis possibilibus realiter participantibus naturã; ergo vt sic potest ad illa referri, & de illis prædicari, cum vt sic sit apta ad essendum in illis. Respondetur concedendo antecedens, & distinguendo consequens, potest ad illa referri relatione quasi transcẽdentali, concedo consequentiam, relatione quasi prædicamentali, & logica, nego consequentiam; nam relatio logica non potest dari in ordine ad terminum possibilem in potentia solum naturam participantem: quando autem natura prædicatur de individuis possibilibus, non prædicatur actu, sed aptitudine: non quia actus prædicans non sit actualis, sed quia res prædicata est in potentia, individuumque possibile solum in potentia participat naturam; vt ex se constat.

13. Iterum insurges. Individua possibilia realem naturam participantia possunt apprehendi vt actu existentia; sed in hoc casu ens fictũ non datur ex parte naturæ realis, sed ex parte existentię; ergo individuum rationis in natura reali vniuoce conuenit cum individuo reali; ergo natura abstracta de illis vniuoce potest prædicari.

Respondetur cõcedendo maiorem, & negando minorem, nã ens fictum non solum datur ex parte existentiæ, sed ex parte naturæ, quæ vt existens apprehenditur cum entitate actuali vera, & positiua, quam in statu possibilitatis, nec quoad essentiam habebat. Vnde natura Solis, quæ vt abstracta ab hoc Sole importat

enti-

entitatem realem, veram, actualem, & positiuam, nequit vniuocè dici de indiuiduo possibili, vt existenti, apprehenso, quia vt sic non est nisi vmbra indiuidui veri, nedum ex parte existentiæ, sed etiam ex parte naturæ.

Potestque hoc aliqualiter explicari in Ioanne picto, qui per nõ repugnãtiam naturæ humanæ potest apprehendi vt verus homo; & tamẽ nullus dicet naturam humanam posse de hoc, & de veris indiuiduis vniuocè prædicari: haud aliter in præsenti.

14. Denique insurges. Indiuidua possibilia sunt termini capaces huius naturæ; ergo cum fundamento in re apprehenditur natura vt apta positiuè ad essendum in indiuiduis possibilibus.

Respondetur distinguendo antecedens: sunt termini capaces huius naturæ, physicè, concedo antecedens; logicè, nego antecedens; & distinguo consequens, apprehẽditur vt positiuè apta, physicè, concedo consequentiam; logicè, nego consequentiam.

Pro solutionis intelligẽtia nota, quod dupliciter potest natura ab indiuiduis participari: primo physicè per realem, & veram causalitatẽ; quomodo natura Solis v. g. potest nũc participari ab indiuiduis possibilibus huius naturæ; secundo logicè, seu enunciatiuè per ordinem ad fictionem intellectus actu naturam ordinantẽ: hæc autem participatio supponit primam; non verò è contra. Quo supposito dico intellectum apprehendere naturam Solis vt physicè participabilem, vel cum nõ repugnantia ad essendum in multis, quatenus considerat hanc naturam posse alijs indiuiduis tribui à Deo, in quo nulla datur vniuersalitas, vel aptitudo logica; non verò logicè, quia ad hanc aptitudinem necessaria est prima participatio, quæ in indiuiduis possibilibus non datur. Ratio huius semper est vna, nam aptitudo logica consistit in respectu quasi prædicamentali, qui nequit dari nisi in ordine ad terminum existentem, de quo actu possit natura dici.

15. Dices secundo. Vniuersale est vnum aptum indifferens, & multiplicabile in pluribus, sed natura solum à singularibus abstracta ex se est apta indifferens, & multiplicabilis, quamuis actu in illis non sit; ergo natura Solis potest denominari species prædicabilis.

Respondetur distinguẽdo maiorem, est vnum aptum, vel indifferens, vel multiplicabilis, positiuè, concedo maiorem, negatiuè, nego maiorem; & distinguo minorem, natura Solis ex se est apta, ex parte sui negatiuè, cõcedo minorem, positiuè, nego minorẽ, & consequentiam, nam aptitudo, indifferẽtia, & multiplicitas positiua consistit in respectu rationis positiuo, qui in natura vnico indiuiduo existente nequit fundari; etiam si fit ab illo abstracta.

16. Dices tertio. Natura Solis est vniuersalis vniuersalitate metaphysica, cum terminus sit *Sol* terminus communis, (vt dicitur in Summulis) sed vniuersalitas logica fundatur in metaphisica; ergo si ei non repugnat metaphysica; nec logica.

Respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem, Logica fundatur in metaphysica, vt abstracta à pluribus, concedo minorem; vt abstracta ab vno tãtum, nego minorem, & consequẽtiam; nam (vt dixi in quæstione vltima disputationis præcedentis fere per totam) vniuersalitas non resultat vt cumquè in natura; sed in natura vt connotante plura inferiora per modum termini separationis.

17. Dices quarto. Relationis essentia saluatur in ordine ad vnũ terminum; etiam si plures terminos possit respicere; vt constat in relatione paternitatis, quæ saluatur in ordine ad vnum filium; etiã si in opinione D. Thomæ eadem respiciat reliquos; ergo etiam relatio prædicabilitatis poterit saluari in ordine ad vnum singulare, etiam si plura possit respicere.

Respondetur distinguendo antecedens, essentia relationis saluatur in ordine ad vnum terminum, quando alij sunt accidentales, sicut sunt in relatione paternitatis, concedo antecedens, quãdo sunt essentiales, nego antecedens, & consequentiam, relatio enim prædicabilitatis (vt constat ex illius definitione) essentialiter exigit plura inferiora, de quibus prædicetur. Explicatur hoc in relatione medij, quæ vt talis nequit essentialiter saluari in ordine ad vnum extremum.

18. Dices quinto. Carentia materiæ aufert naturæ angelicę multiplicitatem, vel aptitudinem positiuam; sed natura Solis materia non caret; ergo ex se est vniuersalis.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam ex eo quod carẽtia materiæ auferat angelicæ naturę (defectu fundamẽti) aptitudinẽ positiuam ad essendum in pluribus, non sequitur, quod positio illius illam formaliter tribuat, nam (vt constat ex quæst. 2. vniuersalium per totam, præsertim, §. 5. cõclus. 3. nu. 25.) materia solum tribuit naturæ non repugnantiã ex parte naturæ ad essendum in pluribus; quæ non sufficit, si vltra hanc non datur terminus, circa quem versetur aptitudo positiua, quæ vt relatiua dependet à positione fundamenti, & termini.

19. Inquires: quomodo naturę abstractæ ab vno individuo non repugnat vniuersalitas, si postea non valet denominari vniuersalis?

Respondeo vniuersalitatẽ actualem dependere, & à nõ repugnantia naturæ, & à multiplicitate individuorum, nam cum vniuersalitas sit relatio, dependet à positione fundamenti, & termini,

cum

cum ergo in natura Solis nõ detur multiplicitas, ideo vniuersalitas naturæ specificæ (nõ ex parte naturæ repugnans) non resultat.

SECVNDA PARS QVÆSTIONIS.

ACcedamus iam ad secundam dubij difficultatem, quæ licet ex vno capite sit ex dictis decisa; tamen ex alio non paruam includit difficultatem: an videlicet naturæ angelicę ex se, siue implicitè, siue explicitè repugnet vniuersalitas logica.

§. III.

Proponuntur sententiæ.

20. PRima sententia asserit naturam angelicam nõ posse esse speciem prædicabilem, si cõcipiatur adæquatè, & prout est in se, vel intuitiua cognitione; secus verò si cõcipiatur à nobis (pro hoc statu) abstractiua cognitione ad instar rerum materialium. Sic Caietan. hic. disp. 3. & 1. part. q. 13. art. 4. Capreol. in 2. dist. 3. q. 1. art. 2. Zumel. q. 1. conclu. 6. Arauxo 3. meta. q. 4. ar. 4. Masius, Iabellus, Sanch. lib. 3. q. 18. Gallego, controu. 15. & quam plurimi ex recentioribus.

21. Pro intelligentia huius sententiæ notat Caietanus, quod vniuersale est duplex; aliud secũdum rem, & rationem simul; & aliud secundum rationem tantum: ad primum asserit requiri; quod natura sit realiter in pluribus, & quod ab illis abstrahatur, vt possit ad illa referri; ad secundum vero (ait) solum requiri, quod natura concipiatur sine singularitate, à qua determinatur; ita vt ex se non dicat determinationem, sed potius indifferentiam ad proprium singulare, & ad alia, si essent possibilia: quæ alia denominantur ab ipso individua logica, seu conditionata, in non repugnantia naturæ abstractæ fundata.

22. Secunda sententia ex diametro oppositum affirmat, naturam angelicam nõ posse subire secundam intentionem speciei prędicabilis. Ita Suarez, disp. 5. metap. sect. 2. num. 18. Illustrissimus ac Reuerendissimus D. D. Frater Antonius Perez, in laurea Salmantina, certamine 3. scholastico. Rubio, q. 4. logicæ. Hurtado, disp. 5. sect. 3. Sapientissimus Magister Curiel, 1. p. q. 50. art. 4. disput. 2. In huius, fauorem sit.

§r IV.

Secunda conclusio.

23. NAturæ angelicæ repugnat vniuersalitas specifica, nedum ex impossibilitate termini, sed etiam ex incapacitate naturæ. Pro intelligentia conclusionis nota, quod vt aliqua natura sit fundamentum vniuersalitatis, op' est, quod sic capax multipli-

tiplicitatis, vel quod constet materiâ, quia secundum D. Thomã, 1. par. q. 50. art. 4. materia est principium fundamentale numericæ multiplicitatis; sicut è conuerso principium radicale vnitatis, & incapacitatis ad essendum in pluribus est carentia materiæ, vel im materialitas suæ naturæ, quæ datur in natura angelica, vt suæ essentiæ constitutiuum, & distinctiuum. Et ne veritas nostræ cõclusionis falso fulciatur fundamẽto, suppono contra aliquos Thomistas singularitatem non esse de cõceptu essentiali naturæ angelicæ, sed solum esse modum logicè accidentalem naturæ contractiuũ: tum quia D. Thomas pluribus in locis asserit singularitatem nõ esse de conceptu essentię creatę, sed solum essentiæ creatricis, ratione summæ actualitatis, & puritatis: tum quia hæc propositio non est sempiternæ veritatis: *natura Angeli est indiuidua*; ergo indiuiduatio non est de conceptu essentiali naturæ angelicę: alias secundum se ei conueniret.

24. His ergo suppositis primo probatur conclusio ex D. Thom. 1. perhyerm. lect. 12. tex. 1. vbi ait. *Dupliciter contingere potest, quod id, quod significatur per nomen, nõ sit aptum, natumque prædicari de pluribus: primo modo, quando nomen significat formam, secundum quam determinatur ad hanc materiam; sicut hoc nomen Plato, significat naturam humanam prout est in hac materia: secundo modo, secundum quod significat formam, quæ non est nata in materia recipi.* Hæc D. Thomas. Ex quibus verbis manifestè constat naturam angelicam non posse ex se admittere secundam intentionẽ speciei prædicabilis, cum ex se sit forma irreceptilis in materia.

25. Secundo probatur ratione. Implicat in terminis, quod natura angelica concipiatur cum fundamento vt materialis, vel corporea; etiam si concipiatur ad instar rei materialis, & corporeæ; ergo etiam implicat in terminis, quod concipiatur cum fundamẽto in re vt specificè vniuersalis, etiam si concipiatur ad instar rei vniuersalis. Antecedens admittitur ad aduersarijs: consequentia verò constat à paritate; nam ex eo non valet concipi cum fundamento in re natura angelica vt materialis, & corporea, quia ei repugnat materialitas, & corpus; sed etiam ei repugnat vniuersalitas specifica: tum quia vniuersalitas specifica exigit pro fundamento similitudinem inter plura singularia: tum quia natura Gabrielis v.g. quæ realis est, non valet referri ad indiuidua imposibilia, nec de illis prædicari; ergo implicat in terminis, quod natura Angelica concipiatur cum fundamẽto in re vt specificè vniuersalis.

26. Tertio probatur. Natura angelica vt præcisa à singularitate non est capax indifferentiæ; ergo non est capax vniuersalitas. Antecedẽs probatur, natura angelica

gelica ex se includit prædicatum indifferentiæ repugnans, cum includat immaterialitatem, quæ est ex se principium vnius singularitatis tãtum; ergo natura angelica à singularitate præcisa, non est capax indifferentiæ. Antecedens ab omnibus debet admiti, nam sicut materia est principiũ, & radix multiplicitatis numericæ; ita carentia materiæ, vel immaterialitas est principium, & radix vnius singularitatis. Consequentia probatur, nam ex eo singularitas est opposita indifferentiæ, & vniuersalitati, quia naturã determinat; sed radix vnius singularitatis etiam determinat naturam; ergo sicut singularitas, ita radix vnius singularitatis est indifferentiæ, & vniuersalitati opposita.

27. Roboratur. Natura angelica ex vi conceptus naturę, adæquatur ab vnica singularitate, cuius est radix: ergo ex vi conceptus naturæ, repugnat ei vniuersalitas. Antecedẽs probatur, natura angelica non exposcit adæquationem cum vnica singularitate per singularitatem, quę est aliud adæquationis extremũ, nec per aliquod prædicatum repertum inter naturam angelicã, & singularitatem, quod non datur; ergo ex vi conceptus naturæ adæquatur ab vnica singularitate, cuius est radix; ergo ex vi cõceptus naturæ repugnat ei vniuersalitas specifica, vel indifferẽtia; cum intelectus cum fundamento non possit ei tribuere prędicatum naturæ oppositum, & repugnans.

28. Replicabis primo, immaterialitatem repertam in natura specifica Gabrielis, non esse principium vnius singularitatis: aliàs immaterialitas reperta in gradu generico esset etiam principium vnius singularitatis; quod nõ potest dici; cum conceptus genericus Gabrielis, de facto fit mediate per plures singularitates contractus. Contra tamen est, nam singularitas Gabrielis v. g. non radicatur in quacumque immaterialitate; sed in immaterialitate completa conueniente conceptui specifico; non vero generico, qui sicut per se primo potest contrahi per plures differentias specificas, sic per se secundo per plures indiuiduales.

29. Replicabis secundo, naturam angelicã posse concipi adæquate, & inadæquate: & licet primo modo sit radix vnius singularitatis; secus vero secundo modo, in quo explicitè solum cõcipitur natura secundum prędicata essentialia; hoc est, in ordine ad esse; non vero vt radix vnius singularitatis, licet implicite ipsa prædicata essentialia sint principium vnius singularitatis. Contra est primo, nam præcisione inadęquata etiam natura diuina potest inadæquate præscindi à radice vnius singularitatis; & tamen non est species prædicabilis, quia implicite includit radicem

radicē vnius singularitatis; ergo si species angelica, adæquate non præscinditur à radice vnius singularitatis nō erit species prædicabilis. ¶ Contra est secundo. Vt natura humana sit vniuersalis, nō solū debet explicite, & implicite præscindi à singularitate, sed etiā à natura signata hac quantitate, quæ vt sic est radix adęquata vnius singularitatis; sed natura angelica saltim implicite est radix vnius singularitatis; ergo in illa nullo modo potest fundari prædicabilitas specifica.

30. Obijcies. Natura angelica inadæquate concepta, in ordine ad esse specificum, & in ordine ad singularitatem, non exprimit determinationem; ergo vt sic, quātū est ex se exprimit non repugnantiam, vt de pluribus prædicetur.

Respōdetur concedendo antecedens, & distinguendo consequens; exprimit non repugnantiā, negatiuè per non expressionem immaterialitatis, concedo consequentiam, positiue per aliquod prædicatum quod sit capax multiplicitatis, nego consequentiam; nam ad prædicabilitatem logicā speciei non solum sufficit, quod ex aliquo capite non exprimat repugnantiā; sed vltra hoc, quod excludat repugnantiam, & determinationem implicitam, & quod positiue explicite exprimat capacitatem ad plura. Ratio est, nam vniuersalitas logica fundatur in natura, cui non repugnat multiplicitas; sed natura angelica licet secundum aliquam expressionem non dicat determinationem; tamen secundum nullam dicit capacitatem ad multiplicationem, cum secundum nullam exprimat materiā; ergo non expressio determinationis, non sufficit, vt in illa fundetur vniuersalitas logica. ¶ Consulto autem in distinctione dixi naturam angelicam non dicere non repugnantiam negatiue, nam non repugnantia negatiua excludit repugnantiam positiuam, quam natura angelica ex se habet; & ideo solū eius exclusio, est expressiua, quæ concipitur cum repugnantia ratione alterius expressionis habita.

31. Replicabis. Natura humana præcisa à conditionibus individuantibus non solum excludit adæquate singularitates formales, sed etiam principia proxima singularitatis, scilicet materiam quātitate signatam; ergo natura angelica, à sua singularitate præcisa, valet adæquate nō solū excludere propriā singularitatem, sed etiam principium proximum talis singularitatis; sed hoc modo concepta est indifferens, vtique quia excludit determinationem; ergo vt sic est capax logicæ vniuersalitatis. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam hoc modo concepta, adhuc natura angelica positiue manet determinata, & natura humana indifferens; licet enim

enim natura angelica abstracta à singularitate, & ab ordine ad illam excludat principium proximum singularitatis; tamen adhuc manet cum ordine ad vnam singularitatem, vel solũ cum capacitate ad illam vagè sumptam: huius ratio est, nam adhuc intelligitur vt careus materia, quæ est principium multiplicationis; & ideo semper manet vt actus vnius singularitatis; quamuis vt sic nõ exigat magis hanc, quam illam; exigit tamen vnam vage, & indeterminate; econuerso vero natura humana abstracta à singularitate, & à principio proximo vnius singularitatis manet cum capacitate ad plura ratione materiæ inclusæ.

32. Inquires primo: an natura angelica sit species vniuersalis vniuersalitate metaphysica? Respondeo affirmatiuè; nam ad vniuersalitatem metaphysicã, solum requiritur, quod natura possit se habere vt obiectum scientiæ; quo modo se habet natura angelica à propria singularitate præcisa.

33. Inquires secundo; an natura Angelica distinguatur à natura Solis in ordine ad prædicationem? Respondeo etiam affirmatiue: nam in natura Solis datur capacitas ex parte naturæ, & repugnantia Solum se tenet ex parte termini; at vero in natura angelica ex vtroque repugnat capite.

§. V.

Referuntur, & refelluntur argumẽta.

34. INsurgunt primo aduersarij ex Diuo Thoma q. de spiritualibus creaturis. a. 8. ad 4. vbi sic fatur: *sicut hæc albedo non prohibetur habere sub se multa individua, ex hoc quod est albedo; sed ex hoc, quod est in hoc, quod pertinet ad rationem individui; ita natura huius angeli non prohibetur esse in multis ex hoc, quod est natura in tali ordine rerum, quod pertinet ad rationẽ speciei, sed ex hoc, quod rõ est nata recipi in tali subiecto, quod pertinet ad rationem individui*; ergo ex mẽte Diui Thomæ naturæ angelicæ non repugnat ex vi conceptus naturæ secunda intentio prædicabilitatis specificæ. Respondetur, Diuum Thomam solum lõqui de conceptu inadæquato naturæ angelicæ; hoc est, de natura angelica, prout exprimit esse specificũ, quod habet in ordine ad actum essendi, in quo sẽsu docet non exprimere positiue repugnantiam ad essendum in pluribus; licet implicite illam includat absque capacitate ad essẽdum in pluribus, quæ erat ad vniuersalitatem necessaria; vt constat ex dictis. Mẽs Diui Thomæ constat ex vltimis verbis, vbi naturæ tribuit repugnantiam, & etiam negat capacitatem ex defectu materiæ.

35. Replicabis. Diuum Thomam comparasse naturam angelicam

licam albedini abstractæ à conditioni bus indiuidualibus: sed albedo vt sic nec explicite, nec implicite includit repugnantiam ad esendum in multis; ergo nec natura angelica. Respondetur distinguendo maiorem, comparasse naturam angelicã albedini, quo ad explicitum, & implicitum, nego maiorem: quo ad explicitum tantum, concedo maiorem, & minorem; & nego consequentiam, nam exemplum non tenet in omnibus, nec exigit omnimodam conuenientiam, sed aliqualem; vt eleganter docet Diuus Thomas opusc. 40.

36. Argues secundo. Natura Gabrielis ex vi abstractionis cõcipitur sine propria singularitate a qua determinatur; ergo vt sic manet indifferens, indeterminata, & capax vniuersalitatis. Respondetur distinguendo antecedens quo ad secundam partem; à qua determinatur, formaliter, concedo antecedens; tam formaliter, quam radicaliter, nego antecedens, & consequentiam, nam licet singularitas sit vniuersalitatis formale impedimentum; non tamen est à dæquatum. Constat hoc in natura humana, quæ non solum est incapax vniuersalitatis ratione singularitatis, sed etiam ratione principij proximi ipsius singularitatis; quod est materia signata quantitate.

37. Tertio. Natura Gabrielis prædicatur de suo indiuiduo prædicatione formali, sed talis prędicatio est speciei, cum de indiuiduo non prædicetur conceptus genericus, sed specificus; ergo natura Gabrielis, quæ prædicatur de Gabriele per modũ essentiæ perfectæ, prædicatur vt species prædicabilis. Confirmatur. Natura Gabrielis ponitur in prædicamẽto; sed non vt genus, quia est sub illo; nec vt indiuiduum, quia est supra illud; ergo vt species prædicabilis. Respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem, talis prædicatio est speciei, methaphysicæ, cõcedo minorem, logicæ, nego minorem, & consequentiam, nam licet non habeat superioritatem logicã, habet metaphysicã, quæ ei conuenit ratione propriæ perfectionis; cum totam exprimat essentiã per quod constat ad cõfirmationem: nam natura angelica non collocatur in prædicamẽto, vt species logica, sed vt methaphysica, quæ respectu proprij indiuidui habet superioritatem methaphysicam, nõ vero logicã. Ratio huius est nam species metaphisica indifferenter exposcit inferius, vel inferiora, at vero logica, determinate exigit plura inferiora.

38. Quarto. Natura Gabrielis v. g. cõcipitur à nobis, pro hoc statu, ad instar rei materialis; sed res materialis est capax vniuersalitatis: ergo natura Gabrielis, cognita ad instar rei materialis, erit etiam capax vniuersalitatis specificæ; cum materialitas rei;

ad

ad instar cuius cõcipitur, tribuat angelicæ naturæ multiplicitatẽ.

Respondetur concedendo maiorem, & minorem, & negando consequẽtiam; nam res materialis, ad cuius similitudinem angelica cognoscitur natura, non tribuit fundamentum intellectui, vt concipiat illam, vt materialem, & vt capacem vniuersalitatis; nam fundamẽtum non debet accipi à medio, sed à re, in qua debet vniuersalitas specifica fundari; alias etiã natura diuina (pro hoc statu cognita ad instar rei materialis) esset capax vniuersalitatis; & similiter ens rationis, cognitũ ad instar entis realis, esset, & ens reale apræhensum, quod non admittunt aduersarij.

39. Dices: Diuus Thom. opus. 42. cap. 5. docet, *naturas separatas à materia, quæ se ipsis indiuiduantur, licet in se sint incommunicabiles, tamẽ si admodum rerum compositarum, & receptibilium in materia considerentur, posse esse vniuersales*: ergo ex mente Angelici Magistri natura Angelica, concepta ad instar rerum materialium, potest vniuersalis denominari.

40. Aliqui respondẽt D. Tho. loqui de vniuersalitate metaphisica. Alij opusculum non esse Doctoris Sãcti. ¶ Sed tertio (& melius) respondetur, Angelicum Magistrum solùm tribuere Angelo vniuersalitatem fictitiam, & chimericam: & quod hæc sit mens ipsius, constat ex verbis opusculi, vt intuenti constabit.

QVAESTIVNCVLA

Appendix: An species in vnico indiuiduo, & Genus in vnica specie possint conseruari.

§. I.

Veriora suppono.

1. SVppono, naturas genericas, & specificas posse cõsiderari, & prout dicunt intentiones generis, & speciei; & etiã prout important relationes conueniẽtiæ, & disconuenientiæ; in his duabus acceptionibus in cõfesso est apud omnes nõ posse cõseruari nisi sub pluribus speciebus, & indiuiduis.

Ratio primi est, quia relationes generis, & speciei, essẽtialiter exigũt plura, in quibus sint, & de quibꝰ prędicentur illarũ fundamẽta.

Ratio secundi est, quia relationes cõuenientiæ, & disconueniẽtiæ, minus, quam inter duo haberi non possunt, cum inter idem, & seipsum, nec sit conuenientia, nec disconuenientia.

2. Cum eademque certitudine suppono, quod genus, & species, phisicè loquendo, idest quatenus dicũt sua prędicata quidditatiua, possunt conseruari sub vnica specie, & sub vnico indiuiduo; nam solo Benedicto existente phisicè; esset in illo tota essencia hominis; & similiter in sola specie hominis esset phisice tota essẽtia animalis.

3. Vt ergo thomistæ verum quę-

stionis sẽsum proponãt, affirmãt, naturam genericam posse cõsiderari metaphisicè, hoc est, vt totũ potentiale, per differentias perfectibile; (sicut materia prima est per formas substãtiales perfectibilis) & similiter naturã specificam posse considerari, vt totũ, quoad expręsũ perfectũ, per differẽtias indiuiduales (à quib' nullã accipit perfectionẽ) diuisibile; in quo sensu præsens agitatur certamen.

4. Ad quod themistæ docent. Naturam genericam non posse conseruari in vnica specie; secus verò specificã in vnico indiuiduo.

Pręsentem resolutionẽ (iuxta hunc sensum intellectam) hac probãt ratione. Perfectio adæquata potentię sumitur ab actu adęquato; sed natura generica, metaphisicè sumpta, & vt totum potẽtiale, quoad expręssum perfectibile, respicit vt actum adęquatum, omnes differentias: ergo in vnica specie non habet omnem perfectionem, quam potest habere.

5. Ex hac ratione infero perfectum quæstionis sensum, in quo nullam inuenio difficultatẽ controuersiã dignam.

Inquiritur ergo, an natura generica in vna specie; & species in vnico indiuiduo habeant totam perfectionem quam in omnibus alijs speciebus, & indiuiduis possunt habere; in quo sensu sit.

§. II.

Conclusio.

6. Genus, vt totum potentiale, nec per potentiam Dei absolutã, potest conseruari, cum perfectione adæquata, quam vt totum potentiale exposcit in vna specie; secus verò species in vnico indiuiduo. Est Doctoris Angelici 1. posteriorum.

7. Et pro illius intelligentia nota, ex Angelico Magistro 2. physicorum lect. 5. naturam genericam non comparari ad species, sicut specifica ad indiuidua; nam illa perficitur à differentijs species constituentibus; hæc verò ab hæcceitatibus indiuidua constituentibus nullatenus perficitur, sed materializatur, & deprimitur.

8. Quo supposito, sic probo cõclusionem quoad primam partẽ: natura generica perficitur ab omnibus differẽtijs specificis, sincathegorematicè infinitis; (sicut materia prima, à formis perficitur substãtialib') sed materia prima non accipit ab vnica forma substantiali, totam perfectionem, quã ab omnibus, successiue acceptis, valet accipere; imò nec per potentiam Dei absolutam potest ab vna accipere perfectiones aliarũ; cum sint sincathegorematicè infinitæ: ergo genus, nec per potẽtiam Dei absolutam, potest conseruari in vnica specie, cum perfectione adæquata, quam, vt totum potentiale, exposcit.

9. Secunda pars probatur: natura specifica, vt totum potẽtiale, (vt constat ex Diuo Thoma, loco supra citato) non perficitur

à dif-

à differentijs indiuidualibus, sed potius è contra; ergo in sole v.g. saluatur species, cum omni perfectione, quam, vt totum potētiale, valet habere,

10. Quoad vtramque partem probatur assertio: eodem modo se habet natura generica, vt totum potentiale respectu specierū, ac materia prima respectu formarum substantialium; & similiter natura specifica, respectu indiuiduorum, ac forma substantialis respectu materiæ primæ; sed potentia materiæ primæ non satiatur, (quoad totam perfectionem; quam exposcit) sub vnica forma; & è conuerso forma (quoad totā perfectionem, quam exigit) saluatur in vnica materia; ergo similiter dicendum est de natura generica, & specifica.

11. Obijcies: materia prima cœli defacto satiatur per vnicam formam: ergo similiter poterit Deus producere differentiam ita perfectam, vt faciet totam generis potentialitatem.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Nam genus non assimilatur materiæ primæ rerum incorruptibilium, sed corruptibilium; & ideo sicut hæc nequit, nec per potentiam Dei absolutam, satiari per vnicam formam, sic nec genus per vnicam differentiam: quia Deus nequit (propter termini repugnantiam) producere differentiam ita perfectam, quæ in se cōtineat perfectiones omnium differentiarum; & ratio est nā cum omnes differentiæ sint sincathegorematicè infinitæ, ideo Deus non valet producere differētiam, quæ in se contineat perfectiones omnium; ni ei concedas productionem infiniti in actu, cum produceret, in tali hypotesi, id, quod in potentia carebat fine.

QVÆSTIO III.

De natura, & proprietatibus indiuidui.

§. I.

Notabilia pro quæstionis luce.

1. PRO quæstionis luce nota primo, indiuiduum posse bifarie vsurpari: *primo, & secundo intentionaliter.* Primo intentionaliter significat naturā omnino incommunicabilem, vel carentiam omnimodam diuisionis. Secundò intētionaliter significat naturam incommunicabilem affectam secunda intentione.

Rursus indiuiduum primo intentionaliter dupliciter valet accipi, *formaliter, & materialiter*: formaliter dicit incommunicabilitatem, seu carentiam diuisionis consecutam ad aliquam entitatē positiuam: materialiter vero dicit rem compositam ex aliqua natura specifica, & singularitate. Secundo intētionaliter, dicit indiuiduum formaliter, vel relationem ad speciem, quæ de ipso præ-

dicatur, si apprehendatur vt subijcibile, vel ad seipsum, prout de seipso prædicari potest, si apprehendatur vt prædicabile: ad eum modum, quo sup. q. huius capitis diximus, speciem vt subijcibilem, respicere genus; & vt prædicabilem, individua.

2. Nota secundo, individuum, vt speciei correlatiuum, non esse à Porphirio definitum; nō alia ratione, nisi quia illius definitio satis clare poterat colligi ex speciei subijcibilis definitionib⁹: ex quibus sic debet definiri individuū: *est, quod subijcitur speciei: vel, de quo species prædicatur, in eo quod quid.*

3. Nota tertio. Porphirium in præsenti, duas de individuo tradidisse definitiones. Prima est: individuum est, cuius collectio proprietatum in nullo alio potest reperiri. Secunda; individuum est, quod de vno tantum prædicatur. Prima definitio conuenit individuo primo intentionaliter: secūda verò secundo intentionaliter.

4. Nota quarto: quod si prima definitio accipiatur vt sonat, non est propria individui; quia etiam conuenit generi, vel speciei: species enim *leonis* v. g. tales habet proprietates, quales in nulla alia specie reperiri possunt: sed debet intelligi iuxta subiectam materiam; ita vt collectio proprietatum intelligēda sit secundum numerum, & non secundum speciē. Cum hoc tamen stat, quod aliquę ex proprietatibus infra assignādis; (vt sunt, patria, nomen) sint in duobus, vel tribus; quia hæc repugnantia solum datur in accidentibus proprijs intrinsecis; non verò in extrinsecis. Proprietates autem individuales his versiculis continentur:

Forma figura, locus, tempus, cum nomine, sanguis,
Patria, sunt septem, quæ non habet vnus & alter.

Hanc Porphirij definitionē descriptiuam esse, nulli dubium est; quia tradit illam per passiones, & proprietates individui, per quas à posteriori colligitur eius essentia.

An vero pro formali, hæc definitio, aliquid omnib⁹ individuis, primò intentionaliter sumptis, commune vniuocè describerit; vel, an tantum commune an analogicè, grauis est difficultas; in qua acriter ab autoribus pro vtra què parte certatur.

§. II.

Proponuntur sententiæ.

5. PArtem affirmatiuam tenet Caietanus 1. p. quæst. 30. ar. 4. (licet capite de specie oppositam docuerit. Sequuntur illum plures recentiores.

Negatiuam verò tenent Albertus Mag. tract. 3. prædicabilium cap. 4. Sotus cap. de specie; & ferè omnes Thomistæ. Cum Philosopho, & suo Magist. 2. Perhiem. cap. 5. pro hac parte sit.

§. III.

§. III.

Conclusio.

6. NOn valet abstrahi ab omnibus indiuiduis, primo intentionaliter sumptis, vt indiuidua sunt, aliqua ratio vniuoca, omnibus illis communis. Constat ex Philosopho loco supra citato; vbi sic ait: *singulare vero est, quod non est aptum prædicari de pluribus.*

7. Secũdo etiã cõstat ex D. Th. 3.p.q.77.art.2.in.corp.vbific fatur. *De ratione indiuidui est quod non possit esse in multis.* Neque oppositum docuit 1.p.q. 30.art.4. Cum dicit. *Indiuiduum vagum significare naturam humanam, cum determinato modo essendi.* Nam, si in illius sententia indiuiduum vagum cõmune esset, vera communitate, non diceret significare naturam humanam cum determinato modo essendi; sed potius cum indeterminato modo essendi.

8. Ratione probatur: ab omnibus differentijs essentialibus, (*vt a rationali & irrationali*) nõ valet abstrahi primo intentionaliter aliqua ratio, quæ vniuoce de illis prædicetur: ergo neque à differẽtijs indiuidualibus. Consequentia valet à paritate rationis: Antecedens probatur; si ab omnibus differentijs essẽtialibus abstraheretur aliquid commune vniuocũ, differentiæ essentiales immediate non contraherent rationem genericam, sed mediante illa ratione vniuoca; hoc est falsum (vt ex se constat) ergo à differentijs essentialib⁹ primo intẽrionaliter sumptis, non valet abstrahi ratio cõmunis vniuoca. Cõsulto dixi *primo intentionaliter sumptis*: Tũ quia de his, in hac acceptione supmtis, procedit controuersia: tum quia de differentijs essentialibus *secundo intẽtionaliter sumptis*, vt cõstituunt tertium prædicabile, certum est cõuenire vniuoce, in hoc quod est prædicari de pluribus, *in quale quid.*

9. Secundo probatur ratione: transcendentia prædicati opponitur vniuocationi; (vt constabit in ante prædicamentis) sed ratio indiuidui transcendit omnia indiuidua; cum non valeat cõcipi aliqua ratio indiuiduorum, in qua nõ sit imbibita talis indiuidui ratio: ergo ratio indiuidui vniuoce non valet de illis dici.

§. IIII.

Primæ sententiæ Argumenta.

10. INsurges primo, in fauorem primæ sententiæ. Hoc nomen *Indiuiduum* significat aliquã rationem indiuidui; non particularem & determinatam alicuius; (quia nõ significat Petreitatem, vel Pauleitatem) ergo communẽ omnibus. Consequentia probatur; cõceptui obiectiuo indiuidui correspondet, non Petrus; vt ex se constat: nec multa, vt multa; quia multa non possunt represen-

tari vnico conceptui: ergo multa, vt vnum.

11. Respondetur distinguendo antecedens. Indiuiduum significat aliquam rationem indiuidui, sub disiunctione, & cum cõclusione concedo antecedens determinate, sicut hoc nomen *Petrus*, nego antecedens, & consequentiam. Ad probationem, concedo maiorem & minorem; & nego consequentiam, nam id, quod repræsẽtatur, non est vnũ simpliciter, sed secundum quid dictum hoc vnum analogice, proportionalitatis analogia.

12. Secundo: conuenientia, & similitudo, est fundamentum, ratione cuius potest abstrahi ratio hominis; sed idem fundamentum reperitur, vt abstrahatur ratio indiuidui: ergo sicut prima abstractio est prædicati vniuoci; ita & secunda. Probatur minor; sicut Placidus & Maurus sunt similes in ratione homines, sic in ratione indiuidui: ergo idem fundamentũ datur in vna, ac in alia abstractione.

13. Respondetur distinguendo maiorem; fundamentum ad præcisionem hominis, est similitudo perfecta, concedo maiorem: imperfecta, nego maiorem & minorẽ; nã in indiuiduis, ad prescindendam rationem indiuidui, solum reperitur imperfecta similitudo, sufficiens solum ad rationem analogam; vt constat ex rationibus pro nostra conclusione adductis.

14. Tertio: ab omnibus differentijs essentialibus abstrahitur vnica ratio differentiæ, omnibus differentijs communis, per quam constituitur tertium prędicabile: ergo similiter valet abstrahi ab omnibus indiuiduis ratio indiuidui, omnibus indiuiduis communis. Consequentia non potest negari; quia sicut se habet ratio differentiæ respectu specierum, sic ratio indiuidui respectu indiuiduorum.

15. Respondetur distinguẽdo antecedens: vnica ratio differẽtię valet abstrahi ab omnibus differentijs essentialibus secundo intentionaliter sumptis, concedo antecedẽs: primo intentionaliter sumptis, nego antecedens, & cõsequentiam: Nam nec à differentijs essentialibus, nec ab indiuidualibus, primo intentionaliter sumptis, est præscindibilis ratio vniuoca; ni dicas, conuenientiam secundum quid esse sufficientem ad vnitatem prædicati vniuoci.

16. Quarto: Ratio personæ *vt sic*, est vniuocè cõmunis respectu huius, & illius personæ: ergo & ratio indiuidui, respectu huius & illius indiuidui. Consequẽtia probatur: quia ratio indiuidui, est de intrinseca ratione personæ vt cõstat ex illius definitione: Nã persona *est, rationalis naturæ individua substantia.*

17. Respondetur distinguendo antecedens: Ratio personæ est vniuoce communis, respectu huius, & illius personæ, si ratio personæ accipiatur proprie, pro ter-

mino

mino intrinseco naturæ intellectualis, concedo antecedens: si accipiatur impropriè pro indiuiduatione naturæ intellectualis, nego antecedens, & consequentiam; nã in hac acceptione idem est, quod indiuiduatio à qua nõ potest abstrahi ratio vniuoca, sed analoga.

18. Quinto indiuiduum vagum vniuoce prædicatur de pluribus indiuiduis: ergo iam datur ratio cõmunis indiuidui vniuoca. Probatur antecedens: in his propositionibus, *Placidus est aliquis homo Maurus est aliquis homo*, ly *aliquis* ex parte prædicati importat aliquã rationem vniuocam, quæ de multis prædicatur: ergo indiuiduum vagum vniuoce prædicatur de pluribus indiuiduis.

19. Respondetur negando antecedens: ad probationem etiam nego antecedens; nam indiuiduũ vagum, tam quo ad rem significatam, quam quoad modum significandi, stat pro vno tantum, etiam si determinate illud non significet; & ideo solum indeterminate valet de vno tantum prædicari. & si aliquando D. Th. videtur affirmare, quod indiuiduum vagum prædicatur de pluribus; debet inteligi, nõ vniuoce, sed analogicè.

§. V.

Secunda quæstionis pars.

20. PRo secũda quæstionis parte inquires; quid sentiendum sit de indiuiduo secundo intentionaliter sumpto, quod Porphyrius in secunda explicauit definitione dicens, *Indiuiduum est, quod de vno tantum prædicatur?* Ad quod respondetur sic.

Secunda Conclusio.

21. DEfinitio Porphirij exacte explicat indiuiduũ secundo intentionaliter: probatur per hanc definitionem distinguitur indiuiduum à reliquis prædicabilibus: ergo recte explicat indiuidui naturam.

22. Ex dictis (in quæst. 1. per totam huius disputationis loquendo de genere) cõstat à simili, rationem à porphirio definitã, per hanc secundam definitionem, esse concretum resultans, de materiali in recto, ex natura incommunicabili; & de formali, etiam in recto, ex secunda intentione indiuidui: nam nec sola natura est ex se prędicabilis; nec sola secunda intentio est, quæ de indiuiduo prædicatur; sed totum, ex vtroque in recto resultans.

§. VI.

Oppugnationes contra conclusionem militantes.

23. OBijcies primo: quidquid definitur debet esse species; sed indiuiduum non est species: ergo non potest definiri.

24. Respondetur distinguendo maiorem: quod definitur debet

esse species, essentialiter, vel denominatiue, concedo maiorem; essentialiter semper, nego maiorem, & distinguo minorem; individuum non est species, essentialiter, concedo minorem; de nominatiue, nego minorem, & consequentiam: Nam sicut genus, quod de pluribus specie differentibus prædicatur, valet dici species de nominatiue, vt possit propria, & rigorosa definitione definiri, sic individuum, quod de vno tantum prædicatur, potest dici de nominatiue species, vt proprie definiatur, & quando Aristoteles dixit, quod quidquid definitur debet esse species, intelligi debet essentialiter, vel accidentaliter; alias solum secundum prædicabile posset definiri.

25. Obijcies secundo de individuis non est scientia: ergo nec definitio; cum definitio sit potissimum demonstrationis medium.

26. Respondetur distinguendo antecedēs: non est scientia, si accipiantur determinate, & materialiter, pro vt singularia sunt, in actu exercito concedo antecedens: si vero accipiātur in cōmuni, & formaliter, seu in actu signato, provt conueniunt in ratione individui, nego antecedens; & consequentiam, in eodem sensu: nam de *Placido* v. g. scientia non potest dari nec definitio, quia vt sic corruptibilis & defectibilis est: at vero de Placido in communi, seu de illo vt conuenit cum alijs, in ratione individui, scientia & diffinitio valet dari; quia vt sic individuum dicit aliquam rationem infalibilem, de qua propositio sempiternę veritatis valet formari: nam sicut hæc est sempiternę veritatis, *homo est animal rationale*; ita hæc, *individuum est individuum in se, & diuisum à quolibet alio.*

27. Obiijcies tertio: Ideo natura humana prædicatur de multis, quia est ab illis abstracta; sed ratio individui nō est ab illis abstracta: ergo de illis non prædicatur.

28. Respondetur distinguendo maiorem; quia ab illis est abstracta prædicatur prędicatione formali, concedo maiorem: præcise prædicatur, nego maiorem: & (pro nunc) concessa minori, nego consequentiam: Nam prædicatio, *vt sic*, provt abstrahit ab idētica, & formali, solum expoſcit identitatem; vtraquam formalis addit abstractionem. Hanc prædicationem formalem, & non identicam, Philosophus 7. meth. cap. 3. negauit individuo dum dixit, *primam substantiam non dici de subiecto.*

29. Replicabis: Hęc prædicatio *Petrus est hoc album*, est individui; & tamē est formalis: ergo individuum non solum prædicatur prædicatione identica, sed formali.

30. Respondetur negādo maiorem, & minorem, & distinguēdo consequentiam; prædicatur prædicatione formali, quādo ratio

tio indiuidui posita ex parte prædicati, est diuersi ordinis, concedo; quando est eiusdem, nego cõsequẽtiam: nam in prædicta propositione singularitas posita ex parte prædicati, est distincta à singularitate ex parte subiecti posita; cum prima in prædicamẽto substãtiæ, secunda vero in prædicamento qualitatis sit.

31. Ex quo colliges: has propositiones. *Petrus est hoc rationale, Petrus est hic homo*, non esse formales: nam id, quod de formali se habet ex parte prædicati (quod est ratio indiuidui) non est distinctum à ratione indiuidui, quæ etiam se habet de formali, ex parte subiecti; cum hæc in omnibus gradibus prædicamenti substantiæ sit eadem.

32. Obijcies quarto: Indiuiduũ verè prædicatur de pluribus; vt in his; *Petrus est indiuiduum, Ioannes est indiuiduum*; & [illegible]liter in his *hoc indiuiduum est in[illegible], hoc indiuiduum est indiuiduum*, ergo falsò asserit Porphirius, indiuiduum esse de vno tantum prædicabile.

33. Vt respondeas, nota primo, has prædicationes non esse indiuidui, sed quinti, & secundi prædicabilis, accidentaliter, & denominatiuè. Ratio est nã primæ prædicationes spectant ad quintum prædicabile; sicut hæc, *animal est genus*: & secundæ ad secundum; sicut hæc, *hoc genus est genus*.

34. Nota secundò, hanc propositionem *Petrus est indiuiduum*, duplicem habere sensum; nam si indiuiduum ex parte prædicati sũptum, accipitur primò intentionaliter, est secundi, vel quarti prædicabilis reductiuè; sicut hæc, *substantia est ens*: at vero si accipitur secundo intentionaliter, est quinti; sicut hæc, *homo est species, animal est Genus*.

35. Quibus suppositis, respõdetur distinguendo antecedens: Indiuiduum prædicatur de pluribus formaliter, & *vt quo*, nego antecedens; denominatiuè, & *vt quod*, concedo antecedens; & nego cõsequẽtiam: nam sicut secunda intentio generis, quæ est ratio formalis, qua animal v.g. prædicatur *vt quod* de pluribus specie differẽtibus, potest denominari *vt quod* species, & accidens; sic secunda intẽtio indiuidui, quæ *vt quo*, & formaliter est ratio qua Petrus prædicatur de seipso, potest *vt quod*, & denominatiuè denominari à secũda intentione accidentis, vel speciei.

CAPVT TERTIVM DE DIFFERENTIA.

1 IN hoc Capite Porphirius assignauit varias differẽtiæ diuisiones, & diffinitiones, quas, vt superfluas, (vnica contentus diuisione) omitto.

In prima parte huius capitis differentiam diuisit in communẽ, propriam, & proprijssimam.

2. *Communis* est accidens separabile, quo aliquis à seipso, vel ab alio,

accidentaliter differt, vt Benedictus stans, differt à Placido sedēte, & à seipso, quando non stat.

3. *Propria* est accidens inseparabile, quo accidentaliter inseparabiliter vnus differt ab alio: vt risibilitas est accidens inseparabile, quo homo differt ab equo.

4. *Proprijssima*, est etiā al quid inseparabile, quo aliquis essentialiter differt ab alio; vt rationalitas est forma, qua homo essentialiter differt à leone: in præsenti solum loquitur de differentia proprijssima; quam in secunda parte huius capitis sic definiunt: differētia est, *quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid.*

Ly *in quid*, ponitur, quia est de essentia speciei, sicut Genus.

Ly *in quale*, quia in modo concipiendi, & significandi prædicatur per modum *qualitatis.*

QVÆSTIO PRIMA.

An hæc definitio omnibus conueniat differentijs.

§. I.

1. QVod inquirimus est; an definitio differentiæ, à Porphirio tradita, ne dum conueniat differentiæ *subalternæ*, scilicet *sensibili*, quod potest prædicari de homine & leone specie differētibus, sed etiam *infimæ*, scilicet *rationali*, quod solum de homine prædicatur.

2. *Modus opinandi Caietani.* Cardinalis Caietanus in præsenti capite de differentia, §. *circa vltimum autem* defendit, prædictam definitionem conuenire differentiæ infimę *negatiuè*, & per non repugnātiam; quatenus *rationali* v.g. non repugnat prædicari de pluribus specie differentibus, quia differētia est; sed quia talis est differentia.

3. Quod probat: Nam plures dantur definitiones quæ conueniut alicui definito *negatiuè*, & per non repugnantiam: vt constat in Cœlo, cui conuenit definitio quā ti per non repugnantiam, quatenus ei non repugnat diuisibilitas, quia quātum est, sed quia tale quā tum, videlicet cœleste: ergo definitio differentię potest infimę hoc modo conuenire.

4. Sed contra est primo: Nam ex hoc modo opinandi, primo sequitur, definitionē hominis posse leoni conuenire, nam licet ei repugnet rationalitas, secundū rationem differentialem, non vero ei repugnat secundum rationem genericam.

5. Secundo sequitur, rationalitatis differētiam posse irrationalitati conuenire: nam licet ei repugnet secundum rationem specialem differentiæ, non vero secundum rationem differentiæ vt sic.

6. Vnde respondetur negando antecedens: nam definitio per nō repugnantiam non potest admitti vt legitima, cum essentia positiua exigat explicari per suas partes

tes positiuas: & non per aliquid, quod ei secundum aliquã expressionem non repugnet. Ad exemplum respondetur, quantum cœlestes posse positiuè diuidi, licet tale exercitium sit ab extrinseco impeditum, ratione subiecti, in quo est: de essentia enim quanti non est, quod actu diuidatur, sed quod sit diuisibile.

§. II.

Alius modus opinandi.

7. COmplutenses in præsenti asserunt, Porphirium solum definiuisse differentiam subalternam, non vero infimam.

8. Et probant. Nam *rationale* v. g. non potest prædicari de pluribus specie, sed solum numero differentibus: ergo in hac definitione non fuit à Porphirio differentia vltima definita.

Sed iste modus, opinandi non potest sustineri, dum Magistrum prædicabilium diminutionis vitio inurit. Quare, vt mentẽ Porphirij aperiamus, sit.

§. III.

Conclusio.

9. DEfinitio Porphirij omnibus aptatur differẽtijs.

Ita Mag. Petrus à Iesu, & Mag. Hortiz in præsenti.

10. Pro intelligentia conclusionis nota, differentiam, vt sic, dividere genus; constituere species; & denique illam distinguere ab omni alia specie; in quo cõsistit proprium munus differentiæ.

11. Quo supposito, sensus definitionis est iste: differẽtia est, quæ prædicatur in *quale quid* de pluribus ab alijs per ipsam specie differentibus; ita vt ipsa differentia sit ratio, quare inferiora specie differãt. Vnde per *rationale* v. g. omnia individua naturæ humanæ differunt specie, non inter se, sed ab alijs, sub alijs speciebus contentis.

12. Quod verò hæc definitio, iuxta hanc explicationem debeat exponi, probatur: si partiula *de pluribus specie differentibus*, intelligatur hoc modo definitio Porphirij iuxta modum proprium iuxta differentiæ positiuè adaptatur omnibus differentijs: ergo in hoc sensu debet exponi.

13. Explicatur hæc ratio. Secunda intentio differentiæ debet fundari supra munus propriũ differentiæ; sed hoc est, facere differre: ergo supra differentiã, quatenus est ratio, quare omnia individua differant ab alijs, debet fundari secunda intentio differẽtiæ.

14. Dices: differentiam nõ prædicari de individuis, quatenus individua ab alijs differunt, sed quatenus inter se conueniunt.

Respondetur negãdo antecedens: nam conuenientia non est proprium munus differentiæ, sed generis, vt ex se constat.

15. Replicabis: diuersitas, quæ

datur ex parte termini in alijs prædicabilibus attenditur inter ipsa inferiora: ergo idem dicēdum est de differentia.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam differentia, ex proprio munere, est ratio quare indiuidua eiusdem speciei, ab alijs alterius speciei, specie differant.

§. IV.

Aliquæ obiectiones.

16. OBijcies primo. Iuxta prędictum modum dicendi, differentia non prædicatur solum de pluribus specie differentibus, sed etiam de pluribus genere differentibus; vtique, quia prædicatur de Benedicto & Mauro, qui genere differunt à lapide, & à quā titate: ergo prædicta expositio, vt nimis lata debet reijci.

Respondetur negando sequelam: nam licet indiuidua vnius speciei differant genere ab alijs, non tamen differunt genere, sicut specie, per ipsam differentiā, cum ipsa solum sit ratio vt specie differant.

17. Obijcies secundo: data hypothesi, quod non esset nisi vnica species, v.g. *hominis*, adhuc rationale prædicaretur de Benedicto, & Placido: ergo ad rationē differentiæ prædicabilis non est necessarium, quod prædicetur de pluribus, ab alijs specie differentibus.

Respondetur concedendo antecedens, & distinguendo consequens: non est necessarium, quod prædicetur de pluribus, ab alijs specie differentibus de facto, vel in actu exercito, concedo consequentiam; de possibili, vel in actu signato, nego consequentiam: nā in tali casu differentia, quantum est ex se, & ex sua natura, esset ratio differendi.

Nota tamen, hanc obiectionē debere ab omnibus responderi: nam (in omnium opinione) munus proprium differentiæ est, esse formam differendi, quod in prædicto casu, absque dubio, quoad exercitium deficeret.

18. Obijcies tertio: particula *ab alijs* non est à Porphirio assignata: ergo diminutè processit in differentiæ definitione: ergo incidimus in inconueniens, quod vitare conamur.

Respondetur concedendo antecedens, & negando vtramque consequentiam: nam in præsenti Porphirius definiuit differētiam vt tertium prædicabile; hoc est, iuxta naturam ipsius, quæ consistit in hoc, quod est esse rationem differendi; vel in hoc, quod est esse rationem, per quam inferiora illam participantia, ab alijs differant; & ideo talis particula non fuit ab illo posita, ne vitio superfluitatis inureretur.

19. Ex his colliges, secundam intentionem differentiæ nō fundari in differentia subalterna; v.g. in *sensibile*, quia est abstractum à plu-

pluribus inter se differẽtibus, sed quia est abstractum à pluribus specie ab alijs differentibus. Ratio semper est eadem; nam secunda intentio differentiæ fundatur in ipsa prout est totum ratio differendi.

20. Colliges secundo, differentiam subalternam distingui ab infima *materialiter*, quatenus hæc prædicatur de indiuiduis, illa verò de speciebus; non vero *formaliter*, quia conueniunt in hoc, quod est esse rationes, quibus inferiora specie ab alijs differant, cum eodem modo prędicationis, hoc est, *in quale quid*.

21. Dices: Genus differt essentialiter ab specie, quia hæc prædicatur de indiuiduis, illa verò de speciebus; sed per nos differentia subalterna prædicatur de speciebus, infima verò de indiuiduis: ergo ne dum materialiter, sed formaliter differunt.

Respondetur negando maiorem; nam Genus solum differt essentialiter ab specie, quia hęc prędicatur completè vt tota essẽtia, illud verò incompletè vt pars essentię; vnde diuersitas essentialis prædicabilis non debet summi ex terminis, sed ex diuerso modo quo respiciunt terminos: in quo modo respiciendi differentiæ cõueniunt, cum vtraque *in quale quid* prædicentur, vt per illus inferiora specie ab alijs differant. Explicatur hoc in genere infimo, & subalterno, quæ solum accidẽtaliter differunt, etiam si illud prędicetur de speciebus, quæ nõ sunt genera istud vero de speciebꝰ, quę sunt genera; quia eodem modo terminos accidentaliter diuersos respiciunt.

22. Dices secundo: ex eo Genus differt essentialiter ab specie; quia hæc prædicatur vt tota essentia, hoc est, vt non perfectibilis; illud verò vt pars essentiæ, hoc est, vt perfectibile; sed hoc modo se habent differẽtiæ subalternæ, & infimæ, cũ hæc non sit vlterius perfectibilis, at verò illa sit vlterius perfectibilis per infimã; ergo differentiæ infimæ, & subalternę essentialiter differunt.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem: nam Genꝰ ex se est perfectibile, at verò differentia subalterna ex se solum est generis subalterni perfectiua; non verò perfectibilis, nisi materialiter quatenus est pars generis subalterni, quod formaliter vt tale est perfectibile, & ratione ipsius (secũdario & materialiter) differentia subalterna, (quæ est pars illius) est perfectibilis.

23. Objcies quartò: iuxta hanc explicationem etiam potest dici, Genus supremum prædicari de pluribus genere differentibus; cũ sit ratio quare inferiora ipsius genere differant ab alijs aliorũ prædicamentorum: ergo hæc explicatio differentiæ definitionis non debet admitti.

Respondetur negando antecedens; nam Genus ex suo proprio conceptu solum est ratio conueniendi,

niendi, licet implicitè sit ratio differendi: at verò differentia, è conuerso, ex se est ratio differendi: & ideo essentia propria differentiæ non coincidit cum essentia generis, etiam iuxta nostram expositionem.

24. Obijcies quinto: species infima prædicatur, sicut differentia infima de individuis, quæ ab alijs specie differunt: ergo sicut de differentia, sic de specie poterit dici, quod prædicatur de inferioribus, quæ specie ab alijs differunt.

Respondetur distinguendo antecedens, quoad ly *sicut*; sicut, id est eodem modo, nego antecedēs: sicut, id est de eodē termino prædicantur, concedo antecedens, & nego consequentiam; nam species prædicatur vt tota essentia, quæ communis est omni inferiori: at verò differētia prædicatur vt pars essentiæ, per quam distinguntur inferiora ab alijs alterius speciei: vndè species respicit inferiora vt ratio adæquata in qua conueniūt: At verò differentia illa respicit vt ratio inadæquata per quā distinguntur.

QVAESTIO SECVNDA.

An differentia sit vniuersalis per ordinem ad speciem, quam constituit; vel per ordinem ad inferiora speciei constitutæ?

§. I.

Lux tituli.

1. QVæstionis titulus inquirit, an differentia infima, v.g. *rationale* respiciat, pro termino suæ vniuersalitatis, speciem quā constituit, scilicet hominem, vel inferiora speciei constitutæ, scilicet individua naturæ humanæ: idemque inquiritur de differentia subalterna: an *sensibile*, v. g. respiciat pro termino suæ vniuersalitatis *animal*, quod constituit; vel inferiora animalis, scilicet hominem, & leonem.

Sed quia eadem est de vtraque differentia difficultas, ideo ex resolutione infimæ constabit resolutio subalternæ.

§. II.

Referuntur sententia.

2. PRima vtrumque negat, & asserit, rationale cōstitui in ratione vniuersalis, per ordinem ad hoc, & illud rationale.

Hæc sententia, absque duce, hoc debili infirmatur fundamento. Quodlibet vniuersale propriū, & specialem respicit terminum; sed terminus specialis differentiæ nō est species, cum hæc inspiciatur à Genere; nec individua, cum inspiciantur ab specie: ergo non est assignabilis alius terminus, nisi hoc & illud rationale.

3. Sed hæc sentētia, nedum debili, sed falso nititur fundamento.

Nam

Nam rationale nō prædicatur de hoc & illo rationale in *quale quid*; hoc est per modum partis formalis; sed *in quid* completè, hoc est vt tota essentia; (nunc ista essentia ex modo concipiendi, sit completa, vel incompleta) ergo respectu illorum non prædicatur vt differentia, sed vt species; licet realiter & metaphisicè sit differentia.

4 Confirmatur. Genus, in ordine ad hoc & illud genus: videlicet, animal in ordine ad hoc, & illud animal, induit secundam intentionem speciei, & non secundam intentionem generis; ergo differentia in ordine ad hanc, & illam differentiam, induit etiam secundam intentionem speciei, & non secundam intentionem differentiæ.

Ad fundamentum respondetur distinguendo maiorem; quodlibet vniuersale proprium respicit terminum formalē, concedo maiorem; materialem semper, nego maiorem & minorem, quoad secundam partem; nam indiuidua distincta relatione subijcibilitatis, terminant speciem, ac differētiam.

5. Secunda (quæ est Caietani) defendit, differētiam esse vniuersalem per ordinē ad speciem, quā constituit; non verò per ordinem ad inferiora speciei constitutæ.

6. Tertia docet differentiā esse vniuersalem per ordinem ad inferiora speciei constitutæ. Pro hac stant ferè omnes Thomistæ, & in eius fauorem sit.

§. III.

Conclusio.

7. RAtionale non constituitur vniuersale per ordinem ad hominem, quem constituit, sed per ordinē ad hominis inferiora.

8 Probatur ratione efficaci: vniuersale logicum se habet vt superius in ordine ad suum terminum; sed rationale non est homine, sed indiuiduis superius: ergo differentia, scilicet rationale, non est vniuersale per ordinem ad hominem. Minor probatur: nam secundum Philosophum in ante prę dicamentis, *Superius est, à quo non valet vis subsistendi consequentia*, sed à differentia ad speciem, & è contra, valet; non vero à rationali ad Petrum: ergo rationale non est vniuersale per ordinem ad hominem, quem constituit, sed per ordinem ad hominis inferiora.

Confirmatur: vniuersale essentialiter respicit plura; sed differētia non constituit plures species, sed vnam tantùm: ergo non per ordinem ad illam, sed per ordinē ad indiuidua talis speciei est vniuersalis.

9. Dices pro Caietano, speciē esse vt in potentia vniuersaliter plura, ac proinde ratione illius virtualitatis, posse esse terminum differentiæ.

10. Sed contra est: nam species solum vt superius cōtinet virtualiter

liter indiuidua; non verò vt inferior; sed si esset terminus differentiæ vt vniuersalis, esset illa inferior: ergo, vt pertinet ad differentiam, non est virtualiter multiplex.

11. Secundò: vel multiplicitas necessaria ad prædicationē fit ab indiuiduis contentis; vel ab indiuiduis, & ab specie. Si primū, potiori iure indiuidua in se habent multiplicitatem. Si secūdum; ergo terminus differentiæ constat ex terminis specici & generis; quod non dices.

12. Tertio: vniuersale, plura vt simpliciter. & formaliter plura requirit; cum sit vnum in multis: ergo multiplicitas virtualis, quę cōpatitur cum vnitate simpliciter, nō sufficit ad multiplicitatem, ab vniuersali, ex parte termini requisitam.

§. IV.

Fundamenta Caietani.

13. PRimum sic se habet: hæc prædicatio, *homo est rationalis*, est formalis & directa; sed omnis prædicatio formalis, & directa spectat ad aliquod prędicabile: ergo hæc pertinet ad hoc, cum non sit aliud ad quod possit pertinere.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem: nam vt aliqua prædicatio pertineat ad aliquod prædicabile, non sufficit quod sit prædicatio directa, & formalis; sed vltra hoc requiritur, quod prædicatum prædicetur vt superius, & quod subiectū vel terminus, non sit vnus: cum hoc tamen stat, quod indirecte prædicatio in argumento apposita spectet ad hoc prædicabile, quatenus id quod prędicatur de specie, potest (in ordine ad indiuidua) induere secundam intentionem huius prædicabilis.

14. Secundum: differentia, relatione vniuersali respicit indiuidua: ergo speciem, quam constituit. Consequētia probatur: tum quia eadem relatione, qua aliqua res respicit terminum mediatum, respicit immediatum; & è cōtra; vt constat: tum in relatione, qua genus respicit species & indiuidua: tum ex eo quod differentia prædicatur de specie, vt quid simpliciter vnum, & vniuocum.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Vt ad primam probationē respondeam, nota differentiam ordinari ad indiuidua duplici relatione; *vniuersalitatis*, qua respicit immediatè indiuidua; & relatione *constitutiui*, qua respicit indiuidua, media specie immediate inspecta.

Quo supposito, distinguo antecedens: eadem relatione respicit differentia speciem & indiuidua, si loquaris de relatione *vniuersalis*, nego antecedens; si de relatione *constitutiui*, concedo antecedens: nam relatione vniuersalis solum respicit indiuidua inferiora

riora; non vero speciem æqualem.

Vnde ex eo quod genus eadem relatione vniuersalis respiciat speciem & individua, non sequitur, quod eodem modo se habeat differentia: nam genus est superius specie, & individuis; attamen differentia non est superior specie, sed individuis.

Ad secundam probationē distinguo antecedens; prædicatur vt aliquid vniuocum, & vnum, vnitate metaphisica, concedo antecedens; Logica, nego antecedens, & consequentiam; nam vnitas Logica solum datur respectu inferiorum.

Tertium: differentia, vt talis, est vniuersalis; sed non est formaliter, seu per se primo differentia per ordinem ad individua, sed per ordinem ad speciem, quam cōstituit; cum respectu illius exerceat munus propriū differentiæ, quod est facere differre: ergo in ordine ad speciem, & nō in ordine ad individua est vniuersalis.

16. Confirmatur differentia habet pro immediato correlatiuo speciem, & pro mediato individua; sed omnis relatio per se primo ordinatur ad immediatum correlatiuū: ergo differentia per se primo est vniuersalis in ordine ad speciem.

17. Vt respondeas, nota quod sicut hoc nomen species est æquinocum ad speciem prædicabilem, & subijcibilem; sic hoc nomen differentia est æquinocum ad munera differētiæ, vel ad differētiam vt constitutiuam, & ad illam vt vniuersalem, seu prædicabilem.

18. Quo supposito respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem: per ordinem ad individua non est per se primo differentia metaphisica, vel vt exercens munus constituendi, concedo minorem: Logica, nego minorem & consequētiam: nam differentia solum vt constitutiua, respicit per se primo speciem; at verò vt superior per se primo respicit individua.

Per quod patet ad confirmationem; nam immediatum correlatiuum differentiæ Logicæ, sunt individua inferiora, & non species æqualis.

19. Replicabis cum Ioanne à Sācto Thoma: differentia prædicatur de specie vt æqualis: ergo vt vniuersalis; vtique quia species, quæ vniuersalis est, non potest æquari nisi ab vniuersali.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ad probationem dico, speciem vt inspectam à differentia non esse vniuersalem formaliter, & Logicè; sed solum fundamentaliter & metaphisicè; quia vt ter minus differentiæ non exercet munus prædicabilitatis, sed subijcibilitatis.

20. Quartum: hæc causalis est vera: *Benedictus est rationalis, quia est homo*: ergo rationale prius prædicatur

dicatur de homine, quam de individuis.

Respondetur, causalem esse veram in sensu metaphisico, & constitutiuo; non vero in sensu Logico & vniuersali. Vnde licet rationale, in ratione formæ metaphisicè actuâtis & dantis esse, prius conueniat homini, quam individuis; tamen in ratione vniuersalis nullatenus conuenit immediatè homini æquali, sed individuis inferioribus. Nam teste Philosopho 6. metap. capit. 1. tunc dicitur aliquid habere esse immediate ad aliud, quando nihil mediat eiusdem rationis; tunc enim domus v. g. consequenter dicitur se habere ad aliam, quando non mediat alia domus inter vtramque; licet mediet aliquid aliud.

QVÆSTIO III.

Vtrum genus sit de conceptu differentiarum.

§. I.

Quæstionis explanatio.

1. SVB alijs terminis solet quæstio hæc à Doctoribus agitari, inquirendo, an differentia superior in inferiori includatur, & de illa prædicetur? Sed in re eadem est difficultas, an differentia inferior formaliter sumta includat superiorem; & an includat genus, quando est species subalterna, per eam constituta. Gratia exempli: animal est species subalterna constituta formaliter per differentiam sensibilis, quam necesse est includere: ergo in quocumque includatur sensibile includetur etiam formaliter animal, & è contra: sicut in quocumque includitur homo, includitur etiam rationale; & è conuerso. Vnde si probatum fuerit, inferiorem differentiam non includere genus superius; probatum etiam erit non includere differentiam superiorem.

2. Sed notandum est primo, vnam entitatem esse de conceptu alterius, quando pertinet ad essentiam illius, taliter, vt sine illa concipi non possit. Vnde animal est de cõceptu hominis, quia taliter spectat ad illius essentiam, vt implicet cognoscere hominem, non cognoscendo rationem animalis, quæ essentiam hominis, simul cum differentia constituit.

3. Notandum est secundo, dupliciter accidere, aliquam rem esse de quidditate alterius; *intrinsecè* scilicet, *& extrinsecè*.

Intrinsecè, quando est pars intrinseca & essentialis illius; extrinsecè, quando non est pars intrinseca, & essentialis illius, est tamen terminus essentialiter cõnotatus, sine quo intelligi non valet entitas connotans; vt filius est de essentia Patris; quia licet non sit pars intrinseca & essentialis illi, est

est tamen terminus essentialiter connotatus: quia impossibile est intelligere Patrem, sine filio.

4. Notandum est tertio: quæstionem procedere de differentia secundum se, & non in quantum est quoddam totum potentiale; nam secundum hanc cõsiderationem, in confesso est, genus esse de cõceptu differentiæ, vt æquet per sectionem subiecti, de quo prædicatur. Vide quæ dicta sunt in hac disp. quæst. 3. per totam.

§. II.

Referuntur sententiæ.

5. IN hoc dubio, partem affirmatiuam defendunt Alexander Aphrodissæus 3. metaph. cap. 3. Iandunus 5. metaph. quæs. 15. & Soncinas 7. metaph. quæst. 17. vt probabilem approbat.

Partem vero negatiuam docẽt D. Tho. 3. metaph. lect. 8. Scot' ibidẽ: Antonius Andreas, & omnes recentiores. In huius obsequiũ, pro veritatis decisione, sit.

§. III.

Conclusio.

6. NEque Genus, neq; aliud prædicatum vniuocum, est de conceptu differentiarũ: benè tamen extrinsecè, tanquã terminus suæ connotationis.

7. Probatur primò ex Arist. 4. Topicorum cap. 2. vbi sic loquitur, *manifestum igitur est, quoniam non participat genus differentiam.* Et iterum, *de pluribus genus, quam differentia oportet dici*, & non participare differentiam.

8. Secundo probatur. Genus & differentia duo importãt: *primum* esse gradus essentiales, ad aliquod tertium essentialiter spectantes: v. g. Animal, importat gradum naturæ sensitiuæ; & rationale, gradum naturæ intellectiuæ: *Secundum*, esse tanquam actus & potentia, seu tanquam contrahens, & contrahibile: ergo non se mutuò includunt formaliter: tum quia gradus diuersæ perfectionis essentialis, habent rationes formaliter diuersas: tum quia actus, & potentia formaliter differunt.

9. Tertio probatur. In homine v. g. illud habet rationem differentiæ, per quod differt ab alijs speciebus sub eodem genere contentis: ergo Genus non est de essentia differẽtiæ; vtique quia differentia formaliter sumpta non fundat conuenientiam, sed diuersitatem inter species: si ergo genus esset de formali cõceptu differentiæ, iam in illa esset ratio cõueniendi; quod differentiæ formaliter repugnat.

10. Quartò probatur à simili in compositione physica, vbi vna pars excludit aliam à suo cõceptu essentiali: ergo & in metaphisica eadem debet reperiri exclusio: aliàs compositum bis haberet eandem partem, & dupli-

citer participaret rationem animalis: quia genus, (ex quo componitur formaliter) est animal, & differentia, (quæ cum genere componit, etiam in opinione aduersariorum) est formaliter animal.

11. Roboratur hæc ratio. Tum quia in quacúque definitione daretur inutilis, & superflua generis repetitio: tum quia differentia non esset simplex conceptus; cum resolubilis esset in duos conceptus; & de illa vltima ratione possemus inquirere; an includat formaliter genus, vel non? Si non, habemus intentum, & illam assignamus pro differentia. Si includat: ergo datur processus in infinitum. Ne ergo admittamus prædicta absurda, dicendum est, genus non esse de conceptu differentiarum.

12. Dices: definitio substantiæ, per, *ens per se*, non est inutilis & nugatoria: & tamen ly *per se*, quod ponitur loco differentiæ includit essentialiter rationem entis: ergo definitio hominis per animal rationale, non est inutilis & nugatoria, etiam si rationale includat in suo conceptu animal.

Respondetur negando substãtiam posse propriè definiri: nam prima genera non admittunt differentiam; sed aliqualem declarationem; & sic obiectio non enervat efficaciã nostræ rationis.

13. Secunda pars nostræ cõclusionis probatur. Nam *rationale* v.g. (& idem dicendum est de omni differentia) pro formali, seu essentialiter, significat rationalitatem, connotando suppositum, quod illam habet; sed habens rationalitatẽ est animal: ergo rationale essẽtialiter cõnotat animal: ergo Genus extrinsecè est de cõceptu differentiarum.

14. Explicatur hæc ratio: quia Pater essentialiter connotat filiũ, filius extrinsecè est de conceptu Patris, sed rationale essentialiter cõnotat animal: ergo animal extrinsecè est de cõceptu rationalis.

§. IV.

Oppositæ sententiæ argumenta.

15. PRimum aduersariorum argumentum desumitur ex Philosoph. 7. metaph. tex. 43. vbi docet nihil referre, siue sola vltima differẽtia ponatur in definitione, siue etiã omnes superiores: & rationem reddit ex eo quod vltima includit omnes: ergo ex mẽte Philosophi differẽtia atoma includit omnes subalternas.

Respõdetur iuxta expositionẽ Angelici præceptoris in cõmẽtarijs ipsius, & Scoti in 4. dist. 11. quæst. 3. §. ad rationem: mentem Philosophi esse, eandem definitionem dari per Genus, & omnes differentias; ac per genus proximum, & vltimam differentiam; non quia vltima includat formaliter superiores; sed quia in proximo genere sunt omnes formali-

maliter inclusæ.

16. Et vt cõpletè mentem Philosophi penetres, nota; aliquando loqui in sensu identico; in quo prædicat aliquando differentiam superiorem de inferiori.

17. Secundum: inter substantiam & accidens non datur medium; & ideo entitas quæ nõ collocatur in substantiç prædicamẽto, collocanda est in aliquo accidentis prædicamento; *sed rationale* v. g. non est formaliter accidens: ergo formaliter est substãtia: ergo formaliter participat rationem generis supremi: cum substantia sit supremum prædicamenti substantiæ genus.

Respõdetur distinguendo maiorem: inter substantiam & accidens nõ datur medium; inter accidens, & substantiam trãscendentalem, seu incompletam, cõcedo maiorem: inter accidens & substantiam prædicamẽtalem, & completam, nego maiorem; & concessa minori, distinguo cõsequẽs: rationale est formaliter substantia transcendentalis, seu incompleta, concedo consequentiam, prædicamentalis, seu completa, nego consequentiam: nam substantia perfecta, ideſt generis constitutiua, nõ est quæ datur in partibus ad latus prædicamenti substantiæ; sed quæ datur in speciebus in recta linea constitutis: de quo late in metaphisica.

18. Tertium: Genus est formaliter de conceptu intrinseco speciei: ergo est etiam formaliter de conceptu intrinseco differentiæ. Probatur consequentia: de specie prædicatur differẽtia, & è cõuerso; vtiq; quia istæ propositiones sunt veræ: *homo est rationalis*; *rationale est homo*: ergo differentia & species prædicantur conuertibiliter adæquatè, & secundum æqualitatem: ergo quidquid est de conceptu speciei, est de conceptu differentiæ: nam quotiescumque adęquãtur prædicata inter se cõuertibiliter, quidquid est de conceptu vnius, est de cõceptu alterius.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ad probationem similiter concedo antecedens, & nego cõsequentiam: nã differentia & species non adæquantur in suis formalitatib⁹; excedit enim species differentiam per genus, quod essentialiter includit. Nec obstat, quod à differentia ad speciem sit legitima consequentia; & è conuerso: quia hoc solum probat differentiam, & speciem esse æquales in vniuersalitate; ita vt de quocumque prædicetur species, prædicetur etiam differentia, & è cõuerso: sicut benè valet cõsequentia, ab admiratiuo ad risibile, cõuertibiliter, etiam si admiratiuũ non sit de conceptu risibilitatis, neque è contra.

19. Quartum: huiusmodi prædicatio, *rationale est animal*, nõ est accidentalis contingens, neque accidentalis necessaria: ergo absolutè est essentialis: sed in prædica-

dicatione absolutè essentiali prædicatum est de conceptu subiecti: ergo animal est de conceptu essentiali rationalis.

Respondetur concedendo antecedens, & distinguendo consequés; est essentialis identicè, cõcedo consequentiam; formaliter, nego consequentiam: quia huiusmodi prædicatio solum est vera in sensu identico; non verò in sensu formali; quod erat necessarium vt argumẽtum euinceret aliquid contra nostram conclusionem.

20. Quintum: differentia constituens leonem, est essentialiter sensitiua; vtique quia talis differentia non extrahit leonẽ ad nouum gradum essendi; sed perficit rationem animalis in leone, intra gradum sensitiuum: ergo differẽtia attonia includit subalternam animalis constitutiuam.

Respondetur distinguendo antecedens: differentia constituens leonem est sensitiua, sensibilitate transcendentali, concedo antecedens; formali, animalis constitutiua, nego antecedens, & consequentiam: nam licet certum sit, quod differentia leonis constitutiua, non extrahit rationem animalis ad nouum gradum vitę; tamen sensitiuum, in quantum constituit animal essentialiter, nec est, nec prædicatur formaliter de rugibilitate sensitiua, leonis constitutiua: & ideo licet ea, quę spectant ad gradum sensitiuum, sensitiua dicãtur, tamen sensitiuum, in illa prædicatione, non supponit pro differentia animalis constitutiua, sed pro quodam prædicato transcendenti, quod dicitur de quocumque pertinente ad gradum sensitiuum.

21. Dices. homo in quãtum est principium proprietatum sensitiuarum, dicitur formaliter sensitiuus; sed ideo, secundum vltimam differentiam, est principium sensitiuarum proprietatum: ergo secundum vltimam differentiam est formaliter sensitiuus: ac per consequens, ratio generica sensitiuę est de conceptu vltimæ differentiæ.

Respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem: homo, secundum vltimam differentiam, producit proprietates sensitiuas, quæ dimanant à sensitiuo specifico, concedo minorem; quæ dimanant à generico constitutiuo animalis, nego minorem; & vtramque consequentiam. Nã leo, secundum vltimam differentiam, non solum est principium potentiarum sensitiuarum absolutè; sed in tali perfectione, & in tali gradu sensationis. Vnde leo, secundum rationem animalis, est principium potentiarum sensitiuarum absolutè; & in quãtum rugibilis, est principium tantæ, aut talis perfectionis, aut talium potentiarum, quæ leoni, & non alijs animalibus conueniunt.

(.˙.)

CAPVT QVARTVM.

De proprio quarto Prædicabili.

POrphirius in hoc cap. quadruplicitèr diuidit proprium.

Primò, quod solum conuenit individuis vnius speciei, sed non omnibus: vt hominem esse Logicum, esse Philosophum.

Secundo, quod conuenit omnibus individuis eiusdem speciei, sed non solis: vt esse bipedem.

Tertio, quod conuenit omnibus, & solis, sed non semper: vt canescere.

Quarto, quod conuenit omnibus, solis, & semper, vt esse risibilem.

QVÆSTIO VNICA.

An proprium quarto modo sumptum sit huius Prædicabilis substractum?

§. I.

1. NOta ex Philosopho, & ex D. Thom. primo Posteriorum cap. 4. lect. 10. hoc esse discrimen inter accidēs proprium & commune: quod in definitione accidentis proprij intrat essentia subiecti, in quo est; quia cum illa connectitur essentialiter, ratione dimanationis: At vero in definitione accidentis communis non intrat essentia subiecti, quia cum illa non connectitur, nec ab illa dimanat.

2. Ex quo colligo, cum eodem D. Thom. in 1. dist. 17. q. 2. ad secundum, accidens proprium dimanare ex natura specifica; sine ex principijs formalibus subiecti: at vero commune, non ex istis, sed ex materialibus, seu individualibus eiusdem subiecti.

§. II.

Conclusio.

3. HIs suppositis, resolutorie dico, proprium in quarta acceptione acceptum, solum esse denominabile à secunda intētione quarti prædicabilis.

Est communis; & constat ex Porphirio, in ho capite; vbi affirmat Porphirius, *in quarta acceptione, esse maximè proprium; in alijs verò solum secundum quid*: ergo ex mente Porphirij, secunda intentio huius prædicabilis, (quæ solum propriè, in proprio propriè accepto debet fundari) solum fundatur in quarta proprij acceptione.

4. Ratione probatur. Subiectū simpliciter denominabile à secūda intentione quarti Prædicabilis, est proprium, essentialiter, & simpliciter cōdistinctum ab accidenti communi; sed solùm proprium, in quarta acceptione acceptum, est simpliciter & essentialiter tale; cùm solum in huius definitione intret essentia subiecti, vt radix ipsius: ergo solum proprium

prium in quarta acceptione, est subiectum denominabile ab intentione secunda quarti Prædicabilis.

5. Dices: ex eo in definitione prorij quarto modo intrat essentia subiecti, quia connectitur cum illa, connexione dimanationis; sed proprium primo modo dimanat ab essentia, in qua est. Cùm homo in quãtum rationalis sit radix inclinationis & appetitus, in illo, ad omnes scientias reperti; cum ipse, in quantum talis scire desideret; ergo in prima acceptione est ab intẽtione secunda quarti Prędicabilis denominabile.

Respondetur concedendo maiorem, & distinguendò minorem: ad probationem inclusam, distinguo antecedens: homo, vt rationalis, est radix inclinationis generalis, qua scire desiderat; concedo antecedens; inclinationis particularis, qua aliqui homines potius inclinãtur ad vnam scientiam; quam ad aliam, nego antecedens, & consequentiam: nam proprium acceptum pro inclinatione generali ad omnes sciẽtias, non constituit primam, sed quartam proprij acceptionẽ; licet acceptum pro inclinatione particulari, ad determinatam scientiam, constituat primum; quia in hoc sensu non dimanat ab essentia hominis; sed à principijs indiuiduãtibus, à quibus accidentia communia dimanant.

6. Ex quo colliges primo, proprium, secundum tres priores acceptiones, solum secundum quid esse denominabile à secunda intentione huius Prędicabilis; quia solum secundum quid, & per attributionem ad proprium quarto modo acceptum, participant rãtionem proprij.

7. Colliges secundo: diuisum à Porphirio, in hac diuisione, non esse proprium ad hoc Prædicabile spectans; nec esse, quid vniuocum, sed analogum analogia attributionis.

Ex dictis deduces proprij secundo intentionaliter sumpti definitionẽ. *Proprium est, quod prædicatur de pluribus in quale necessariò.* Solet in prędenti disputari, an proprium sit vniuersale per ordinem ad speciem, â qua dimanat; vel per ordinem ad inferiora speciei? sed hæc quæstio iam fuit capite præcedenti decisa.

§. III.

Aliqua obiectiones.

8. OBijcies primo. Propriũ, secundũ tres priores acceptiones, respicit diuerso modo inferiora, ac accidens commune; vtique quia in prima acceptione respicit inferiora, sub ratione vnius speciei; in secunda, vt quid conueniens omni indiuiduo, sed non soli speciei; in tertia, vt quid conueniens omni indiuiduo, & soli speciei, sed non semper: ergo proprium in his acceptionib⁹ nõ spectat ad quintum, sed ad quartum prædicabile.

Ref-

Respondetur distinguendo antecedens; secundum tres priores acceptiones respicit inferiora diuerso modo ac accidens commune, diuersitate accidentali, cõcedo antecedẽs, essentiali, nego antecedens, & consequentiam; nam proprium in his acceptionibus nõ dimanat à principijs specificis, sed ab indiuidualib⁹; & ideo simpliciter conuenit cum accidenti communi; licet secũdum quid ab illo distinguatur.

9. Ex quo colliges, quod proprium, in secunda acceptione, nõ spectat ad hoc prædicadile simpliciter, sed solum reductiue. Ratio est, nã hoc quod est esse bipedẽ non dimanat necessario ex principijs formalibus hominis, nec secundum rationem specificam, nec secundum genericam; non secundum illam, quia non conuenit solo homini; non secundum genericam, quia omne animal nõ est bipes: ergo ad hoc prædicabile, (ad quod solum pertinet accidens ex principijs formalibus dimanans) non spectat simpliciter proprium in secunda acceptione.

10. Replicabis. Proprium subalternum pluribus conuenit speciebus; & tamen non simpliciter spectat ad hoc prædicabile; ergo ex eo, quod bipes soli homini non cõueniat, non sequitur, quod simpliciter ad hoc prædicabile non spectet.

Respondetur negando maiorem, nam proprium subalternum solum conuenit speciei subalternæ; licet subalterna (quia materialiter genus) à pluribus participetur speciebus.

11. Obijcies secundo ex Diuo Thoma, cap. 7. de ente, & essentia, vbi ait: *omnia accidentia dimanare à substantia*; ergo non solum proprium quarto modo, sed etiã in alijs acceptionib⁹ dimanat ab illa. Respondetur ex eodem Diuo Thoma distinguendo antecedẽs, omnia dimanant à substantia, secundum principia formalia, vel materialia, concedo antecedens; secundum formalia tantum, nego antecedens, & consequẽtiam; nã accidentia communia, (vt dixi in notabili, §. 1. num. 1. huius quæstionis, ex eodem Diuo Thoma) non dimanant ex formalibus, sed ex materialibus principijs.

CAPVT V.

De accidenti quinto prædicabili.

DE prædicabili, quod est omnino extra essentiam rei, disputat Porphyrius in hoc capite: quod sic definit: *Accidens est, quod ad est, & ab est absque subiecti corruptione.* Particula & non copulatiuè, sed disiunctiuè, pro *vel*, est à Doctoribus accepta, sicque illam accipio.

QVÆSTIO I.

An accidens sit, in hac definitione, primò, vel secundo intentionaliter definitum?

§. I.

Præmittuntur aliqua.

1. PRo intelligentia quæstionis nota primò, quod hoc nomen *accidens* potest sumi primò, & secundò intentionaliter: primò intentionaliter significat prædicatum reale, quod est extra essentiam rei, in qua est: secundo intentionaliter significat concretum resultans ex accidenti primò intentionaliter sumpto, tanquam ex materia, & ex secunda intentione huius prædicabilis, tãquam ex forma: vnde hæc propositio: *albedo est accidens*, non est huius, sed primi prædicabilis reductiuè, si accidens accipiatur primò intẽtionaliter; si vero accipiatur secundo intentionaliter est quinti, sicut hæc, *animal est genus.*

2. Nota secundò, quod accidens primò intẽtionaliter sumptum est duplex; predicamentale, seu metaphysicum, & prædicabile, seu logicum: primum est, ens in alio à substantia prædicamentali distinctum, secundum est, ens existens extra conceptum subiecti, in quo est; nunc sit ens in alio; nunc sit ens per se; vt cõstat in hac propositione: *annulus est aureus*, vbi prædicatum est de prædicamẽto substantiæ; & tamen propositio ad hoc spectat prædicabile.

3. Nota tertio discrimẽ, quod versatur inter substractum quarti, & quinti prædicabilis, nã substractum quarti habet necessariã connexionem cum principijs formalibus subiecti, in quo est; & ideo essentia huius nequit adæquatè & completè intelligi, absquè substracto quarti prædicabilis; at verò substractum quinti nullam habet connexionem cum principijs formalibus subiecti, in quo est; & ideo essentia huius potest adæquatè, & completè intelligi, absque substracto quinti prædicabilis; etiam si tale accidens realiter hæreat separabile à subiecto, in quo est; vt nigredo à corvo.

4. Ex quo colliges, quod accidens proprium nõ potest, nec per intellectum, separari ab essentia subiecti, in quo est, absque aliqua essentiæ corruptione; vtique quia saltim secundum expressionẽ, secũdum quam ordinatur ad illud, corrumpitur, & destruitur; at verò accidens commune, saltim per intellectum, potest separari à subiecto, absque aliqua essentiæ corruptione; vtique quia non dimanat à principijs essentialibus, sed ab individualibus subiecti; & ideo totaliter, & adæquatè potest essentia subiecti, quoad essentiam, intelligi, absque accidentis communis intellectione. His prænotatis.

§. II.

Referuntur sententiæ.

5. CAietanus in hac re asserit, accidens commune esse à

Por-

Porphyrio secundò intentionaliter explicatum; ita vt definitio, hoc modo intellecta, faciat hunc sensum: accidens est, quod potest affirmari, vel negari, de subiecto, absq; illius corruptione, alij aliis terminis explicat Cardinalis sententiam, & docent accidens esse, quod potest inhærere, & non inherere præter subiecti corruptionem.

6. Secunda sententia affirmat accidens definiri à Porphyrio primo intentionaliter; ita vt definitio reddat hunc sensum; accidens est, quod potest inhærere, & non inhærere, præter subiecti corruptionem. Ita Toletus.

7. Tertia sententia defendit, accidens definiri à Porphyrio primo intentionaliter; ita vt definitio reddat hunc sensum; accidens est, quod potest, per intellectum, adesse, & abesse absque subiecti corruptione. Sic Ioannes à Sancto Thoma.

8. Vt ergo propriam explicem mentem, sic Ioannis à Sancto Thoma explico sententiam; accidens definitum à Porphyrio est subtractum siue reale, siue rationis, secundæ intentionis quinti prædicabilis, quod datur, nedum in entitate positiua formæ accidentalis, sed etiam in carentia ipsius formæ accidentalis, quæ accidentaliter aduenit subiecto, sicut ipsa forma. Vnde Porphyriana definitio sic debet intelligi; accidens est, quod adest, & abest, absque subiecti corruptione; idest, accidentis subtractum reperitur tam in præsentia, quam in absentia formæ accidentalis; ita vt absentia, seu carentia formæ accidentalis, possit fundare secundam intentionem huius prædicabilis; sicut ipsa præsentia; seu ipsum accidens illam fundat: iuxta hãc expositionem sit.

§. III.

Prima conclusio.

9. Accidens fuit à Porphyrio primo intentionaliter definitum.

Est in fauoré tertiæ sententiæ; & probatur, nam definitio Porphyrij propriè adaptatur subtracto secundæ intentionis huius prædicabilis, cum detur per terminos primæ intentionis; & tamen absque addito non potest secundæ intentioni adaptari, cum in illa non detur prædicabilitas de multis; ergo per hanc definitionem solum explicatur à Porphyrio huius prædicabilis subtractum.

10. Obijcies. Omnia alia prædicabilia fuerunt à Porphyrio, secundo intẽtionaliter definita: ergo & istud.

Respondetur negando antecedens, nã proprium (quod est quartum prædicabile) non fuit secundo, sed primò intentionaliter definitum, in quo sensu etiã fuit hoc prædicabile definitum.

11. Obijcies secundo. Si ly *ad esse*,

esse, & ab esse intelligitur de absentia, & præsentia per intellectum, absque dubio hoc prædicabile coincidit cum quarto, nam essentia subiecti etiá potest intelligi adæquatè, absque accidentis proprij intellection; cum proprium sit extra conceptum essentiæ; ergo hæc definitio, hoc modo intellecta, non distinguit quintũ à quarto prædicabili.

Respondetur negando sequelã. Ad probationem distinguo antecedens, proprium est extra conceptum essentiæ, formaliter in recto, concedo antecedens; terminatiuè in obliquo, nego antecedens; nam essentia totaliter, & adæquatè intellecta, dependet à propria passione, tanquam à termino suæ connexionis: quod non contingit in accidenti communi, quia non dimanat à principijs formalibus subiecti. Explicatur hoc in paternitate, quæ absque filiatione nequit intelligi; etiam si filiatio non intret in recto, & formaliter in paternitatis essentiam.

12. Replicabis. Plura dantur accidentia communia, quę dimanant à principijs materialib⁹ subiecti; sed hæc habent connexionẽ dimanationis cum subiecto, saltim secundum principia materialia; ergo adæquatè, & totaliter nequit intelligi subiectum, absq; accidentis communis intellectione.

Respondetur concedendo maiorem, & minorem, & distinguendo consequens; nequit subiectum intelligi adæquatè, absque accidentis communis intellectione, quoad principia materialia, concedo consequentiam; quoad formalia, & specifica, nego consequentiam; nam vniuersa Philosophorum schola, cum Diuo Thoma, proly *absque subiecti corruptione*, vertit, *absque essentiæ corruptione*, quæ nullatenus corrumpitur per intellectum, ex accidẽtis cõmunis absentia.

§. IV.

Secunda conclusio.

13. SVbstractum huius prædicabilis non solum datur in forma non connexa, sed etiam in carentia formæ non connexæ.

Est in fauorem nostræ explicationis, & probatur, negatio formæ non connexæ accidentaliter aduenit subiecto; ita vt possit adesse, & abesse, absque subiecti corruptione; sed propter hanc rationem forma accidentalis est substractum huius prædicabilis; ergo propter eandem, carentia formæ non connexæ debet assignari, vt substractum huius prædicabilis.

Confirmatur. Non alia ratione forma accidentalis est substractũ quinti prædicabilis, nisi quia contingenter potest de pluribus dici; sed etiam carentia formæ nõ connexæ contingenter potest de pluribus dici; ergo est quinti prædicabilis substractum.

14. Ex quo colliges discrimen, quod

quod versatur inter hoc, & alia prædicabilia; nam secunda intentio huius prædicabilis fundatur in forma accidentali, & in carentia huius formæ; at verò secunda intentio aliorum prædicabilium non fundatur in carentia rei positiuæ, cui conuenit secunda intentio; vtique quia negatio generis, nec est genus, nec potest esse genus inferioris positiui, de quo genus positiuum verificetur; at verò carentia formæ non connexæ accidentaliter potest aduenire inferiori, cui conuenit forma accidentalis.

15. Dices. Nullum prædicabile constituitur in suo esse formali per negationem, idest, per negari de subiecto, sed solum per dici, & affirmari de illo; cum vniuersale sit, quod de multis dicitur; ergo nec hoc vniuersale cõstituitur per carentiam formę accidẽtalis, media qua prædicatum negatur de subiecto.

Respondetur concedendo maiorem, & minorem, & negando consequentiam; nam ipsa carentia formæ, media secunda intentione, dicitur de subiecto nõ per propositionem affirmatiuam, sed negatiuam.

16. Replicabis. Hæc propositio *homo nõ est lapis*, quia negatiua est, non spectat ad hoc prædicabile; ergo nec ista: *homo non est albus*, cũ etiam sit negatiua.

Respondetur negando causalem, nam ratio, quare prima non spectat ad hoc prædicabile, non est, quia negatiua; sed quia prædicatum primæ, vt subiecto repugnans, non conuenit ei cum indifferentia, & cõtingentia; at verò prædicatum secundæ cum indifferentia, & contingentia conuenit subiecto, & sic valet esse substractum huius prædicabilis.

§. V.

Obijciuntur aliqua.

17. OBijcies primo. Istæ propositiones *homo est mortuus*; *domus est combusta*, pertinent ad hoc prædicabile, & tamẽ formæ accidentales, quæ se habent ex parte prædicati, nõ possunt ad esse absque subiecti corruptione; ergo accidens non est, quod potest adesse, & abesse absque subiecti corruptione.

Respondetur cum Caietano prædictas propositiones non pertinere propriè ad hoc prædicabile, quia prædicatum non est, quid conueniens subiecto, sed quid illi repugnans: non aliter ac irrationalitas repugnat homini; attamẽ prædictæ propositiones, ratione ampliationis, possunt dici veræ, & huius prædicabilis; ita vt faciãt hunc sensum: *domus, quæ fuit, est nunc combusta*: idemque dicendum est de homine mortuo.

18. Obijcies secundo. Anima rationalis, & quælibet alia forma, potest adesse, & abesse absq; materiæ corruptione; & tamen non est accidens prædicabile ratione mate-

materiæ, cum hæc propositio sit falsa; *materia est forma*: ergo definitio Porphyrij conuenit alijs à definito.

Respondetur primo cum Sancto Doctore 2. contra Gentes, cap. 81. quod subiectum (de quo loquitur Porphyrius) debet esse completum, habens esse simpliciter, quod non habet materia prima, nisi per formam substantialem.

Secundò, cum pluribus Thomistis, negando maiorem, nam licet maneat eadem materia, negatiuè, non tamen positiuè.

Tertio respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem; non est accidens prædicabile, in abstracto, concedo minorem; in concreto, nego minorem, & consequentiam, nam hæc propositio est vera, & quinti prædicabilis: *materia est animata.*

19. Obijcies tertio. Existẽtia est accidens prædicàbile; & tamẽ non potest abesse absque subiecti corruptione; ergo male definitur accidens per hoc, quod possit ad esse, & abesse absque subiecti corruptione.

Respondetur distinguendo minorem, non potest abesse absque subiecti corruptione, realiter, cõcedo minorem; per intellectum, nego minorem, & consequẽtiam, nam existentia (vt constabit ex 1. physicorum, disp. 3. q. 2. §. 3. n. 8.) est extra conceptum essentiæ creatæ, tàm in recto, quã in obliquo, cum hæc nõ à principijs formalibus, sed individualibus dimanet.

20. Pro complemento inquires primo: quomodo accidens definiatur secundo intentionaliter?

Dico communiter sic definiri: *Accidens est, quod dicitur de pluribus in quale contingenter.*

21. Dices. Accidens essentialiter est vniuersale, & prædicabile; ergo non prædicatur contingenter.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam ly *essentialiter, & cõtingenter* nõ est per ordinem ad idẽ; sed per ordinem ad diuersa; dicitur enim vniuersale *essentialiter*, quatenus est de pluribus prædicabile; & *contingenter*, quatenus id, quod est de pluribus prædicabile, est extra essentiam subiecti, de quo prædicatur; nulla ergo datur oppositio in hoc, quod id quod est extra essentiam subiecti, sit essentialiter de pluribus prædicabile: non aliter ac voluntati essentialiter conuenit contingenter operari.

22. Inquires secundo. An hæc propositio: *Deus est homo*, sit huius prædicabilis?

Vt respondeas nota, quod hoc nomen *Deus* ex se supponit pro supposito deitatem habente; attamen licet in hac propositione *Deus est homo* supponat pro supposito Verbi Diuini, adhùc potest dupliciter cõsiderari; primò, quatenus est terminus naturę diuinę; secundo, quatenus est terminus natu-

naturæ humanæ.

Hoc suppositio dico: si in hac propositione *Deus est homo* ly *Deus* sumitur, pro vt supponit pro supposito habente naturam diuinã, propositio est huius prædicabilis, quia natura humana accidentaliter aduenit supposito diuino; at vero si sumitur prout supponit pro supposito habente naturam humanam, propositio est in materia necessaria, & non est huius prædicabilis, quia de persona verè, & propriè humana, per se prædicatur, quod sit homo: in quo sensu D. Tho. 3. p. q. 16. ar. 1. docet has prædicationes: *Deus est homo: verbum est homo:* non esse in materia remota, nec contingenti, sed necessaria, & naturali.

QVÆSTIO II.

Respectu quorum inferiorum sit accidens quintum prædicabile?

§. I.

Referuntur sententiæ, & deciditur dubium.

1. PRima in hac re sententia asserit, accidens v. g. *album* esse quintum prædicabile respectu suorum singularium; scilicet respectu huius, & illius albi. Ita aliqui antiqui Philosophi.

2. Secunda, (quam pro cõclusione amplector) docet, accidens esse quintum prædicabile per ordinem ad subiecta.

Est cõmunis: & probatur. Accidens, vt quintum prædicabile, prædicatur in quale contingẽter; sed solum respectu subiectorum hoc modo prædicatur: ergo solũ respectu subiectorum exercet suã vniuersalitatẽ. Minor probatur: album v. g. solum aduenit accidẽtaliter Petro, non verò huic, vel illi albo: vnde hæc propositio, *Petrus est albus*, est huius prædicabilis; non vero hæc; *hoc album est album*, quæ est secundi prædicabilis; ergo accidens solum respectu subiectorum prædicatur in quale contingenter; ergo solum respectu illorum quintum constituit prædicabile.

§. II.

Obiectiones, quæ resolutioni obstant.

3. DIces primò. Accidẽs (sicut quodlibet aliud prædicabile) cõstituitur in esse vniuersalis per ordinẽ ad inferiora, à quib' abstrahit abstractione totali; sed accidens v. g. album non abstrahit ab inferioribus secundum se; cum secundum se non includant albedinem; ergo ab illis, vt alba sunt. Hæc consequentia probatur, album abstrahit ab inferioribus, quatenus sunt similia; sed solum vt alba sunt similia; ergo ab illis quatenus alba abstrahit; ergo de illis vt sic prædicatur.

Respondetur concedendo maiorem,

iorem, & negando consequentiã: ad probationem nego maiorem, loquendo de abstractione requisita ad substractum huius prædicabilis, quod solum abstrahit ab inferioribus, quæ similia sunt; non vero quia similia sunt; hoc est, ab inferioribus, quæ specificatiuè, & materialiter sunt similia: aliàs propositio non spectaret ad hoc, sed ad secũdũ prædicabile. Quod patet à simili, in substracto quarti prædicabilis, in quo idem argumentum valet formari.

4. Dices secundo. Prædicatio essentialiter exposcit idẽtitatem; sedhæc non datur inter subiectũ, quod est in prædicamento substãtiæ, & inter album, quod est in prædicamẽto qualitatis; ergo album non prędicatur de subiectis.

Respondetur distinguẽdo maiorem, omnis prædicatio exposcit identitatem, intrinsecam, vel essentialem tantum, nego maiorem; intrinsecam, vel materialẽ, concedo maiorem; & nego minorem intellectam de idẽtitate materiali, nam hæc datur inter albũ, & subiectum, in quo est, nam licet ratione formæ non dicat identitatem cum subiecto; ratione tamen subiecti concretum album illam importat. Constat hæc doctrina ex Diuo Tho. 1.p.q.13.ar. 12. vbi ait: *quod in prædicationibus accidentalibus, prædicatum, & subiectum, sunt idem supposito.*

5. Dices tertio. Aristoteles, in ante prædicamentis, excluſit denominatiua ab vniuocis; sed album, in ordine ab subiectum, est denominatiuum; ergo nequit vniuoce dici respectu subiectorum; quod est necessarium ad rationem prædicabilis.

Respondetur concedendo maiorem, & negãdo minorem; nam denominatiuum formaliter, vt tale non est album in ordine ad subiectum, sed est subiectum in ordine ad albedinem denominatam: in qua acceptione ait Philosophus distingui ab vniuoco; at verò in ordine ad subiectum habet vniuocationem, cum ab omnibus æqualiter participetur.

DIS-

DISPVTATIO QVINTA DE POSTPRAEDICABILIBVS.

POST praedicabilium disputationem, (quæ quasi introductio ad praedicamenta Aristotelis intelligenda iudicatur) disputationem postpraedicabilium aggredimur: ne dum vt exactam praedicabilium habeas notitiam: sed vt facilem ad praedicamenta inuenias viam.

QVÆSTIO I.

An vniuersale sit genus ad quinque praedicabilia?

§. I.

Lux tituli.

1. PRo intelligentia quæstionis nota, quod vniuersale est cõcretum dicẽs de materiali naturã, & de formali secundam intẽtionẽ vniuersalitatis, qua natura est apta ad essendum in multis. In præsenti autem, natura ab vniuersalitate denominata se habet quasi non esset ad aliud concretum, quod resultat ex secunda intentione vniuersalitatis, tanquam ex materia, & ex secunda intentione generis, tãquam ex forma. Quod ergo in presenti inquirimus, est: an secunda intentio vniuersalitatis possit subire secundam intentionem generis, vel solum secundam intentionem analogi.

§. II.

Resolutio quæstionis.

2. CVM omnibus tenendum est, vniuersale esse genus

ad quinque prædicabilia. Probatur primo ex D. Thom. 1. contra Gentes, cap. 33. vbi ait: *quod omne, quod vniuocè prædicatur, vel est genus, vel species, vel differentia, vel proprium, vel accidens*: ergo, ex mẽte D. Thom. omnia prædicabilia conueniunt vniuoce in hoc, quod est de pluribus prædicari; ergo in vniuersali; quod idem est.

3. Secundò probatur ratione. Ratio vniuoca, per modum generis, est illa, quæ in quid incompletè, & cum æqualitate participatur à pluribus specie differentibus; sed hoc modo se habet vniuersale, in ordine ad quinque prædicabilia; cum vnum non participet rationem vniuersalis cum ordine ad aliud, sed omnia illam æqualiter participant; ergo vniuersale est genus ad quinq; prædicabilia.

4. Dices. Vniuersalitas perfectiori modo participatur à primo prædicabili, quam à secundo; ergo inæqualiter participatur.

Respondetur distinguendo antecedens, perfectiori modo participatur, quia vniuersalitas ex se petat cum inæqualitate, & imperfectione descendere ad quinque prædicabilia, nego antecedens; quia differentia primi prædicabilis ex se includit maiorem perfectionem, concedo antecedens, & nego consequentiam; nã inæqualitas orta ex differentijs non tollit vniuocationem; vt cõstat in animali, quod est vniuocum, etiamsi imperfectiori modo participetur ab irrationali; quia hæc imperfectio non dimanat ex ratione superiori, sed ex differentijs specificis illam participantibus.

§. III.

Aliquæ obiectiones.

5. OBijcies primo. Si vniuersale esset genus ad quinq; prædicabilia, esset genus ad se ipsum, vt habet cum alijs generibus rationem individui generis vt sic, consequens est falsum; ergo & antecedens. Sequela probatur, si vniuersale esset genus ad quinque prædicabilia; esset genus ad primum prædicabile; sed vniuersale, quod est genus continetur sub primo prædicabili; ergo est genus ad seipsum; ac per consequens superius, & inferius respectu sui.

6. Vt respondeas, nota nullum dari inconueniens in hoc, quod vna secunda intentio se habeat vt subtractum alterius: ita vt ratione vnius sit concretum resultans superius, & ratione alterius sit inferius. Hãc doctrinã ab omnibus admissam expressè inuenies in vniuersali, quod per secundam intentionem generis est denominatiuè superius seipso, & vt induit cum alijs generibus secundam intentionem individui respectu generis, vt sic, est denominatiuè inferius.

7. Quo supposito ad obiectionẽ res-

respondetur, distinguendo antecedens, esset genus ad seipsum *vt quod*, & denominatiuè, & vt alia intentione informatum, concedo antecedens: *vt quo*, & essentialiter, & vt secunda intentione genereitatis indutum, nego antecedens? Ad probationem distinguo minorem; esset genus ad primum prædicabile, vt primũ prędicabile seruat, in ordine ad species, rationẽ generis, nego maiorem, vt induit cum alijs prædicabilibus, secundam intentionem speciei, concedo maiorem, & distinguo minorem, vniuersale, quod est genus continetur sub genere vt sic, vt induit secundam intentionem indiuidui, concedo minorem, vt genus est, nego minorem; & eodem modo distinguo consequens, iuxta doctrinam notabilis præcedentis.

8. Ex quo colliges has prædicationes esse essentiales: *genus est vniuersale*: *genereitas est vniuersalitas*; has verò accidentales: *vniuersale est genus*: *vniuersale est indiuiduum generis vt sic*: vnde sicut animal, vt genus, est superius ad proprias species, & per secundam intentionem indiuidui est inferius ad genus vt sic; sic vniuersale, vt genus, est superius ad quinque prædicabilia, & vt indiuiduum est inferius ad genus vt sic.

9. Replicabis primò. Vniuersale est denominatiuè genus; ergo est essentialiter, & accidentaliter vniuersale; essentialiter, quia ex se est vniuersale; denominatiuè, quia ratio generis illud accidentaliter denominans est essentialiter vniuersalitas.

Respondent Thomistæ concedendo totum, in quo nullum dicunt dari inconueniens.

10. Sed non solum inuenio incõueniens; sed repugnantiam, nam implicatorium est, quod id, quod essentialiter ẽst album, sit accidẽtaliter album; idemque dicẽdum est de omnibus alijs prædicatis; ergo implicatorium etiam est, quod id, quod est essentialiter vniuersale, possit accidentaliter vniuersale denominari.

11. Et ideo specialiter respondeo distinguendo antecedens; vniuersale denominatiuè est genus, ita vt forma aduenies denominet, tam secundum rationem genericam, quam specificã, nego antecedens; ita vt denominet secundum rationem specificã, concedo antecedens, & nego cõsequentiam; non enim datur implicatio in hoc, quod eadem forma, propter incapacitatem subiecti, non tribuat omnes effectus, quos potest præstare; vt constat in anima rationali in statu existente; sic non erit implicatio aliqua in hoc, quod genereitas, tribuat vniuersalitati hoc, quod est respicere plura specie differentia, absq; eo, quod propter incapacitatẽ subiecti, ei tribuat hoc, quod est plura respicere. Ratio huius est, nam secundum Philosophum: *imus existens prohibet extraneũ*; ergo vniuersalitas essentialis prohibet

hibet vniuersalitatem extraneam generis.

12. Replicabis secundò. Vniuersale, vt denominatiue genus, est superius ad omnes species; sed vt denominatiuè genus est inferius primo prædicabili; ergo secundũ eandem rationem est superius, & inferius.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem; nam vt genus non est inferius *vt quo*, sed *vt quod* primo prædicabili, per secundã intẽtionẽ indiuidui, fundatã in secunda intentione generis: in quo nullam inuenio repugnantiam; nã in superioritate prædicabilium etiam fundatur inferioritas ad vniuersale media subijcibilitate specifica.

13. Obijcies secundò. Decem prædicamenta sunt suprema genera; ita vt supra illa non detur aliud genus; sed vniuersale est decem prædicamentis superius; ergo non est genus; sed superius analogum.

Respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem; non datur supra illa aliud genus reale, concedo minorem; rationis, nego minorem, & consequentiam; nam supra decem prædicamenta potest dari genus rationis, quod de illis prædicetur.

QVÆSTIO II.

Et vltima: Quomodo prædicabilia reducantur ad actum?

§. I.

Notantur aliqua.

1. PRoprius prædicabilitatis actus est actualis prædicatio, quæ diuiditur in identicam, disparatam, & mediam. Prima est illa, in qua prędicatur idẽ de seipso, secundum eandem rationẽ; ita vt prædicatũ, ex parte conceptus obiectiui, explicitè de formali dicat id, quod explicitè dicit subiectum; nunc hoc fit medio eodem nomine, nunc medijs nominibus synonomis explicatum; vt constat in his propositionibus: *Petrus est Petrus: gladius est ensis.*

Secunda est illa, in qua prædicatum repugnat subiecto; vt si dicas: homo est lapis.

Tertia, scilicet, media, seu formalis (vt appellatur à neotericis) est illa, in qua licet prędicatũ, per rationẽ, fit totum subiectum; tamẽ explicitè exprimit aliquid, quod explicitè non exprimitur à subiecto: vnde saltim distinctione expressiua distinguitur ab illo; vt si dicas: *homo est animal.*

Rursus prædicatio formalis est duplex: directa, & indirecta: prima datur, quando ex parte prædicati, (quod est subiecti forma) ponitur id, quod habet rationem formæ: secunda, quando ex parte prædicati ponitur id, quod habet rationem materiæ.

Sed inquires: quę prædicata habeant rationem materiæ, & quæ rationem formæ?

Res-

Respondeo prædicata vniuersalia, & superiora exercere munus formæ; inferiora verò, & subijcibilia munus materiæ. Ratio est, nam prædicatum superius cõtrahitur ab inferiori; sed id, quod contrahit, exercet munus materiæ, & contractum munus formæ; ergo prædicatum superius exercet munus formæ; inferius vero munus materiæ.

3. Nota secundò, hanc prædicationem: *actio est passio*, solum esse identicam, quia solum facit hunc sensum verum: *entitas passionis, est entitas actionis*: quod idē est ac dicere: id, quod identice, & materialiter, ponitur ex parte prædicati; & id quod identice, & materialiter ponitur ex parte subiecti est idem; si verò ex parte prædicati reduplices munus proprium passionis; tunc talis prædicatio est formalis, sed falsa: sicut ista: *homo est lapis*. Ratio huius est, nam passio, vt passio, implicitè non cõtinet munus actionis; quod est necessarium ad veritatem propositionis formalis; vt constat ex dictis iuxta doctrinam traditam, disp. 4. q. 3. concluſ. 1. §. 4. n. 2. & 21.

4. Nota tertio abstracta, siue substantialia, siue accidentalia, non prædicari de suis concretis: nec concreta, siuè substantialia, siue accidētalia de abstractis propijs; bene tamen de alienis. Ratio secundi est: nam omnis forma accidentalis prædicatur in concreto de subiecto denominato, sed aliquando abstracta denominantur à formis accidentalibus extraneis; ergo in concreto possunt prędicari de ipsis; vt si dicas: *albedo est creata*: *albedo est similis*. Ratio primi constat ex D. Tho. cap. 3. de ente, & essentia, vbi ait: *partem non posse prædicari de toto*; *nec totum de parte*; ergo in opinione D. Tho. nec concretum de abstracto, nec abstractum de concreto potest prædicari; cum abstractum sit pars concreti, & concretum sit totum respectu abstracti, quod se habet vt pars.

5. Excipe ab hac suppositione generali concreta transcendētalia, & simplicissima, quæ ratione summæ identitatis, & vnitatis, possunt prædicari de suis abstractis; & è contra: vnde istæ propositiones sunt veræ: *Deus est deitas*; *Deitas est Deus*: *ens est entitas*; *entitas est ens*: quia in concreto non includitur aliquid, quod in abstracto non sit inclusum.

Hanc doctrinam expressè docuit Doctor Anselm. in Monologio, cap. 15. vbi sic fatur: *Quoniam enim homo non potest esse iustitia, iustitiam autem habere potest; nõ enim intelligitur iustus homo existens iustitia; sed habens iustitiam: quoniã igitur summa natura non proprie dicitur iustitia, quia habet iustitiam; sed existit iustitia: cum dicitur iustitia, propriè intelligitur existens iustitia; non autem habens iustitiam: quare si cùm dicitur existens iustitia, non dicitur qualis est, sed quid est, consequitur, vt cum dicitur iustitia, non dica-*

tur, qualis sit; sed quid sit. Quare de illa suprema essentia idem est dicere: quia est iustitia, & quia est existens iustitia: & cum dicitur est existens iustitia, non est aliud, quam est iustitia, nihil differt in illa, siue dicatur est iustitia, siue est iusta. Quapropter cum quæritur de illâ: quid est? non minus congruè respondetur iusta, quam iustitia.

6. Dices primò. Hæc prædicatio: *quantitas est quanta*, est vera, & formalis; sed in illa prædicatur concretum de abstracto proprio; ergo nedum de alieno, sed de proprio potest prædicari.

Respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem; concretum proprium prædicatur de abstracto; concretum, quod non dicit nisi expressiuè pluſquã abstractum, concedo minorem; concretum, quod dicit pluſquam abstractum, nego minorem, & consequentiam; nam in hac prædicatione ly *quanta* ex parte prædicati posita, non supponit pro subiecto, vel substantia habente quantitatem, cum vt sic, sit propositio falsa, sicut ista: *albedo est album*: sed supponit pro ipsa forma; quatenus nostro modo intelligendi respicit in se effectum, quẽ tribuit substantiæ.

7. Dices secundo. Hæc prædicatio: *album est dulce*, est vera, & formalis, propter identitatẽ suppositi: ergo hæc: *homo est humanitas*, propter identitatem formæ, quæ maior est identitate suppositi.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ad probationem concedo antecedens; & nego consequentiam, nam identitas formæ, cum distinctione suppositi, non sufficit, vt prædicata essentialia formaliter prædicentur. Ratio est, nam humanitas abstrahit à supposito per modum partis, & non per modum totius, quia nullatenus personalitas ab humanitate realiter distincta valet ab ipsa cõtineri humanitate; at vero identitas suppositi sufficit ad veritatem propositionis quinti prædicabilis; vt constat ex D. Thom. 1.p.q.13.a.12.

8. Nota quarto concreta tam substantialia, quam accidentalia, prædicari formaliter de suis concretis; vt homo est animal; Petrus est albus; album est dulce: homo est Deus, & è contra. Ratio huius est, nam in his prædicationibus reperiuntur omnes conditiones, ad veram prædicationẽ formalem requisitæ.

9. His suppositis, quod in hac re est difficultatis, & quod valdè à Doctoribus agitatur, est; an abstracta siue substantialia, siue accidentalia prædicẽtur de suis abstractis siue substantialibus, siue accidentalibus in sensu formali? nam in sensu identico, & materiali, in confesso est apud omnes prædicari de suis abstractis.

10. In hoc certamine non inquirimus de formis realiter distinctis; etiam si in eodem subiecto

reci-

recipiantur; nam hæ in abstracto nec identicè possunt prædicari: vnde hæ propositiones sunt falsę: *humanitas est risibilitas*; *albedo est dulcedo*; *humanitas est deitas*; quamuis in concreto sint veræ, propter suppositi identitatem. Pro cuius resolutione sit.

§. II.

Conclusio.

11. ABstracta generica, & differentialia, siue accidentalia, siue substantialia, formaliter, & vere prædicantur de abstractis specificis.

Hæc conclusio quoad primam partem non indiget probatione; nam istæ prædicationes in omniũ opinione sunt veræ, & formales: *albedo est color*; *scientia est habitus*: ergo abstracta generica accidentalia formaliter prædicantur de abstractis specificis.

12. Quoad secundam cõstat ex prima, & amplius probatur; nam ex eo animal prædicatur de homine, & equo, quia ab illis potest abstrahi abstractione totali, sed etiam animalitas, & rationalitas possunt abstrahi abstractione totali ab speciebus, in abstracto cõsideratis: tũ quia abstractum solum à suo concreto abstrahit abstractione formali, seu partiali: tũ quia auimal, tã in abstracto, quã in concreto est de essentia rationis specificæ; ergo, vt sic, possunt formæ substantiales genericæ, & differentiales, in abstracto, sicut in concreto, formaliter prædicari de suis abstractis specificis.

Confirmatur: hæc propositio *hæc humanitas est humanitas*, in opinione contrariorum est vera; ergo etiam hæc: *humanitas, est animalitas*; cum omne id, quod potest dari in conceptu specifico, respectu individuorum, possit dari etiã in generico respectu specierum.

13. Inquires primo, an differẽtia in abstracto possit prædicari de natura specifica in abstracto considerata?

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, nam eadem modo, (proportione seruata) se habet forma differentialis in abstracto, respectu specificæ, ac generica; ergo si hęc verè prędicatur de abstracto specifico, etiam & illa: vnde sicut hęc propositio: *humanitas est animalitas*, est legitima: sic hæc; *humanitas est rationalitas*.

14. Inquires secundo. An forma generica in abstracto possit formaliter, & verè prædicari de differentia, & è contra?

Respondeo regulariter loquẽdo non prædicari; licet aliquãdo possit prædicari. Ratio primi est, nam ratio generica, nec in abstracto, nec in concreto est de essentia rationis differentialis, cum secundum Philosophum, *genus sit extra conceptum differentiarum*; ergo regulariter loquendo semper accipitur cum exclusione rationis differentialis.

Constat hoc ex Diuo Thom. opusc.

opusc. 7. super Boetium.

Ratio secundi est, nam intellectus potest concipere rationem genericam, quæ se habet ex parte prædicati, tam in concreto, quàm in abstracto, vt includit differentialem, & similiter differentialem ex parte subiecti positam, vt includit genericam; ergo vt sic optimè, & formaliter possunt prædicari de differentiali. Cōstat hoc in hoc syllogismo: *humanitas est animalitas; humanitas est rationalitas; ergo rationalitas est animalitas*, qui est verus, & formalis; & tamē non arguitur in illo ab idētica ad formalem, cum vtraquè præmissa sit vera, & formalis; ergo cōclusio etiam est vera in sensu formali; sed non potest esse vera, si termini non accipiantur modo à nobis in ratione assignato; ergo, vt sic, valent ad inuicem prædicari prædicatione formali.

§. III.

Argumenta contra conclusionem.

15. PRO Scoto, (qui contrariam tenet sententiam) in surges primo. Animalitas solum abstrahitur ab humanitate abstractione formali; ergo non potest vt sic de illa prædicari.

Respondetur negando antecedens, nam abstractum solùm abstrahit à suo concreto abstractione formali: non vero ab abstracto inferiori, de cuius essentia est.

16. Secundò. Hæc prædicatio, *Petreitas est humanitas*, non debet admitti: ergo nec ista: *humanitas est animalitas*. Respōdetur negando antecedens, si Petreitas, quæ datur ex parte subiecti, significet humanitatem per singularitatem determinatam.

17. Tertio. Hic syllogismus est falsus: *humanitas est id, quo homo est homo; sed humanitas est animalitas; ergo animalitas est id, quo homo est homo*, sed maior huius syllogismi est vera; ergo falsitas consequentis solum potest oriri ex minoris falsitate; ergo abstractum genericum formaliter non prædicatur de specifico.

Sed hic syllogismus, in primis nihil probat, nam ex illa non solum sequitur, quod in abstracto sit consequentia falsa; sed etiam quòd in cōcreto, cum similis possit in concreto hoc modo efformari: *homo est suppositum habēs humanitatem, sed homo est animal; ergo animal est suppositum habens humanitatem.*

Vnde ad argumentum respōdetur negando consequentiam, quia arguitur à sensu reduplicatiuo, ad specificatiuum; nam in maiori proponitur formaliter, & expressè ratio formalis, qua homo est homo, scilicet humanitas, quæ in minori solum proponitur specificatiuè, & vt implicitè contēta sub animalitate expressè significata; & ideo consequens est falsum, quia vult inferre illud in sensu reduplicatiuo, & formali, in quo

quo nequit inferri propter rationem dictam in parua summa lib. 2. cap. 20. num. 3. & pluribus alijs in locis eiusdem libri, & lib. 3. etiam in non paucis; nam consequentia sequitur debiliorem partem; & sic debet sequi sensum specificatiuum, & non reduplicatiuum, in quo est falsa.

18. Quarto. Vt vera sit differentiæ prædicatio, opus est, quod prædicetur *in quale*, sed differentia in abstracto non significatur *in quale*; vtique quia, (vt constat ex summulis) prædicatur per modum per se stantis, & non per modum alteri adiacentis, quod est idem, ac *in quid*; ergo differentia in abstracto non prędicatur vetè, & formaliter de abstracto specifico.

19. Hoc est contrariæ sententiæ fundamentum, ad quod respondet Magister Lerma rationalitatem in abstracto prædicari *in quale*: etiam si significetur per modum per se stantis, & non per modum alteri adiacentis: nam licet omne, quod significatur per modum alteri adiacentis, prędicetur *in quale*: non tamen omne id, quod significatur per modum per se stãtis, significatur *in quid* tantum, si aliàs significetur per modum formæ.

20. Sed (salua tanti viri pace) solutio terminos includit repugnantes, nam res, quæ significatur per modum per se stantis, est opposita rei per modum alteri adiacentis, vel *in quale* significatæ: ergo implicatorium est, quod significetur per modum per se stantis ex modo significandi, & quod in eodẽ sensu significetur per modam alteri adiacentis, seu *in quale*. Ignoro autẽ quid sit *in quale* significare, nisi per modum alteri adiacentis significare.

21. Hac ergo solutione relicta respondetur negando maiorem, nam vt id, quod reductiuè pertinet ad aliquod prædicabile, verè, & proprie prædicetur, non est opus, quod seruet omne id, quod est proprium rei directè pertinentis; sed quod in aliquo conueniat cum illa, differentia ergo in abstracto considerata (in qua acceptione indirectè spectat ad tertiũ prædicabile) conuenit cum differentia in cõcreto, (in qua acceptione directè spectat ad illud) in hoc, quod est esse formam speciei, per quam ab alijs rebus differt. Constat hæc solutio ex D. Tho. in 1. dist. 23. q. 1. ar. 1. in corp. vbi ait: *quod humanitas nec est genus, nec species*; ergo (ex mente D. Thomæ) abstracta propriè non spectant ad prædicabilia: in prædicationibus ergo distinguitur animalitas à rationalitate in hoc, quod animalitas prædicatur vt aliquid perfectibile: at vero rationalitas vt aliquid perficiens, non perfectione qualificatiua, sed substantiali.

22. Dices. Natura generica est extra conceptum differentiæ; ergo nedum in abstracto, sed nec in cõcreto potest de ista prædicari.

23. Dices. Natura generica est extra conceptum differentiæ; ergo nedum in abstracto, sed nec in concreto potest de ista prædicari.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequētiam, nam optimè stat, quod natura generica non sit de conceptū essentiali differētiæ; hoc est, quod nō imbibatur in illa, & quod aliàs implicitè, & in potentia, illām includat: quod sufficit ad prædicationem: vt constat ex dictis, disp. 4. quæst. 3. per totam.

ORDO ET SERIES

LIBRORVM, DISPVTATIONVM, quæstionum, ac capitum, Primi Tomi Cursus vtriusq; Philosophiæ, tám Rationalis, quàm Naturalis.

LIBER I.

Summularum.

CAP. I. De termino in communi, pag. 1.
Cap. 2. An voces extra propositionem munus termini exerceant? pag. 4.
Cap. 3. de signo, & illius speciebus, pag. 6.
Cap. 4. de diuisione termini in mentalem, vocalem, & scriptum, pag. 9.
Cap. 5. de diuisione termini mentalis, pag. 9.
Cap. 6. de diuisione termini vocalis in cathegorematicum, & syncathegorematicum, p. 10.
Cap. 7. De termino complexo, & incomplexo, pag. 11.
Cap. 8 de varijs diuisionibus termini communis, & singularis, pag. 11.
Cap. 9. De diuisione termini in abstractum, concretum, absolutũ, & cõnotatiuum. p. 10.
Cap. 10. de termino finito, & infinito, pag. 13,
Cap. 11. de termino primæ, & secundæ intentionis, pag. 13.
Cap. 12. de comparatione terminorum inter se, pag. 13.
Cap. 13. de nomine, pag. 14.
Cap. 14. de verbo, pag. 14.
Cap. 15. de suppositione, pag. 16.
Cap. 16. de resolutione terminorum, pag. 18.
Cap. 17. de relatiuis, pag. 20.
Cap. 18 de Ampliatione, Restrictione, Alienatione, Diminutione, & Remotione. p. 21.
Cap. 19. De appellatione, p. 21.

LIBER II.

CAP. I. De oratione. pag. 23.
C. 2. de modo sciendi, p. 24.
Cap. 3. de definitione, pag. 24.
Cap. 4. de diuisione. p. 25.
Cap. 5. de argumentatione, p. 26

Cap.

Cap.6. de propositione,p.26.
Cap.7.de oppositione,p.27.
Cap.8. de Aequippollentia propositionum,p.28.
Cap.9.de conuersione propositionum,p.29.
Cap.10.de modalibus,p.29.
C.11.de oppositione,æquippollentia,& conuersione propositionum modalium, p.30.
Cap.12.de hyppoteticis propopositionibus,p.32.
Cap. 13. de veritate, & falsitate vniuscuiusque propositionis hyppoteticæ,p.33.
Cap.14.de possibilitate, impossibilitate,contingentia,& necessitate propositionis hyppoteticæ copulatiuæ, & hyppoteticæ disiunctiuæ,pag.34
Cap. 15.pro modo arguendi in hyppoteticis,p.35.
Cap.16. de modo arguendi ex vna hyppotetica ad aliã, p.35.
Cap.17.de exponibilibus, p.35.
Cap.18. de expositione propositionum exclusiuarum, p 36.
Cap.19. de expositione exceptiuarum,p.37.
Cap.20.de expositione reduplicatiuarum,p.38.

LIBER III.

CAp.I.de syllogismo,pag.39.
Cap.2. de regulis requisitis ad illationis bonitatẽm. p.45.
Cap. 3. de fundamentis, in quibus fundatur infalibilitas syllogistica,p.41.
Cap. 4. de reductione ostensiua,p.41.
Cap. 5. de reductione per impossibile,p.42.
Cap. 6. de arte inueniendi medium,p.42.
Cap. 7. de syllogismo expositorio,p.43.

PARS PRIMA

Logicæ.

De Proœmialibus.

DISP. I.

QVæst.I. Vtrum ratio formalis quæ logicæ sit realis, vel rationis? p.45.
Quæst. 2. An forma artificiosa in actibus,vel in rebus reperta sit à Logica attacta tanquã obiectum primarium,& principale? p.59.
Quæst. 3. Vtrum forma rationis artificiosa sit in rebus ad tres intellectus operationes spectantibus? p.64.
Quæst 4. An Logicæ habitus sit adæquate scientificus? p. 71.

Quæst.

Quæ. 5. Vtrũ Logica sit simplex, vel composita qualitas? p. 75.
Quæst. 6. Vtrum Logica docens, & vtens realiter distinguantur? p. 84.
Quæst. 7. Vtrum Logica sit scientia practica, vel speculatiua, vel vtrumque simul? p. 88.
Quæst. 8 An Logica artificialis sit ad alias scientias simpliciter necessaria? p. 100.
Quæst, 9. An Logica nedum reductiuè, sed etiam effectiuè concurrat ad actus aliarum scientiarum? pag 111.

DISP. II.
De natura entis rationis.

QVæst. 1. An sit, & quid sit ens rationis? p. 116.
Quæst. 2. An denominatio extrinseca sit realis, vel rationis? p. 120.
Quæst 3 Vtrum efformatio entis rationis intellectui repugnet diuino? p. 124.
Quæst 4 A qua potẽtia ex creatis fiat ens rationis? p. 131.
Quæst 5. An recte diuidatur ens rationis cum fundamento in re in priuationem, negationẽ, & relationem? p. 133.

DISP. III.
De natura vniuersalis.

QVæst. I. An vniuersalia sint à parte rei à singularibus separata? p. 136.
Quæst. 2. Vtrum natura à parte rei habeat aliquam vnitatem formalem communem?
Quæst. 3. Vtrum in quolibet singulari detur à parte rei aliqua distinctio inter gradus superiores, & inferiores, & singularitatem? p. 147.
Quæst. 4. An per rationem inter gradus possit dari distinctio formalis obiectiua, & adæquata? p. 155.
Quæst 5. Per quam operationẽ, & actum fiat vniuersale logicum? p. 157.

DISP. IV.
De Prædicabilibus.
CAP. I.
De Genere.

QVæst I. Vtrum natura, vel secunda intentio generis, vel

vel vnum resultans ex illis in recto in definitione generis definiatur? p 168.

Quæst.2. Vtrum definitio generis à Porphyrio tradita sit legitima?p.174.

Quæst.3 Vtrum genus prędicetur de suis inferioribus, vt totum, vel vt pars? p.176.

CAP. II.

De Specie.

QVæst. I. An species in quãtum subijcibilis sit formaliter prædicabilis; vel an prædicabilitas specifica sit subijcibilitatis passio; vel è contra? p.184.

Quæst. 2. An naturæ de facto unico indiuiduo existenti cũ non repugnãtia ad alia repugnet de facto prędicabilitatis respectus? & an naturæ in vnico existenti indiuiduo cum repugnãtia ad alia adhuc per potentiam Dei absolutã repugnet eodem modo vniuersalitatis respectus, p.187.

Quæst.3. De natura, & proprietatibus indiuidui, p.194.

CAP. III.

De Differentia.

Quæst.I. An definitio differentię omnibus conueniat differentijs? p.197.

Quæst.2. An differentia sit vniuersalis per ordinem ad speciem quam constituit; vel per ordinem ad inferiora speciei constitutæ? p.199.

Quæst.3. Vtrum genus sit de cõceptu differentiarum? p.201.

CAP. IV.

De propio.

QVæst. vnica. An proprium quarto modo sumptum sit huius prædicabilis subStractum? p.204.

CAPVT V.

De Accidenti.

QVæst. I. An accidens sit in definitione Porphyrij primo, vel secundo intentionaliter definitum? p.205.

Quæst.2. Respectu quorum inferiorum sit accidens quintum prædicabile? p.208.

DISP. V.

De postprędicabilibus.

QVæst.I. An vniuersale sit genus ad quinque prædicabilia? pag.209.

Quæst.2. Quomodo prædicabilia reducãtur ad actum, p.210.

ELEN-

ELENCHVS COPIOSISSIMVS RERVM, AC VERBORVM.

OBserua in hoc Indice litteram maiuscula, C. capita designari, L. libros, S. summulas, D. Logicæ disputationes, Q. quæstiones, §. quæstionum diuisiones.

Primus Arithmus indicat libri, vel disputationis numerum; secundus numerum quæstionis, tertius paragraphi numerum; quartus numerum marginalem paragraphi.

Abstractio, & abstrahere.

ABstractio ab omni materia est ratio formalis *sub qua* Logicæ, d.1.q.1.§.14.

Abstractione, Theologiæ, ac Logicæ, obiecta, à Metaphysicæ obiecto discriminantur.n.102.

Abstractio quid sit? d.3.q.5.§.1.n.6.

Vide verbum. Præcisio.

Abstracta, & concreta.

Abstracta, siue substantialia, siue accidentalia, de suis concretis non prædicantur, nec concreta de abstractis proprijs, benè tamen alienis, d.5.q.vlt.§.1.n.4.

Excipiuntur ab hac regula cõcreta transcendentalia, quæ de suis abstractis, & è conuerso prædicari valent, nn.5.

Concreta substantialia, & accidentalia formaliter de suis prædicantur concretis, n.8.

Idem dicendum de abstractis genericis, & differentialibus, respectu abstractorũ specificatorũ §.2.nn.11.& 12.

Differentia in abstracto, de natura specifica in abstracto considerata dicitur, n.13.

Differẽtia in abstracto nequit prędicari in *quale*, estò significetur per modũ per se stantis, & nõ per modũ in alteri adiacentis, vt Magister Lerma fatetur, n.19.cũ seq.

Forma generica in abstracto, regulariter loquẽdo, nequit formaliter verè de differencia, & è conuerso prædicari, licet aliquãdo id contingat, n.14.

Accidens, vt sic.

Eius definitio, d.4. q.1. §. 4. nu.14.

Includit semper subiectū, aliquando in recto, aliquādo in obliquo. Ibid.

Accidens prædicabile.

Accidentis definitio, d.4. c.5.

Sumi valet primò, & secundò intentionaliter, q.1. §.1.n.1.

Primo intentionaliter sumptum duplex est, metaphysicum, & logicum, n.2.

Discrimen inter substractum quarti, & quinti prædicabilis, n.3

Accidens proprium, nec ratione separari potest à subiecto in quo residet, benè tamen commune, n.4.

Primo intētionaliter sumptum fuit à Porphyrio in accidētis definitione definitum, §.3. num.8. cum seq.

Quo pacto eius definitio intelligitur. Ibi.

Substractum huius quinti prædicabilis non solum in forma non connexa, verum etiam in carētia formæ non connexæ, §.4.

Eius discrimen à cæteris prædicabilibus, n.14.

Accidentis secundo intentionaliter sumpti definitio, §.5. num. 20. & 21.

Hoc nomen *Deus*, si pro supposito, naturam diuinam habente, sumatur, tunc hæc propositio *Deus est homo*, huius est prædicabilis, secus si pro supposito naturam humanā habente, n.22.

Accidens suam exercet vniuersalitatem respectu subiectorum, quæst.2. §.1.

Actus.

Logicæ, ac Metaphysicæ actus inter se dissident, d.2.q.1.§.6 num.39.& 40.

Actus naturalis ad lineam moris transit, eo præcisè quod regulas moris connotet, §.8.n.56.

Actus logicus bifariè concipi valet, vel vt à principio naturali, vel vt à principio regulis artis subiecto emanat, §.12.n.82.infin.

Actus intellectus.

Vt rectè dispositi, & regulati, dialecticis regulis, ad Logicam spectant, non verò vt sunt animæ affectiones, d.1.q.1.§.3.num.54. *vide artificium Logicum.*

Dispositi in formam modi sciēdi tripliciter considerari possunt, q.2.§.4.n.11. Sūt praxis q.7.§.9.

Agens. Vide causa.

Alienatio.

Alienatio proprietas termini, l.1. S.c.18.n.8.

Ampliatio, & Restrictio.

Quid, & quotuplex, l.1.S.cap. 18.n.1.2.& 3.

Vt arguendi modus in ampliatione, & restrictione dignoscatur, nonnullæ traduntur regulæ, n.4. cum seq.

Angelus.

Signa instrumentalia non repug-

pugnant in intellectu Angelico, l. 1. S. cap. 3. num. 21.

Nec illis repugnat discursus obiectiuus. Ibid.

Cognitioni speculatiuæ perfectę omnia entia rationis ab intellectu humano facta, vel factibilia cognoscit, non tamen illa efformat. d. 2. q. 3. §. 7. n. 37.

Discrimen inter naturam Angeli, & Solis, d. 4. c. 2. q. 2. §. 1. n. 1.

Naturæ Angelicæ repugnat vniuersalitas specifica, nedum, ex impossibilitate termini, verum etiam, ex incapacitate naturæ, §. 4.

Singularitas non est de conceptu, quidditatiuo Angelicę naturæ, ibi. Immaterialitas in natura specifica Angeli reperta, per se primò solum exigit vnicam singularitatem, at verò in generica, licet per se primò, non respiciat rationes individuales, & specificas, tamen per se secundo, non vnam sed plures respicit, seu exigit singularitates, ibi. n. 28.

Natura Angelica, vt abstracta à propria singularitate, obtinet vniuersalitatem metaphysicam, ibi. n. 32.

Natura Angelica distinguitur à natura Solis, in ordine ad prædicationem, ibi. n. 33.

Aliud est, quod natura Angelica concipiatur ad instar rei materialis, aliud quod concipiatur vt materialis, d. 2. q. 1. §. 3. n. 9.

Fundamentum ad vniuersalitatem, non debet accipi à medio, sed à re in qua vniuersalitas fundatur, d. 4. q. 2. §. 5. n. 38.

Ars.

Est recta ratio operis faciendi, vel est habitus cum ratione factiuus, d. 1. §. 1. q. 4. n. 1.

In quo distinguatur à scientia, & ab alijs habitibus intellectualibus, ibi: n. 2.

Diuisio Artis, in artē effectionis, seu actionis (alio nomine mechanicam) & in Artem cognitionis, alio nomine liberalem, ibi.

Quid sit Ars mechanica, & quid liberalis, ibi: §. 4. n. 13.

Logica docens, formaliter doctrinalis, habet rationem Artis liberalis, ibi: §. 6. n. 19.

Logica vtens reduplicatiue vt talis, formaliter non est scientia, nec Ars, sed vltimum complementum, vel vltima perfectio Artis, ad ipsius specificam, & essentialē perfectionem, non spectans. d. 1. q. 7. §. 4. n. 16.

Logica, vt ordinata ad constitutionem syllogismi, est secūdum quid, vel per quandam similitudinem Ars, d. 1. q. 9. §. 3. num. 6.

Logica concurrit, nedum directiue, sed effectiuè etiam ad actus probabiles sophisticos, & demonstratiuos aliarum scientiarum, quia obtinet perfectionem Artis, ibi.

Qualiter Ars à natura distinguatur, d. 1. q. 8. §. 7. n. 58.

Vide verbo logica.

Artificium logicale.

Duplex est, formale, & obiectiuum,

num, d. 1. q. 1. §. 2. n. 16.

Formale, quod est in actibus intellectus est Reale, ibi. §. 7. num. 45.

Et hoc non distinguitur realiter ab entitate reali actuum, ibi. §. 8. n. 53.

Obiectiuum, in rebus cognitis, & abstractis receptum, est rationis, ibi. §. 9. n. 60.

Hoc per se primò attinguitur à logica, tanquam obiectum formale, & principale, ibi. q. 2. §. 3. n. 5.

Formale artificium solum per se secundo inspicitur à logica, vt obiectum viale, & *vt quo*, ibi. §. 5. n. 15.

Forma rationis artificiosa per se primò est in definitione, diuisione & argumentatione, & etiã in propositione, nec non in genere, & specie, d. 1. q. 3. §. 4. n. 8.

Nec forma artificiosa, per se primò est in termino formaliter accepto, nec nõ in partibus syllogismi, vt formaliter exercent munus maioris, vel minoris, ibi. §. 6. nu. 16.

Vide verbo *logica*.

Causa.

Actus intellectus artificiosè dispositi in demonstrationis forma causant logicæ habitum, d. 1. q. 1. §. 7. num. 45.

Vna causa cum alia valet directiue, & effectiue ad effectus productionem concurrere, d. 1. q. 9. §. 1. n. 2.

Logica vtens effectiuè causat syllogisticam formam in actibus topicis, sophisticis, & demõstratiuis repertam, ibi. §. 3. n. 6.

Causa entis rationis est intellectus, d. 2. q. 1. §. 4. n. 10.

Non diuinus, sed creatus, ibi. q. 3. §. nu. 12.

Sõlus intellectus, ex potentijs creatis, ibi. q. 4. §. 3. n. 6. & 7.

Vniuersalitas metaphysica, nõ ab abstractione præcisiua, sed à positiua intellectus possibilis causatur, d. 3. q. 5. §. 4. n. 19.

Vniuersalitas verò logica causatur, per resultantiam ab abstractione positiua intellectus possibilis, ibi. §. 5. n. 22.

Compositio.

Est secunda operatio nostri intellectus. Proæm. Sum.

Cõpositio metaphysica est realis, ex parte extremorum componentium, non verò ex parte distinctionis requisitæ, d. 3. q. 3. §. 10. n. 52.

Hæc in quo distinguatur à logica compositione, ibi. n. 53.

Concursus. Vide causa.

Consequentia, & consequens.

Illationis nota est duplex, alia consequentiæ, & alia consequentis, l. 3. sum. c. 1, n. 4.

Nunquam est distinguenda consequentia, sed consequens, ibi. num. 5.

Qualiter bonitas consequentię requiratur ad assensum scientificũ? d. 1. q. 8. §. 4. n. 25. & §. 7. a n. 47. vsque ad. 50.

Definitio.

Est oratio, naturam rei, vel nominis significationem exponens, l.2.sum.c.3.n.2.

Alia est quid rei, & alia quid nominis, ibidem.

Quid rei est duplex, alia essentialis, seu quidditatiua, alia descriptiua, ibi: n.3.

Definitio accidentalis a DD. sic adpellata, qualis sit? ibi. n.4.

Conditiones ad bonam definitionem requisitę, ibi: num. 5.6.7. & 8.

Definitio per se spectat ad logicam, d.1.q.3.§.4.n.8.

Licet hęc per se primò non ordinatur ad demonstrationem, ibi. §.5.n.14.

Requiritur tamen ad assensum scientificum, d.1.q.8.§.4.n.20.

Definitum.

Est id cuius natura, aut proprietas explicatur per definitionem, ibi. n. 9. Conditiones huius ibi. n. 9. & 10.

Demonstratio.

Est, inter logicę obiecta, principalitatis obiectum, d. 1. q. 3. §. 7. n. 24.

Ad demonstrationem per se non ordinatur definitio, nec alia instrumenta logicalia, ibi. §. 8. n. 28. vsque ad 32.

Qualiter demonstratio sit ad scientiàs necessaria? d. 1. q. 8. §. 3. à n. 17. vsque ad 20.

Alię scientię licet dependeant ab alijs instrumentis logicalibus mediate, etiam immediate à demonstratione dependent, §. 4. nu. 22.

Qualiter concurrat logica ad actus demonstratiuos? d. 1. q. 9. §. 3. à n. 9. vsque ad 12.

Denominatio extrinseca.

Denominatio extrinseca rationis in rebus exercita haud est ratio formalis, *qua* dialecticę, d. 1. q. 1. §. 6. n. 33. cum seq.

Item neque realis in conceptibus formalibus reperta, n. 42.

Actiue sumpta ad physicũ spectat, n. 43.

In extrinseca sicut in intrinseca denominatione quatuor reperiuntur, d. 2. q. 2. §. 1. n. 3.

Denominatio extrinseca à forma dimanans, quę realem dicit ordinem ad obiectum, vel terminũ, est formaliter realis, §. 3.

Dimanans a forma, quę nullum realem ordinem dicit ad rem denominatam, est rationis, §. 4.

Deus, natura diuina.

Deus, & Angeli per speciẽ noscuntur alienam, ex potentię imperfectione, d. 1. q. 1. §. 10. n. 73.

Natura diuina esto in multis reperiatur, rationem vniuersalis non induit, d. 3. q. 1. §. 1. n. 6.

Hęc enuntiatio, *Deus est homo*, si pro supposito naturam diuinam habente accipiatur ad quintum attinet prędicabile, d. 4. c. 3. q. 1. §. 5. n. 22.

Nomen *Deus* ex se supponit pro supposito deitatem habẽte. Ibid.

Dei scientia.

Deo non repugnat entis rationis speculatiua cognitio, d.2.q.3. §.2.

Efformatio illius ei obstat, alias Dei testimonium infallibile, & verax non esset, §.4.

Media cognitione creata illud cognoscit, §.7 n.34.

Priuationes diuinam non subterfugiunt cognitionem, n.36.

Dialectica, vide logica.

Differentia tertium predicabile.

Porphyriana differentię difinitio, d.4.c.3.

Multiplex eius consideratio. Ibid.

Vt tradita difinitio omnibus adęquetur differentijs, ita ab Auctore describitur. *Quæ prædicatur in quale quid ab alijs per ipsam*, specie differentibus. q.1.§.3.& 4.

Caietani, differentię vt sic explanatio reijcitur, §.1.

Item Complutensium, §.2.

Secunda intentio differentię in differētia subalterna fundatur, provt est abstractum à pluribus specie ab alijs differentibus, §.4. n.16.

Subalterna ab infima materialiter dumtaxat distinguitur, n.17. 18.& 19.

Infima est vniuersalis per ordinem ad inferiora speciei constitutę, non vero per ordinem ad speciē quam constituit, vt Caietanus defendit, idem dic de subalterna, q. 2.§.3.& 4.

Nec cōstituitur vniuersalis per ordinem ad hoc, & illud inferius §.2.

Duplici relatione ad indiuidua ordinatur, §.4.n.13.

Vt constitutiua per se primò speciem, vt superior, ac vniuersalis indiuidua respicit, n.15. cum seq.

Differentia superior non continet in suo conceptu formali infimam, esto illam extrinsece, & vt terminus connotationis includat q.3.§.3.& 4.

Differentia in abstracto optime de natura specifica in abstracto cōsiderata prędicatur, d.5.q.vlt. §.2.n.13.

Vide abstracta.

Diminutio.

Diminutio, terminiproprietas, quid sit, l.1.S.c.18.n.9.

Distinctio.

Distinctio quid, & quotuplex, d.3.q.3.§.1.& 2.

Distinctio rationis alia est rationis ratiocinatę, alia ratiocinātis, & quę vtraque? §.3.

Modalis est à parte rei sub extremo realis distinctionis, §.4.

Duplex in rebus fundamentum reperitur ad distinctionem rationis efficiendam, scilicet, perfectio naturę plures in se continētis perfectiones, & fecunditas diuersarū operationum, §.5.

Aliorum placita referuntur, & refelluntur. Ibid.

Actu a parte rei nec natura à sin-

singularitate, nec vllus gradus ab alio distinctione formali, ex natura rei, sed virtuali solum distinguitur, §. 7.

Distinctio virtualis tunc datur dum eadem formalitas valet considerari in ordine ad diuersos effectus, §. 7. & 8.

Vnitas formalis a parte rei haud est ex natura rei distincta à numerica vnitate, §. 8.

Vnitas formalis Benedicti. V.g. dum vt hæc vnitas formalis concipitur, non distinguitur ratione ratiocinata ab vnitate numerica, & indiuiduali ipsius Benedicti, §. 9.

Virtualis distinctio non est sufficiens fundamentum ad formas cõtradictorie oppositas, sed ad contrarie oppositas, nempe ad similitudinem, & dissimilitudinem, §. 10.

Gradus metaphysici subire possunt per rationem distinctionem obiectiuam, & adæquatam, q. 4. §. 3.

Distinctio virtualis est vna sũpta per ordinem ad actus adæquatos, & alia per ordinem ad inadæquatos actus, §. 4. n. 14.

Diuisio.

Diuisionis definitio, l. 2. S. c. 4. n. 1.

Accipi valet actiue pro actione diuidente, & passiue pro partibus ipsius diuisi. Ibid.

Multiplex est n. 2. & 2.

In diuisione potentiali membra diuidentia contineri debent sub diuiso. Ibid.

Omnis diuisio esse debet bimẽbris. Ibid.

Ens vt sic.

Ens vt sic in reale, & rationis secatur, d. 1. q. 1. §. 2. n. 13.

Quod à reali, & rationis ptęscindit est intellectus obiectum, §. 13. n. 93.

Nõ repugnat quod ex ente creato, & in creato concretum extrinsecum resultet, D. 2. q. 2. §. 6. num. 24.

Dari valet prędicatum aliquod vniuocum enti reali, & rationis, d. 4. q. 1. §. 6. n. 36.

Entia realia per accidens non sunt per se, ac directe sub obiecto specificatiuo metaphysicę, §. 7.

Ens rationis.

Ens rationis effectiue, subiectiue, & obiectiue, accipi solet. d. 2. q. 1, §. 1.

Essentialiter ab actuali pendet fictione, n. 20.

Ab ente reali non discriminatur eo quod ordinem dicat ad habendum esse dependenter ab intellectu, n. 21. & 22.

De facto dantur entia rationis, §. 2.

Eius diuisio, §. 3.

Nequit efficienter realitatem logicę tribuere. §. 10. n. 70.

A dialectica sub ratione artificioſę formæ consideratur, d. 1. q. 1. §. 13. n. 90. & 91.

Cognoscuntur a Deo, d. 2. q. 3. §. 2.

Potest terminare actionem spe-

culatiuum, §. 3.
Non fit à Deo, §. 4.
Nec ab Angelo, esto ab illo cognoscatur, §. 7. n. 37.
A solo intellectu creato efformatur, q. 4. §. 3.
Eius definitio, q. 5. §. 1. n. 1.
Ens rationis cum fundamento in re tanquam in species subalternas partitur in relationem, & negationem, vt sic, §. 2.
Non recte in relationem, priuationem, & negationē specialiter acceptas tanquam in species infimas scinditur, sed quodlibet membrum ex his est vlterius diuisibile vt species subalterna in infimas, §. 3.
Sit nec ne denominatio extrinseca realis, vel rationis? *Vide denominatio extrinseca.*

Forma.

Forma realis nequit diuersa informare subiecta, si indiuisibilis sit, d. 1. q. 2. §. 11. n. 79.
In accidentalibus formis materialibus duplex reperiri potest augmētum, intēsiuum, scilicet, & extensiuum, q. 5. §. 2. n. 6.
In spiritualibus formis penes ordinem ad obiectum formæ spiritualis respectiuæ eadem duplex augmenti ratio inueniri valet, nu. 7.
In materialibus formis formale augmentum, in spiritualibus, virtuale reperitur, n. 8.
Effectus formæ non distinguitur ab ipsa forma subiecto cōmunicata, d. 2. q. 2. §. 3. n. 11.

Genus primum prædicabile.

Generis definitio, & explicatio. d. 4. cap. 1.
Naturam pro materiali, & secundam intentionem pro formali importat, q. 1. §. 1. n. 1.
Definitum in generis definitione, nec est natura in recto provt connotat genereitatem, nec è cōuerso, §. 3.
Definitum in definitione generis est vnum per se perfeitate accidentali ex natura tanquam ex parte materiali, ex genereitate tanquam ex formali resultans, §. 4.
Omnia generis substracta vniuocè conueniunt, §. 6. nu. 36. 37. & 38.
Hæc autem vniuocatio consistit in quadam non repugnantia ex parte naturæ vt genus denominetur, n. 39.
Definitio generis legitima est, q. 2. per totam.
Substractum genereitatis abstrahi potest à suis speciebus, abstractione partiali, & totali, & quid vtraque sit? q. 3. §. 2. nu. 9.
Natura generica nec per modū partis actualis, nec per modum totius actualis de suis prædicatur inferioribus, §. 4.
Solum de illis prædicatur vt rationem totius potentialis sortitur, §. 5.
Esto vt totum prædicetur non deducitur infinitas continere perfectiones, §. 7. n. 49.
Explicatio axiomatis *genus*

sin-

sumitur à materia, &c. §.8.

Vt totum potentiale informe nec diuinitus cõseruari valet cum perfectione adæquata in vnica specie, recte vero species in vnico individuo, c.2.q.2.§.6.

Gradus metaphysici.

Qua ratione distinguantur? *Vide* distinctio.

Grammatica, & Rhetorica.

Grammatica, & Rhetorica, formaliter, & extrinsecè abentes rationis, scilicet, ab artificiosa vocum dispositione causantur, d.1.q.1.§.7.n.50.

Habitus.

Habitus essentialiter ad obiectum rationis ordinatur, vt formę artificiosæ naturã induit, d.1.q.1.§.10.n.69.

Quinque sunt habitus quibus intellectus ad facilem veri cognitionem illustratur. q.4.§.1. num.1.

Logicæ habitus distinguuntur realiter in scientificum, opinatiuum, & erroneum, n.4.

Proportionari debet cum potentia in extensione, & vnitate, q.5. per totam.

Posito habitu per primã demõstrationẽ circa primam cõclusionem, manet difficultas erga secũdam defectu expressionis, nõ entitatis, vel modi, §.7.

Capax est intensionis, & remissionis secundum diuersas expressiones, n.43.

Aliqui ad actus inter se subordinatos, & alij ad absolutos ordinantur, q.6.§.1.n.5.

Idem est habitus Logicæ docentis, & vtentis, §.3.

Vt habitus per actus, & fines distinguantur, opus est, quod actus, & fines non sint connexi, & quod sub eadem ratione formali in esse obiecti non attingantur, n.11.12.& 13.

Implicat habitum Logicæ vtentis augeri inuariato docentis habitu, §.4.n.14.

Habitus Logicæ vtentis qui in fide Magistri acquiritur eiusdem rationis non est cum Logica vtente, quæ iuxta regulas docentis adipiscitur, n.15.

Diuisio habitus in practicum, & speculatiuum, est in differentias inter se oppositas, q.7.§.3. n.11.

Habitus vt sic in habitum primorum principiorum, & in scientiam, vel artem partitur, q.8.§.1. nu.5.

Hyppoletica propositio.

Vide propositio.

Idea.

Bifarie accipi solet, d.2.q.3. §.7.n.30.

Platonis Ideæ impugnantur, d.3.q.1.§.4.5.& 6.

Impossibilitas, & possibilitas.

Duplex in rebus reperitur, physica, seu metaphysica, & moralis,

d.1.q.8.§.1.n.11.

Indiuiduum, & indiuiduatio.

Triplex indiuidui explanatio, d.4.c.2.n.3.

Bifariè accipi potest, q. 3. §. 1. n.1.

Vt speciei correlatiuum nõ fuit à Porphyrio definitum, n.2.

Vera indiuidui definitio. Ibid.

Prima indiuidui definitio, a Porphirio tradita, descriptiua est, n.5.

Proprietates indiuiduales, n. 4.

Ab omnibus indiuiduis primò intentionaliter sumptis, nequit ratio aliqua vniuoca indiuidui abstrahi, §.1.& 4.

Secunda indiuidui definitio, exactè indiuiduum secundo intẽtionaliter sumptum explicat, §.5. & 6.

De indiuiduo in communi dari potest scientia, & definitio, n. 20.

Prędicatio formalis, & non idẽtica à Philosopho indiuiduo denegatur, n.21.& 22.

Valet predicari de pluribus denominatiue, & *vt quod*, non formaliter, & *vt quo*, n. 23. cum seq.

Inhærentia.

Vide accidens vt sic.

Intellectus.

In intellectu dari potest habitus, qui per se primò ens rationis respiciat, d.1.q.1.§.10.n.74.

Prima intellectus operatio habere potest deformitatem cum obiecto intento, q.3.§.4.n.10.

Intellectus absque modo super addito se extẽdit ad omnia obiecta, quæ sub ratione entis cadunt, q.5.§.6.n.29.

In intellectu datur praxis, q.7. § 9.

Absque artificiali logica physice potest alias scientias inuenire saltim comparare, q.8.§.3.

Absque logica artificiali assequi potest intensiuam, & scientificam aliarum cognitionem, nedum possibilitate physica, sed morali, §.4.& 5.

Sine logica artificiali est ex se sufficiens ad comparandas physice, sed non moraliter conclusiones omnes aliarum scientiarum, §.6.

Vnica est effectiua causa entis rationis, q.4.§.3.

Adens, & non ens terminatur, §.4.n.10.

In agentem, & possibilem partitur, d.3.q.5.§.1.n.3.

Ostenditur quo pacto intellectus agens speciem producat, n. 4.

Munus intellectus possibilis, n.5.

Agens suam etiam habet abstractionem, n.8.

Comparatio, siue abstractio intellectus possibilis duplex est, n. 9.

Intellectus agens, & possibilis non abstrahunt naturam à singularitatibus per abstractionem præcisiuam, §.9.n.44.

Intellectus diuinus.

Vide Dei scientia.

Intellectio.

Intellectio sub munere actionis non est signum formale. *Vide signum.* Intellectio est praxis. *Vide, actus intellectus, & praxis.*

Intelligentia.

Intelligentia quid sit? d. 1. q. 4. §. 1. n. 1.

Intensio.

Vide augmentum.

Intentio obiectiua.

Secunda intentio obiectiua vt sic est obiectum formale Logicæ, d. 1. q. 1. §. 9. n. 60.

Habet proprietates scibiles à Logica, §. 13. n. 85. 86. & 87.

Irrationale.

Vide differentia.

Iudicium.

Vide compositio.

Logica.

Pro ratione formali *quæ* respicit formam rationis relatiuam, in conceptibus obiectiuis; vel in rebus cognitis, & abstractis receptam, d. 1. q. 1. §. 9. n. 60.

Pro ratione formali *sub qua*, minimam actualitatem secundarum intentionum, negatiuè abstrahentem ab omni materia, ibi. §. 16.

Forma artificiosa, in rebus cognitis, & abstractis recepta, est per se primo intenta à Logica, tãquam obiectum formale, & principale; res verò abstractæ & cognitæ, sunt ab ipsa intentæ, tanquã obiectum materiale primarium, d. 1. q. 2. §. 3. n. 5.

Obiectum primarium, & principale Logicæ non coalescit ex modo sciendi formali & obiectiuo, ibi, §. 4. n. 11.

Forma artificiosa, quæ est in operationibus intellectus, est per se secundo inspecta à Logica, vt obiectum viale, & *vt quo*. Ibi. §. 5. nu. 5.

Logica cum obiecto formali *quod* extrinseco, & remoto, ordinatur ad triplicem intellectus operationem, tanquam circa obiectum *quod* extrinsecum, ibi. §. 6. n. 20.

Logica docens, vt infert passiones ex suo obiecto, formaliter & propriè est sciẽtia; nedũ quoad partem analyticam, sed etiam quoad topicam, & sophisticam, d. 1. q. 4. §. 3. n. 8.

Logica docens formaliter doctrinalis habet rationem Artis liberalis, ibi. §. 4. n. 13.

Logica vtens, in sensu identico, & materiali, habet rationem scientiæ & Artis, ibi, §. 5. nu. 18.

Logicæ habitus, quatenus demonstratiuè se extendit ad omnes conclusiones, sub modo sciẽdi vt sic contentas, est vna sim-

plex qualitas, quę ratione extẽsionis virtualis hęc omnia valet prę-stare, d.q.5.§.4.n.14.

Vt logicę habitus extendatur ad secundam conclusionem, non indiget superadditione alicuius modi realiter distincti, sed idem methabitus, qui fuit productus per primam demonstrationem, in ordine ad primam conclusionem, extẽditur absque nouo modo reali ad secundam, ratione virtualis extensionis. Ibi.§.6.n.29.

Idem est realiter habitus logicæ docentis, & vtentis, d.1.q.6.§.3.n.8.

Logica, nec formaliter, nec eminenter formaliter est simpliciter practica, & speculatiua simul, d.1.q.7.§.3.n.11.

Logica est simpliciter speculatiua, secundum quid verò, & per quandam similitudinem, est practica. Ibid.§.4.n.16.

Logica, altera naturalis, artificialis altera, d.1.q.8.n.1.

Vide artificium, ars intellectus.

Materia.

Proxima, in qua fundatur secunda intentio termini logici, est significatio, lib.1.S.c.1.n.8.

Materia propositionis est subiectum, & prędicatum, etiam si prædicatũ sit subiecti forma, lib.2.S.c.6.n.4.

Materia syllogismi est duplex. Remota, & proxima. Remota, sunt termini ex quibus proximè constat propositio, & remote syllogismus, Proxima sunt propositiones, ex quibus ille proximè constat, lib.3.S.c.1.n.5.

Materia formę artificiosæ, per se à logica attactę, sunt res abstractæ, & cognitę ab ipsa, d.1.q.2.§.3.n.5.

Materia denominationis extrinsecæ est obiectum, vel terminus denominatus, d.1.q.2.§.1.n.3.

Qualiter genus accipiatur à materia? d.4.q.3.§.8. à n.51. vsque ad §.3. inclusiuè.

Medium.

Est quod bis ponitur in prę-missis, lib.3.S.c.6. à n.1. vsque ad 5.

Intellectus respicit proprios actus, sicut voluntas respicit media propter finem, d.1.q.2.§.3.n.15.

Multipliciter dicitur medium necessarium ad finis consequutionem, d.1.q.8.§.1.n.2.

Metaphysica.

Versatur circa proprios actus diuerso modo, ac philosophia circa suos, d.1.q.1.§.6.n.37.

Discrimen inter actus logicę, & metaphysicę, ibi.n.39.

Qualiter philosophia moralis distinguatur à logica, & metaphysica in modo versandi circa proprios actus, ibi.n.41.

Modus sciendi.

Est oratio ignoti manifestatiua. l.2.S.c.2.n.1.

Adęquate diuiditur in definitio-

tionem diuisionem, & argumentationem, tanquam genus in pecies, ibi.

Varie vsurpatur modus sciendi, d. 1. q. 2. §. 4. n. 11. Vide artificium.

Moralis.

Actus naturalis transit ad lineã moris, per hoc præcise, quod connotet regulas motis, vel per hoc quod connotet obiectum conforme, vel difforme legi, d. 1. q. 1. §. 8. n. 56.

Natura.

Discrimen inter actus, in quibus potest considerari natura, d. 3. q. 2. §. 1. n. 6.

Discrimen inter statum naturę secundum se, & pręcisionis, ibi. n. 7.

Natura in omni statu habet vnitatem formalem absolutam, realem, & positiuam, quam alij transcendentalem appellant, d. 3. q. 2. §. 3. n. 11.

Natura in statu secundum se nullam habet vnitatem, realem, & positiuam, ad inferiora non descendentem, ibi. §. 4. n. 19.

Quod naturę conuenit in statu secundum se, ratione sui, & nõ ratione status, in omni statu debet ei conuenire, ibi. n. 24.

Naturæ materiali, ex se non repugnat esse à parte rei in pluribus per modum plurium, ibi. §. 5. nu. 25.

Naturę spirituales ex se sunt pluribus incommunicabiles, secus verò materiales, ibi.

Vide genus.

Necessarium.

Vide medium.

Negatio.

Accipitur dupliciter, neganter, & infinitanter, l. 1. S. c. 10. n. 2. & 3.

Negatio accipitur fundamentaliter, & formaliter, d. 2. q. 1. §. 2. à n. 4. vsque ad 7.

Tripliciter Deus negationes, & priuationes agnoscit, d. 2. q. 3. §. 7. n. 36.

Negatio, vt condistincta a priuatione, est carentia formæ in subiecto non apto, d. 2. q. 5. §. 1. n. 2.

Negatio vt species entis rationis, non dicit carentiam entis realis, sed alicuius formę in particulari, ibi. n. 3.

Negatio vt sic est species subalterna entis rationis, cum fundamento in re. Ibi. §. 2. n. 5.

Negatio vt sic est vlterius diuisibilis in species infimas, ibi. §. 3. n. 8.

Negatio formę non connexę est substractum quinti prędicabilis, d. 4. & c. 5. q. 1. §. 4. n. 13.

Obiectum.

Est quod potentię obijcitur, d. 1. q. 1. §. 1. n. 2.

Obiectum, subiectum, & materia circa quam solum distingun-

tur ratione. Ibid.

Definitiones obiecti, subiecti, & materię circa quam, ibi. n. 3.

Obiectum diuiditur in materiale, & formale, ibi. n. 4.

In obiecto formali datur, & ratio formalis *quæ*, & *sub qua*, ibi. n. 5.

Ratio formalis *quæ*, absolute loquendo, non est de linea materialis, sed formalis, ibi. n. 7.

Ex rationibus formalibus, *quæ*, & *sub qua*, & ex obiecto materiali, vnum dumtaxat resultat obiectum, ibi. n. 8.

Tota specificatio scientiæ nullo modo accipitur ab obiecto materiali, ibi.

Præter rationem formalem *sub qua* intrinsecam, debet addi extrinseca; ab alijs nominata *sub qua* mouens, seu impellens potentiam, ad obiecti perceptionem, ibi. n. 9.

Obiectum, aliud *quod*, & aliud *quo*, ibi. n. 10.

Obiectum, aliud adæquatum, & aliud inadęquatum, ibi. n. 11.

Obiectum scientiæ tres exposcit conditiones, ibi. n. 12.

Quędam obiecta à scientia attinguntur per se primò, alia per se secundò, q. 3. §. 1. n. 1.

Vide artificium logicum.

Oratio.

Orationis definitio ab Auctore tradita, l. 2. S. c. 1. n. 4.

Eius diuisio, nu. 5. vsque ad finem.

Phantasia.

A phantasia ens rationis non efformatur, d. 2. q. 4. §. 4. n. 9.

Philosophia.

Moralis philosophia à logica, & Metaphysica differt in modo versandi circa proprios actus, d. 1 q. 1. §. 6. n. 41.

Circa actus voluntatis versatur, diuerso tamen modo, ac logica circa actus intellectus, q. 2. §. 7. n. 23.

Philosophiæ actus primò, & secundò intentionaliter accipi possunt, q. 9. §. 4. n. 12.

Philosophia moralis non solum voluntatis actus, verum etiã intellectus dirigit, q. 7 §. 9. n. 61.

Potentia materialis.

A potentia visiua non fit ens rationis, d. 2. q. 4. §. 4. n. 8.

Practicum, & praxis.

Quid sit habitus practicus, quid speculatiuus? d. 1. q. 7. §. 1. n. 1.

Discrimen horum habituum ex ordine ad primarium finem accipitur. n. 2.

Omnis habitus cognitionem sui obiecti includit, n. 3.

Cognitio quę primario ad opus ordinatur est practica, speculatiua, quæ ad speculationem, n. 4.

Duplex est scientiarum finis, operis, & operantis, n. 5.

Non quęuis operatio praxis dicitur, n. 6.

Ra-

Ratio practici, & speculatiui nequeunt simul in theologia, & intellectu reperiri, §.3.n.13.

Nec habitui conuenire possunt, n.14.

Definitio praxis à Scoto tradita, §.8.

Reijcitur, §.11.

Vera praxis definitio, §.10.

Praxis proprie in intellectu datur, §.9.

Praecisio.

Distincta est à distinctione rationis, d.3.q.4.§.1.n.2.

An admittendę sint precisiones obiectiuę inter gradus metaphysicos?

Vide distinctio.

Praedicatio, Praedicabile, & Praedicabilitas.

Duplex est prędicabilitas, fundamentalis vna, & formalis alia, d.4.c.1.q.1.§.1.n.2.

Prædicari in *quale quid* aliquādo sumitur pro prædicari essentialiter secundum rem, & denominatiue secundum modum, q.2.§.1.n.2.

Respectus subijcibilitatis, & prædicabilitatis sunt formaliter, & entitatiue distincti, c.2.q.1.§.2.n.3.

Prædicabile est genus ad quinque prædicabilia, d.5.q.1.§.2.

Est concretum dicens de materiali naturam, & de formali secundam intentionem vniuersalitatis, §.1.

Esto sit genus ad quinque prædicabilia, non sequitur esse superius, & inferius respectu sui, §.3.n.5.6.& 7.

Vt genus est superius, & vt individuum est inferius ad genus vt sic, §.3.n.5.6.7.& 8.

Nequit esse essentialiter, & accidentaliter vniuersale, vt Thomistæ fatentur, n.9.& 10.

Prædicabile non est de nominatiue genus, ita vt forma adueniens denominet tam secundam rationem genericam', quam specificam, in quo nulla datur implicatio, n.11.

Actualis prędicatio in identicā disparatam, & mediam secatur: rursus hæc prædicatio media, seu formalis, est duplex: directa, & indirecta, q.2.§.1.n.1.

Hęc prædicatio, *actio est passio*, est identica, nisi ex parte prædicati reduplicetur munus proprium passionis, quia tunc est formalis, sed falsa, n.3.

Abstracta siue substantialia, siuè accidentalia non prædicantur de suis concretis, nec concreta siuè substantialia, siuè accidentalia, qualiacumque de abstractis proprijs, bene tamen de alienis, n.4.

Excipiuntur ab hac regula generali concreta transcendentalia, quæ valent prędicari de suis abstractis, & è contra, n.5.

Prædicamenta.

In quolibet prædicamento tria inueniuntur, scilicet, genus gene-

ralissimum, species specialissima, & genera intermedia, d. 4. c. 2. n. 2.

Prædicatum, & subiectum.

Quid sit subiectum, & prædicatum? l. 2. S. c. 6. n. 1.

Præmissæ.

Vide conclusio.

Prinatio.

Vide ens rationis.

Propositio.

Propositio potest esse terminus logicus vt exercet munus termini, vel vt induit secundam intentionem termini, non verò secundum munus propositionis, l. 1. S. c. 1. n. 26.

Quid, & quotuplex? 2. l. S. c. 7. à n. 1. ad 6.

Est artificium rationis ad instar artificij realis factum. Ibid.

Propositionis definitio à summulistis tradita reijcitur, n. 7.

Propositionum oppositio.

Oppositio quid, & eius requisita? 2. l. S. c. 7, n. 1.

Eius diuisio, n. 2.

Subalterna proprie oppositio non est n. 3.

Contradictoriæ, nec simul veræ, nec simul falsæ esse possunt, n. 4.

Contrariæ nequeunt esse simul veræ, bene tamen simul falsæ in materia contingenti, n. 5.

Subcontrariæ esse possunt simul veræ, at non simul falsæ, n. 7.

Propositionum æquipollentia.

Eius definitio, 2. l. c. n. 1.

Quo pacto fiant æquipollentes, contradictoriæ, contrariæ, & subcontrariæ? Ibid. per totum.

Propositionum conuersio.

Conuersionis traditur definitio, 2. l. S. c. 9. n. 1.

Conuersio triplex est. Ibid.

In conuersione sicut in oppositione propositionum, obseruari debent eædem proprietates logicales, n. 4.

Propositiones modales.

Modalis propositio, & modus, quid? 2. l. S. c. 10. n. 2.

Modi sunt in quadruplici differentia, n. 3.

Modus aliquando aduerbialiter, aliquando nominaliter sumitur, n. 4.

Modalis propositio in compositam, & diuisam secatur, n. 5.

Vt cognoscatur quando modalis sit composita, & quando diuisa aliqua assignatur regula, n. 6.

Quantitas propositionis modalis duplex est, c. 11.

Oppositio, æquipollentia, & conuersio propositionum modalium. Ibid. per totum.

Propositio hypotetica.

Quid, & quotuplex? 2. l. S. c. 12. à n. 1. ad 4.

Quando in eadem hypotetica pro-

propositione reperiuntur plures coniunctiones, denominabitur talis a principaliori, n. 5.

Eius affirmatio, seu negatio accipi debet ex copula nominali, quæ in propositione hypotetica primum obtinet locum, n. 6.

Conditionalis, *si*, varie accipitur, n. 7.

Coniunctio, & sicut coniunctio *vel* bifarie accipitur, n. 8.

Vt veritas, & falsitas vnius cuiusque hypotheticæ noscatur quinque traduntur regulæ, c. 13. per totum.

Similiter vt eius possibilitas, impossibilitas, contingentia, & necessitas noscatur aliquę dãtur regulæ, c 14. per totum.

Traditur modus arguendi in hypotheticis, & ex vna hypotetica, ad aliam, c. 15. & 16.

Propositiones exponibiles.

Quid sint? c. 17. n. 1.

Earum varietas, n. 2.

Valet particula exclusiua poni ex parte copulæ importando determinatam temporis differentiã, n. 4.

Particula exclusiua excludit rationem significati materialis, dum supra terminum absolutum cadit, & rationem significati formalis, dum supra connotatiuum, n. 5.

Similiter dicta particula excludit titulo pluralitatis, & titulo alietatis, n. 6.

Propositio exclusiua ex parte subiecti est quadruplex, & pro singulis diversæ dantur regulę, c. 18. à num. 1. ad 4.

Vt differentia expositionis noscatur quatuor inuentę sunt dictiones, a n. 6. cum seq.

Oppositio harum propositionũ regulanda est per propositionem exponentem. Ibid. infine.

Propositio exceptiua.

Quatuor habet terminos, 2. l. S. c. 19. n. 1.

Quadruplex est, n. 2.

Quælibet ex his quatuor propositionibus suam habet quantitatem, & qualitatem, a n. 3. cum seq.

Oppositio, & modus arguendi in illis. Ibid. in fine.

Propositiones reduplicatiuæ.

Traditur expositio reduplicatiuarum, oppositio, & modus arguendi in illis, c. 20. per totum.

Proprium quartum prædicabile.

Proprium quadrupliciter sumitur, d. 4. c. 4.

Discrimen inter accidens proprium, & commune, q. vni. §. 1. n. 1.

Sumptum in quarta acceptione est substractum huius quarti prædicabilis, §. 2.

Secundum tres priores acceptiones solum secundum quid est denominabile â secunda intẽtione huius prædicabilis, n. 5.

Proprium a Porphyrio diuisum directè non spectat ad hoc prædicabile, n. 6.

Definitio proprij secundo in-

tentionaliter sumpti, n. 7.

Proprium in secunda acceptione reductiue solum ad hoc prædicabile attinet, §. 3. n. 9. cum seq.

Prudentia.

Prudentia speculatiua non dicitur, d. 1. q. 7. §. 7. n. 55.

Non est ars, q. 9. §. 4. n. 14.

Qualitas.

Qualitas propositionis secundū quam dicitur propositio vera, vel falsa est quę ad propositionis spectat ornatum, l. 2. S. c. 6. n. 4.

Qualitas indiuisibilis est logica, nec multiplici habitu variegatur. d. 1. q. 5. per totam.

Cum simplicitate entitatiua qualitatis rectè compatitur distinctio virtualis, in ordine ad diuersas conclusiones, §. 8. n. 39.

Quantitas.

Propositionis quantitas est magnitudo, respectu cuius propositio dicitur vniuersalis, vel particularis, lib. 2. S. c. 6. n. 4.

Propositio ratione quātitatis, diuiditur in vniuersalē, particularem, & indefinitam. Ibid. n. 6.

Relatio.

Qualiter detur in scientia, respectu obiecti, d. 1. q. 1. §. 13. n. 87.

Scientia.

Quid sit, & qualiter distinguatur ab alijs habitibus intellectualibus? d. 1. q. 4. §. 1. n. 1.

Vide verbo logica.

Sensus.

Nullus sensus valet entia rationis efformare, d. 2. q. 4. §. 3. n. 7.

Signum.

Est quod potentiæ cognoscitiuæ aliud a se repræsentat, lib. 1. S. c. 3. n. 1.

Vnum simile nō est proprie signum naturale alterius similis, ibi. n. 2.

Signum diuiditur in naturale ad placitum, & ex consuetudine, ibi. n. 4.

Signum diuiditur in formale, & instrumentale, ibi. n. 5.

Duæ conditiones sunt necessariæ ad signum instrumentale, ibi.

Conceptus mentis, seu species expressa, proprie habet rationem signi, ibi. n. 8.

Intellectio sub munere actionis non habet rationem signi formalis, ibi. n. 9.

Species impressa, sub munere speciei impressę, non exercet munus signi formalis, ibi. n. 10. & 11.

Discrimen, quod datur, inter signum formale, & instrumentale, ibi. n. 12.

In omni signo instrumentali est formale inclusum, ibi. n. 13.

Obiectum motiuum tantū coincidit, per viam rationis formalis, cum signo instrumentali, ibi. à n. 17. vsque ad 20.

Signa instrumentalia, in Angelis habēt locum, ibi. à n. 21. vsque ad 23.

Simi-

Simile, & dissimile.

Similitudo, & non similitudo, non valet fundari in entitate, etiã virtualiter multiplici, d. 3. q. 3. §. 10. n. 45.

Similitudo, & dissimilitudo valent fundari in entitate virtualiter multiplici, ibi. n. 47.

Sol.

Natura Solis, de facto, in vnico existens individuo, nequit denominari species prędicabilis, formaliter, & positiue, bene tamen negatiuè, per non repuguantiam ex parte naturæ, d. 4. c. 2. q. 2. §. 2. à n. 4. vsque ad 8.

Naturæ Solis non repugnat vniuersalitas ex parte naturæ; sed ex parte termini, ibi. n. 9.

Naturę soli abstractæ non repugnat vniuersalitas specifica, etiã si non possit denominari vniuersalis, ibi. n. 19.

Vide verbo Angelus.

Species impressa. & expressa.

Vide signum.

Speculatio.

Vide verbo logica.

Suppositio.

Suppositio quid, & quotuplex? 1. l. 8. c. 15. per totum.

Suppositiones terminorum per signa syncathegorematica noscũtur, à n. 18. vsque ad finem.

Suppositio pro singulis generum, & accommoda, quo pacto noscantur? Ibid.

Quonammodo suppositio distributiua, collectiua, & accommodatè resoluantur? à n. 11.

Syllogismus.

Syllogismi definitio, & diuisio, 3. l. 8. c. 1.

Materia syllogismi duplex est, nec non eius illius forma, Ibid.

Regulæ requisitæ ad bonã illationem, c. 2. per totum,

Ex præmissis veris conclusio semper vera euadit, ex falsis, aliquandovera, ex necessàrijs, necessaria, ex contingentibus aliquando necessaria, aliquando contingens. Ibid.

Artificiosa syllogismi dispositio in his principijs fundatur, *dici de omni, &c. Et quæ sunt eadem, &c.* c. 3.

Quomodo fiat reductio ostensiua syllogismi? c. 4.

Et qualiter per impossibile reducatur syllogismus? c. 5.

Quid syllogismus expositorius? c. 7. n. 1.

Hic syllogismus commodius fit in tertia figura, n. 2.

Syllogismus constans ex obliquis qnis sit? n. 3.

Quis modalis? n. 5.

Conclusio semper sequitur debiliorem partem, quantum ad modum, ibid.

Non est vnus vnitate per se pro-

pria, d. 1. q. 1. §. 11. n. 77.

Terminus.

Terminus grammaticaliter sūptus finem significat, 1. l. S. c. 1. n. 2.

Termini logici definitio, ab Auctore tradita, n. 10.

Aliorum placita referuntur, & refelluntur, a n. 3.

Tradita definitio simplici propositioni competit, n. 26.

Blyctiri est terminus verbaliter entitatiue, non vialiter significatiuè, à n. 11. ad 21.

Verbum, seu verbalis vnio non est terminus simpliciter, nisi vt propriam induit significationem, alia vnione vnitam, n. 21. 22. & 23.

Aduerbia non exercent munus termini, n. 23.

Voces extra propositionem rationem termini logici non habent vtpote quia nō sunt partes actualis propositionis, nec ad illā proximè ordinantur, c. 2. n. 2. 3. & 4.

Terminorum varietas, & diuisio a c. 4. ad 12.

Terminorum resolutio, c. 16. per totum.

Proprietates terminorum, *vide suppositio. Ampliatio. Restrictio. Alienatio. Diminutio. Remotio, & Appellatio.*

Theologia.

In Theologia nequit esse simul speculatiuum, & practicum simpliciter, d. 1. q. 7. §. 3. n. 13.

Totum potentiale.

In quo consistat ratio totius potentialis, d. 4. q. 3. §. 3. n. 11. ad 16.

Transcendens.

Vide ens.

Verbum.

Verbum definitur, & explanatur, 1. l. S. c. 14. per totum.

Virtutes morales.

Virtutes morales imitantur in simplicitate voluntatem, in qua sunt, d. 1. q. 5. §. 4. n. 20.

Non indigent modo aliquo superaddito vt extendantur ad omnia obiecta, quę sub eadem ratione honestatis cadunt. §. 6. n. 31. & 32.

Vnio.

Vide terminus.

Vnitas, & vnum.

Vnitas est in quadruplici differentia, d. 1. q. 1. §. 11. n. 78.

Quid, & quotuplex? d. 3. q. 1. §. 1. n. 3. 4. & 5.

Duplex vnitas in rebus reperitur, q. 2. §. 1. n. 2.

Vnitas formalis proprie vnitas est, n. 3.

Vnitas virtualis proprie vnitas non est, n. 4.

Vnitas formalis negatiua consistens in non repugnantia ad essendum in plurib⁹ bifarie competere

re potest naturæ, §.5.n.26.

Obiectum dicitur vnum in esse scibili, quando conclusiones omnes sub eadem ratione formali, *sub qua* cadunt, d.1.q.5.§.1.n.3.

Inter vnum per se, & vnum per accidens datur medium, d.4.q.1.§.4.n.10.

Tripliciter aliqua vnum, aut diuersa vocantur genere, nimirum, specie, & numero, q.2.§.1.n.5.

Vniuersale.

Quid, & quotuplex sit? d.3.q.1.§.1.

Ad vniuersale non sufficit vnitas impropria, n.4.

A parte rei existunt naturæ fundamẽtaliter saltẽ vniuersales, §.2.

Naturę vniuersales non dantur a parte rei ab inferioribus separatæ, nec dari possunt diuinitus, §.4.

Vniuersale duplex est, metaphysicum, & logicum, q.5.§.1.n.10.

Metaphysicum fit per abstractionem intellectus agentis in opinione Thomistarum, §.3.

Vniuersalitas metaphysica fit abstractione positiua intellectus possibilis, §.4.

Vniuersalitas logica fit, per resultantiam ab abstractione positiua intellectus possibilis, §.5.

Nec in actu exercito, neque in actu signato fit vniuersale logicũ per comparationem a munere secundario abstractionis positiuæ condistinctam, §.7.

Logicum non fit, per comparationem compositam, §.10.n.53.

Ad vniuersale logicum opus nõ est, quod natura cognoscatur, vt actu existens in inferioribus, n.55. cum seq.

Vnum, vniuersale formaliter nõ subordinatur alteri, d.4.c.2.q.1.§.6.n.23.

Aptitudo positiua ad essendum in pluribus est ad vniuersalitatem logicam requisita, q.2.§.1.n.3.

Vt aliqua natura sit fundamentum vniuersalitatis, opus est quod capax sit multiplicitatis, vel quod constet materia, §.4.n.23.

An vniuersale sit genus, ad quinque prædicabilia?

Vide vnitas, & natura, & Prædicabile.

Voces.

Voces extra propositionem rationem termini logici nõ habent. l.1.S.c.2.

Ad logicum per se primò non pertinent, d.1.q.3.§.2.

Vide terminus.

Voluntas.

Nequit primario ad actus oppositos amoris, & odij ordinari, d.1.q.7.§.7.n.56.

Factio entis rationis est extra voluntatis sphęram, d.2.q.4. per totam.

FINIS.

muerte a la manera [illegible]an. Luego co
mençaron con las manos [illegible] la tie
rra, y hizieron vn hoyo, en que podia ca
ber el cuerpo de vn hõbre: y como situ-
uieran sentido, y oydierã paga por su tra
bajo, mouiendo las orejas, y baxando la
cabeça, se fueron para san Antonio, le-
miendole los pies y las manos; y enten-
diendo el santo que le pedian su bendi-
cion, alabando al Señor, a quiẽ hasta las
bestias fieras reconocen, y obedecen, di-
xo: Señor, sin cuya prouidencia no cae
vna hoja del arbol, ni vn paxarillo dl ay-
re, dad a estos leones lo que les conuie-
ne: y haziendole señas con la mano, les
mandò que se fuessen. Partidos que fue
ron los leones, baxò el santo viejo su cer
uiz encorbada, y tomò el cuerpo muer-
to sobre sus ombros: pusole en la sepul-
tura, y cubriole de tierra. Y para ser here
dero de todas las riquezas q̃ Pablo pos-
seìa en el mũdo, le desnudò primero de
aq̃lla su tunica, q̃ a manera d̃ pleita auia

[illegible]azia a su sed[illegible]
[illegible]je vni[illegible]o, seda [illegible]s el au[illegible]stros
vuestros criados desechan. Pero trocarãse las
manos: a Pablo pobrezito està abierto el cie-
lo, y vosotros cargados de oro os ireis al infier
no; el desnudo guardò limpia la vestidura de
Christo, y vosotros vestidos de ricas ropas, la
aueis manchada. Pablo està debaxo le tierra
para resucitar ala gloria, y vosotros en sepul
cros magnificos le jaspe, y de marmol, arde-
reis cõ vuestras obras para siempre. Tened si-
quiera lastima de vosotros mismos, y alome-
nos de las riquezas que tanto amais? Porque
cubris y embolueis a vuestros muertos en
paños de seda y oro? Porque vuestra ambi-
cion no se acaba siquiera con las lagrimas, y
llanto de la sepultura? Tienen por ventura los
cuerpos muertos de los ricos priuilegio para
no pudrirse, sinocõ oro y seda? Yo ruego al que
esto leyere, que se acuerde de Geronimo peca-
dor, a quien si Dios le diesse a escoger, mas q̃-
rria la tunica de Pablo con sus merecimien-
tos, que la purpura de los Reyes con sus penas.

Todas


2.010